D. MELCHIORIS DE VALENTIA I. C. HISPANI, VESPERTINÆ IVRIS CIVILIS

Cathedræ in Salmanticenſi Academia anteceſſoris.

ILLVSTRIVM IVRIS TRACTATVVM LIBER PRIMVS

TRACTATVS QVOS HIC LIBER CONtinet ſequens pagina exhibet.

Anno  1647.

CVM LICENTIA,

Barcinone, Ex Prælo ANTONII LACAVALLERIA.

TRACTATVS QVOS HIC LIBER continet.

DE iure accreſcendi inter heredes, & quibus caſibus portio deficiens cum onere accreſcat, & de contributione legatorum. Tractatus primus ad explicationẽ difficilis Papiniani reſponſi in l. in ratione 11. §. quod vulgo, & ſequentibus, D. ad leg. Falcidiam, pag. 1.

De poſſeſſionis eſſentia, diuiſione, & qualitatibus, & per quas perſonas, quibuſue modis adquiratur, retineatur vel amittatur. Tractatus ſecundus ad Pauli I. C. reſponſum in l. 1. D. de adquir. poſſeſſione, pag. 63.

De Fictionibus hereditatis, poſtliminij, & legis Corneliæ, & vtrum ad poſſeſſionis vel vſucapionis continuationem proficiant. Tractatus tertius ad explicationem I. C. Pauli reſponſi in l. ſi is qui pro emptore 15. D. de vſucapionibus, pag. 173.

De duorum reorum conſtitutione, & liberatione: & quibus caſibus aditio hereditatis iure confuſionis reum obligatione eximat: quibus autem ſolutionis poteſtate obligationem extinguat. Tractatus quartus ad nobile I.C. Pauli reſponſum in l. Granius Antoninus 71. D. de fideiuſſoribus, pag. 241.

Omnia mea quæcunque hic aut vbique ſcripta inuenientur Romanæ Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ correctioni ſubmitto.

APPROBATIO, ET LICENTIA.

EX commiſſione admodum Illuſt. domini Michaelis Ioannis Boldo ſanctæ Eccleſiæ Barcinonæ Canonici in ſpiritualibus, & temporalibus Vicarij Generalis & Officialis pro Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D.D. Garcia Ægidio Manrique Dei, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Barcinonenſi Epiſcopo, vidi ac diligenter recognoui tres illos libros, quibus inſcriptio eſt, *Illuſtrium iuris tractatuum, ſeu lecturarum Salmanticentium*, ab eruditiſſimo D. D. Melchiori de Valentiâ I. C. Hiſpanô primario iuris ciuilis in Salmanticenſi Academia anteceſſore digniſſimo editos, Salmanticæ iam typis mandatos, nihilque in eis inueni, quod fidei Catholicæ, & bonis moribus repugnet; quinimo ſub breuitate miram doctrinam, ſummamque eruditionem continent: Vtiliſſimum igitur fore iudico prælo eos iterum nunc tradi, & ad id licentiam poſtulatam concedi poſſe cenſeo. Barcinone pridie Kalend. Ianuarij 1647.

Raphael Verges & Vich V. I. D.

Boldo Vic. Gen. & Offic.

Fontanella Rñs.

D. MELCHIOR DE VALENTIA LECTORI S.

NEc operis commendationem, nec excuſationem facti, quæ duo his Epiſtolis præmitti ſolent, à nobis, ſtudioſe Lector, ſperes. Arrogantiæ alterum, diſſimulationis, aut Ironiæ alterum, ſi non crimen; ſaltem non leuem notam meritò æſtimare poſſis. Nec enim minori repræhenſione digna Socratis fallax humilitas, qui vel ab omnibus nota ignorare ſe fingebat, quam Hippiæ Elei aperta ſuperbia: *Qui cum Olympiam veniſſet* (M. Tullij verbis dico) *maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus eſt, cuncta pœne audiente Græcia, nihil eſſe in vlla arte rerum omnium, quod ipſe neſciret.* Veritatis igitur, & modeſtiæ, quam ſemper tenui, viam pergere certus, quod res ipſa eſt, plane dicam. Ex artibus ijs, quæ ingenuum hominem decent, optimis, & pulcherrimis me, vt Prodicus dicebat, otium & inertiam, vti fas eſt peroſus, exornare cum iam pridem inſtituiſſem; Iuriſprudentiam ſcientiarum omnium (ſacram Theologiam excipio) præſtantiſſimam, cui me totum dederim; dilexi, & delegi. Hæc diuinarum, humanarumque rerum notitia, iuſti & iniuſti ſcientia, Regia, & Architechtonica hominum iuſto imperio regendorum ars; illa eſt, quam primus, vnicuſque mundi conditor optimus, & rector ſapientiſſimus, ſibi propriã vindicat: Iuſti enim & iniuſti ſcientia, & conſummatiſſima ars boni, & æqui ſoli Deo competit, qui iuris & iuſtitiæ parens, & cõpos, ac magiſter primarius docet homines ſciẽtiam;

3. de Oratione.

Apud Platonem in Gorgia.

tiam;ſingulariſſime autem iuris, legumque prudētiam, qua ſe ipſos,& ſibi ſubditos regant, ex qua ipſe Ariſtotechnas, id eſt,præclariſſimæ artis artifex maximus, à Pindaro audit & ſalutatur:

Apud Dionem Chryſ. orat.12.ad finem.

Dodonae, omnipotens Ariſtotechna pater.

Plutarchus hanc Dei artem Iuriſprudentiam interpretatur, libello quo rationem reddit, cur ſero tandem Deus à ſontibus pœnas ſumere videatur. *Medicinam,* inquit, *animæ, quæ dica(ius) & iuſtitia cognominatur, omnium eſſe artium maximam, ac præſtantiſsimam: præter ſexcētos alios, etiam Pindarus teſtatur, Principem, & dominum omnium Deum Ariſtotechnam appellans, quaſi iuris publicus magiſter, & profeſſor Deus ſit.* Iuſtiſſimoſque, & ſapientiſſimos ex regibus diſcipulos habuiſſe celebratur, ex qua diſciplina Reges ipſi à Ioue edocti, ſiue inſtituti, & ſingulariter, Minos Iouis auditor. Sed quid riuulos inſecter, cum idipſum ex ſacræ ſapientiæ flumine haurire liceat? Sapientes eſſe vere reges, eoſque ab vnico magiſtro Deo, iuris diuini humanique notitiam accepiſſe teſtatur, Melchiſedech, rex, ſiue magiſter iuſtitiæ dictus, Abraham iuſtus ab Iſaîa cognominatus: *Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum?* Ioſephus qui Ægypto, & Pharaoni præfuit, eiuſque ſenatores erudijt, ex cuius diſciplina Ægyptij in tantum profecere, vt impoſterum gloriarentur ſe regum diſcipulos eſſe: ſic enim eos Iſaîas Pharaoni dicentes inducit: *Filius ſapientum ego, filius regum antiquorum.* Moyſes, Salomon, quos ipſam Iuriſprudentiam, regiamque artem veriſſimam à Deo accepiſſe, negare nemo audeat: *Scimus enim quia Moyſi loquutus eſt Deus*, quem hac præcipuè diuini, humanique iuris ſcientia ad populi ſui doctrinam, & gubernationem inſtruxit, atque quod alibi ſcriptum eſt, *dedit illi coram præcepta, legem vitæ & diſciplinam.* Sed falcem iā ab aliena meſſe.

Plato in Minos.

Iſai. 19.

Nos in ſacro iure, Petri Apoſtolorum Coryphæi Cathedram diſcipuli circunſtantes Romanos Pontifices, qui ius vniuerſum in ſcrinio pectoris habent, audimus; Ciuile ius ex Romanorum reſponſis deſumimus: inter nationes enim

vt quæque ingenio,& ſtudio excelluit, maximè imperandi, artem accepit, & excoluit. Sed præcipuè Romani,qui contemptis præſe cæterarum ſcientiarum,& artium profeſſionibus, totos ſeſe huic regiæ arti excolendæ, & ediſcendæ tradiderunt. Vnde effectum eſt, vt adhuc,etiam poſt amiſſas prouincias, imperium in populos omnes exercere videantur. Nulla enim non Barbara Reſpublica eſt,quæ non Romanis legibus pro iure vtatur, vt verum Ariſtidis Rhetoris vaticinium hac parte comperiatur: is enim, ſua ad Romam oratione, putat, nunquam à Romano imperio diſceſſuros orbis populos, cui perpetuum parere, maximè ex ipſorum re ſit. Certè Romani ex auito homine hanc artem, atque ex ea, imperandi ius ſibi tribuebant. Et Anchiſes apud vatem huius artis peculiari ſtudio,Romanos nationibus omnibus facile præſtaturos præcinebat. *Orat. in Romam.*

Tu regere imperio populos Romane memento
Hæ tibi erunt artes.

Tractent, inquit, gentes aliæ alias artes, quam quæque inueniſſe aut percalluiſſe inſigniter glorietur, Medicinam, Aſtronomiam, & Geometriam Ægyptij; Matheſin,ſiue Genethliacam Chaldæi;litterarum inuentores ſint Phœnices; pictores,ſculptoreſque peritiſſimi Græci, atque etiam oratores eloquentiſſimi: *Tu Regere imperio populos Romane memento, hæ tibi erunt artes.* Prudenter ergo Reges noſtri potẽtiſſimi,quamquã ab omni imperio immunes ac liberi, Regum potius Reges ſint, latiſſimeque hodie per orbem imperent; tamen iuris Romani ſcholam hac maximè in Academia, omnium Principe, ſubditis ſuis aperiendam curarunt, in qua diſcerent iuſtitiam moniti, & Iuriſprudentiã, veramque regendi populos artem perciperent. Vides,amice Lector artis, quam tractamus, dignitatem, vides electionis cauſam, paucis nunc inſtituti mei rationem accipe. Statim atque ſtudijs animum appuli bonarum litterarum notiti, doctiſſimi parentis opera imbutus, ingenium ad Iuriſprudentiam præparare non deſtiti. *Meritoria artes ſunt hacte-* *Senecã epiſt.88.*

hactenus vtiles, ſi præparant ingenium non detinent. Tandiu enim iſtis immorandum eſt, quamdiu nihil animus agere maius poteſt. His igitur adiumentis, & doctiſſimorum Præceptorum doctrinæ, & interpretum, tam antiquorum, quàm recentiorum, ſed maximè ipſorum Iuriſconſultorum lectioni, reſponſorumque ad eandem rem ſpectantium collectioni, & collationi innixus, veram iuris rationem germanamque Iuriſconſultorum mentem inuenire, aut aſſequi cupiens, veſtigare inſtitui: *patet omnibus veritas nondum eſt occupata*, atque vt plurima Cuiacio, Antonio Fabro, & alijs viris doctis debemus, quæ ab antiquis ignorata fuiſſe, nemo non fateatur: ita non pauca, quæ illi inexplicata reliquerunt, aliorum diligentiæ, & ſcriptis debebunt poſteri. Aliqua huius rei indicia, nec frequentia quidem nec rara in his illuſtribus iuris tractatibus exhibemus, in quibus ſæpè nobis cum antiquis, ſæpè cum recentioribus dimicatio. *Magna ars eſt contra artifices loqui*, inquit Caſſiodorus, *& apud illos aliquid agere, qui ſe putant omnia prauidere.* Nec tamen ideò audaciæ notam timemus: nunquam enim alienam ſententiam reijcimus, quin noſtram firmiſſimis iuris rationibus fulciamus; ſemperque, quantum poſſumus, ſalua iuris dignitate, antiquorum ſententiæ adhæremus, noſtram, ſi qua eſt, induſtriam, potius in antiquis interpretibus defendendis quam impugnandis, collocantes. Certè qualecunque hoc opus, noſtraque cætera omnia ex publico, quod gerimus, docendi munere, publicæ Iuris ſtudioſorum vtilitati debemus, nec ſolutionem detrectabimus, ſi ſcripta noſtra, quorum nunc guſtum damus, ad Iuriſprudentiam ornandam aliquomodo conducere, perſpexerimus. Benè vale.

Lib. 2. variar. epiſt. 6.

IN.

INDEX CAPITVM QVÆ IN HOC ILLVSTRIVM Tractatuum libro continentur.

Tractatus I. Capita.

DE iure accreſcendi inter heredes, & illius cauſa, & origine, caput primum, pag. 2.
Portionem tacito iure portioni accreſcere, & de tranſmiſſione iuris accreſcendi, cap. 2. pag. 8.
Vtrum portio deficiens coheredi cum onere accreſcat, & de repetitione legatorum, cap 3. pag. 18.
Sententia Alciati, Cuiacij, & Donelli defenditur, & Iuriſconſultorum reſponſis comprobatur, cap. 4. pag. 26.
De lege Falcidia & illius ratione in ſingulis heredibus ponenda, cap. 5. pag. 31.
In tabulis patris, & filij vnam Falcidiam ſeruari, & de contributione legatorum, tam in paterno, quàm in pupillari teſtamento relictorum; ad interpretationẽ textus in l. in ratione 11. § quod vulgo cum ſequentibus, cap. 6. p. 35.
Paraphraſis ad §. quod vulgo, & ſequentibus dictæ l. in ratione 11. cap. 6. pag. 38.
De contributione legatorum, & legis Falcidiæ ratione ponenda inter heredes, ſiue portio ex iure accreſcendi, ſiue etiã ex vulgari, aut pupillari ſubſtitutione deferatur ad explicationem legis primæ, §. id quod ex ſubſtitutione, §. ſi coheredis, & l. qui fundum 87. §. qui filium, D. ad legem Falcidiam, cap. 7. pag. 44.
De ſubſtitutis pupillo exheredato, & de vno duobus pupillis ſubſtituto ad §. vltimum huius legis in ratione 11. cap. 8. pag. 58.

b Tracta-

Tractatus II. Capita.

POſſeſſionem & à pedibus, & à ſedibus dictam, & de illius nominis notatione, cap.1.pag.63.

De natura poſſeſſionis, & quomodo definiri rectè poſſit, reiecta Donelli diffinitione, cap.2.pag.69.

De diuiſione poſſeſſionis in ciuilem,& naturalē, ſiue iuſtam,& iniuſtam, & an duo poſſint eandem rem poſſidere, cap.3.pag.86.

Dominium ſine naturali traditione, vel poſſeſſione non adquiri ad §. 1. ibi, dominiaque rerum, cap.4 pag.93.

De bellorum origine, & iure ad interpretationem dictæ l. 1.verſ.item bello capta, cap.5.pag.105.

De perſonis per quas poſſeſſio adquiratur,& primum de furioſo, infante & pupillo, ad §. adipiſcimur huius legis, cap.6. pag.119.

De donatione inter virum & vxorem,& an ex ea poſſeſſio adquiratur ad §.ſi vir vxori, cap.7.pag.127.

De poſſeſſione ignoranti per ſeruum ex cauſa peculiari quærenda, & de differentia inter ſeruum,& procuratorem in adquiſitione vſucapionis ad §. item adquirimus, cap. 8, pag. 131.

De adquiſitione poſſeſſionis per liberum hominem alienum ſeruum,& fructuarium ad §.ſed & per eum,& tres ſequentes, cap. 9. pag. 137.

De ſeruo fugitiuo,& vtrum domino poſſeſſionem adquirat; vel ſuam, & aliarum rerum poſſeſſionem interuertere poſſit ad §. per ſeruum, qui infuga. cap.10 pag.141.

Creditorem rei ſibi pignori traditæ veram poſſeſſionem habere ad §. per ſeruum corporaliter, cap.11.pag.152.

Per ſeruum hereditariū, an eiuſdem hereditatis vel aliarum rerum poſſeſſio adquiri poſſit? Ad §. veteres, §. ſi ex parte, §. idem dicendum, cap. 12. pag.159.

Ad poſſeſſionem adquirendam per ſeruum vel procuratorem, ipſorum voluntatem eſſe neceſſariam ad § hæc quæ de ſeruis, & § per procuratorem, cap.13.pag.162.

Qui-

Quibus caſibus ad poſſeſſionis adquiſitionem rei præſentia requiratur ad §. ſi iuſſerim, cap. 14. pag. 166.

Poſſeſſionem adquirere, an vniuerſitas, collegiũ, vel municipes poſſint ad §. municipes vltim. & l. 2. hoc tit. cap. 15. pag. 196.

Tractatus III. Capita.

QVid ſit fictio, & in quo à præſumptione differat, cap. 1. pag. 174.

De fictione hereditatis, & illius cauſa, & effectibus, cap. 2. pag. 179.

Quibus caſibus pro hereditate habeatur caſtrenſe peculium: quibus autem ad patrem iure priſtino pertineat, cap. 3. pag. 181.

De poſſeſſionis per ſeruos hereditarios adquiſitione, & vtrum ex cauſa peculiari ignoranti poſſeſſio adquiratur, cap. 4. pag. 188.

De poſtliminij, & legis Corneliæ fictionibus, & earum cauſa, & origine, cap. 5. pag. 196.

De poſtliminij iure non concedendo illis qui armis victi hoſtibus ſe dederunt; & defenſa vulgata lectio in l. 4. & in l. in bello 12. D. de captiu. ab Anton. Fabri emmendationibus, cap. 6. pag. 200.

Vtrum poſtliminium iuriſgentium, an ciuilis ſit, & quibus perſonis aut rebus concedatur, cap. 7. pag. 207.

De lege Cornelia, & illius origine, & de poſthumo Corneliano ad explicationem text. in l. qui vxorem 15. D. de iniuſt. rupt. cap. 8. pag. 213.

De ſubſtitutione impuberi filio facta per legem Corneliam confirmanda, & conciliatione legis lex Cornelia 28. l. ſi pater 29. D. de vulgari, cum lege pater 10. l. quod ſi filius 11. D. de captiuis, & poſtlimin. cap. 9. pag. 216.

De vſucapione captiui in heredes continuanda Marcellique, & Iuliani diſſenſu ad explicationem legis ſi is qui pro emptore 15. D. de vſucapionibus, cap. 10. pag. 226.

Pauli Iuriſconſulti reſponſum in l.ſi is qui pro emptore nouiter explicatur, & illius interpretatio iuris rationibus ſtabilitur, cap. 11. pag. 23.

Tractatus IV. Capita.

VTrum omnibus contractibus, & quomodo, duo pluresue rei debendi conſtituantur, ad principium legis, cap. 1. pag. 246.

De duobus reis teſtamento conſtituendis, cap. 2 pag. 249.

De differentia inter principales reos, & fideiuſſores, vel mandatores, quoties de conſtitutione duorum reorum tractatur, cap. 3. pag. 253.

Quid noui circa obligationem duorũ reorum inductum fuerit Nouella 99. cap. 1. de duobus reis, & in quo ius commune correctum ſit per legem 1. tit. 16. lib. 5. Cópilat. cap. 4. pag. 258.

An lite conteſtata cum principali debitore, mandatur liberetur, & de differentia inter mandatorem, & fideiuſſorẽ, ad explicationẽ verſ. quamuis noſtræ legis, cap. 5. pag. 260.

Vtrum conuentione vel electione vnius rei, mandatoris, vel fideiuſſoris, cæteri liberentur, & de poteſtate neceſſariæ nouationis, cap. 6. pag. 265.

De confuſionis natura origine, & cauſa, cap. 7. pagina 273.

De confuſione naturalis obligationis per aditionem hereditatis contingenti, cap. 8. pag. 277.

Vtrum aditio hereditatis vim ſolutionis obtineat, & quibus caſibus confuſionis iure, quibus ſolutionis poteſtate obligationem extinguat, cap. 9. pag. 283.

De confuſione, quæ per concurſum principalis obligationis, & acceſſoriæ contingit, ad verſiculum quod ſi creditor, cap. 10. pag. 298.

IN-

INDEX LEGVM
QVÆ IN HIS TRACTATIBVS EXPLICANTVR.

A.

L. Adquiruntur 10. §. vlt. D. de adquirend. rerum dom. tract. 2. cap. 4. num. 16. & 17. pag. 99.

L. Adquiruntur 1. §. idem placet, D. de adquirend. rer. tract. 2. cap. 9. num. 4. p. 138.

L. Adquirũtur 10. in fin. D. de adquirẽdo rerum domin. tract. 2. cap. 9. num. 9. p. 140.

L. Ancilla 60. D. de fur. tr. 2. cap. 10. num. 4. & 5. p. 143.

B.

L. Bona 22. §. quod ſi filius, D. de captiu. tract. 3. cap. 7. num. 11. pag. 211.

L. Bona 22. §. vlt. D. de captiu. tract. 3. c. 8. n. 5. p. 215.

C.

L. Clam poſſidere 6. §. qui ad nundinas, D de adq. poſſ. tract. 2. cap. 3. num. 15. 16. & 17. pag. 91.

L. Certi condictio 9. §. vlt. D. de reb. credit. tract 2. cap. 2. num. 22 pag. 76.

L. Clauibus 74 D. de contrahend. empt. tract 2. cap. 2. num. 29. pag. 78.

L. Communi 7. §. neque colonis, D. ad exhibendũ, tract. 2. cap. 2. num. 43. pag. 84.

L. Cum venditor 2. D. de leg. commiſ. tract. 2. cap. 4 n. 12. pag. 98.

L. Cum furioſus 39. D. de iudicijs, tract. 2. cap. 6. n. 6. pag. 121.

L. Cũ notiſſimi, C. de præſcript. trig. vel quadrag. tract. 2. cap. 11. n. 15. p. 157.

L. Certi condictio 9. §. vlt. D. de reb. cred. tract. 2. cap. 14. n 6. & 7. pag. 167.

L. Cũ illud 25. §. 1. D. quãd. dies, tract. 3. c. 2. n. 7. p. 179.

L. Cum non 5. C. de poſtl. reuerſ. tract. 3. cap. 7. n 2. 3. p. 207. & n. 7. pag. 210.

L. Cum quis 38. §. de peculio, D. de ſolutionibus, tract. 4. c. 5. n. 9. & 10, pag. 264.

L. Cum duo 2. D. de duob. reis, tract. 4. cap, 6. ex num. 3. pag, 266. & nu. 16. pag. 272. & num. 15. pag. 271.

L. Cũ duo fin. D. de duob. reis, tract. 4. cap 9. n. 7. p. 287.

L. Cum quis 38 §. vlt. D. de ſolut. tract. 4. c. 9. n. 20. p. 294.

D.

L. Duo 16. D. de præcario,

tract.2.cap.3.n.16.pag 91.
L.Donatarum 3.C.de adquir.poſſ.tract.1.cap.6.num.16.pag.125.
L.Donari 29. D.de donation.tract.3.c.2.n.8.p.180.
L.De hereditate 19.§.quid autem, D.de Caſtr. peculio. tract.3.cap.3. n.2.3.4.5.6.7. & 8.pag.181.
L. Denique 19. D.ex quibus cauſis maior.tract.3.c.4. num.15.p.293.
L.Decem 116.D.de verb. oblig.tract.4.cap.6.num.5 p. 266.& n. 16.p.272.& n.9. p.268.& n.15.pag.271.
L.Debitor ſub pignore 59. D.ad S.C. Trebel. tract.4.c. 8. num.4.5. & 6.pag.279.& cap. 9.num.19.p.294.
L.Debitori 50. D.de fideiuſſor, tract.4. cap.9.num.4. pag.284.
L.Debitori 50. D.de fideiuſſ.tract.4.c.9.n.19.p 293.
L.Debitor 3. D. deſeparationibus,tract.4.cap.10.n.7. pag 302.
L. Debitori, C.de pactis, tract.4.cap.10.n.8.p.302.
L.Debitor 40. § vlt. D de pign. act. tract.2. cap. 11.n. 14.pag.157.

E.

L.Ex duobus 42 D.de vulgar.tract.1.c.8.n.7.8 p.60.
L.Et habet 15. § eum qui, D.de precar.tract.2.cap.3.n. 15.16.& 17.& n.19.p.91
L Eo tempore 50.§.vlt. D. de pecul.tract.2.cap.4.n.18. pag. 100.
L.Etiã 17.D.de leg.3.tract. 3.cap.2.num.7.p.179.
L.Explicito 1.§.in filij quoque, D.ad S.C. Trebel.tract. 3.cap3.n.14.15.p.187.
L.Eos 4.D.de capt.tract.3. c.6.ex n.3.vſque ad 7.p.201.
L.Eandem 9.in fin.princip. D.de duobus reis,tract. 4. c. 2.n.2.p.294.& n.6.p.251.
L.Egiſti 84.D.de ſolutionibus,tract.4. cap.5.num.9.10. pag 263.
L.Electio 26.D.de noxalibus,tract.4.cap.6.n.6 p.267. &num.17.p.272.

F.

L. Filius 42.§.Papinianus, D.de bon.libert.tract.1.cap. 1.num.1.pag.5.
L. Frater 1. C. de teſtam. milit.dict.tract.1. c. 1. num. 13.& 14.p.7.
L.Facta 63.§. ſi Titius, D. ad Trebellian.dict.tract.1.c. 5.num.7.pag.35.
L.Furioſus 63.D.de adquirend.hered.tract.2. cap.6.n. 11.pag.123.
L. Filiusfamilias 14.§.1.D. de caſtrenſ.pecul. tract.3. c. 3.n.3.

3.n.3.p.182.& num.4.5.6.7. 8.& 9. pag.184.

L. Filiusfamilias 18.D.ad leg.Falcid.tract.3.cap.3.n.7. pag.183.

L. Frater à fratre 38.D.de condict.indeb.tract.4.cap.8. num.2.pag.277.

G.

L. Gerit 88.D.de adquir. hered. tract. 3. c. 4.num.14. pag. 193.

L. Granius 71. D.de fideiuſſor. tract 4.ex num.1. vſque ad 14.pag.243.

H.

L.Homo liber 54.§.vlt.D. de adquir.rerum domi.tract. 2.cap.4.num.16. & 17.p.99. & num.18.pag.100.

L. Hoſtes 24.D.de captiu. tract. 2. cap.5. num.17. pag. 112. & num.18.

L.Hoſtes 118.D.de verbo. ſignifi. tract.2. c.5. num.17. pag.112.& num.18.

L.Homo liber 54.D.de adquir.rerum domin. tract.2.c. 9.num.4.pag.138.

L.Hoc interdictũ 1.§.quod ait Prætor,D.quod legat.tractat.2.cap.9.n.9.pag.140.

L.Homo liber 54.in fin.D. de adquir.rerum domi.tract. 2.cap.10.n.4.5.p.143.

L. Hæc 3. §.ſciendum, D. de donat. int. tract.2. cap.7. num.5.pag.129.

L.Heres 21.§.quod ſi ſtipulator,D.de fideiuſſ.tract.4.c. 8.num.3. pag.278.

L. Heres 21.§.quod ſi ſtipulator, verſ.quod ſi idẽ, D. de fideiuſſ. tract.4.cap.10.n. 3.pag.299. & num.4. p.300.

L. Heres 21. §.ſeruo tuo, D.de fideiuſſ. tract 4.cap.10. num.5.pag.300.

I.

L. In ratione 11.§.quæſitũ, D.ad leg. Falcid.tract. 1.c.7. num. 24. vſque ad finem capitis, pag.55.

L In ratione 11.§ vltim.ad leg.Falcid.tract.1.cap.8.n.1. pag.58.

L.Inficiando 67.D.de furtis, tract.2.cap.2.n.23.p.76.

L.In ſumma 4.D.vti poſſidet,tract.2.cap.3.n.10.p.89.

L.In diem 1.D.de in diem adictione, tract. 2. c.4.n.12. pag.98.

L.Iuſto 44. §. eum qui, D. de vſucap.tract.2.cap.6.n.7. & 9.pag.122.

L.In eo 45.§.deinde, D.de rit. nupt. tract.2.cap.6.num. 8.pag.122.

L. Inter virum 46.D.de donat. intr.tr.2.c.7.n.4.p.128.

L. Interdum 16.§.ſerui,D. de Publician.tract.2.cap.10. num.4.5.pag.43.

L.Interdum 73.D.de verbor.oblig.tract.3. cap.2.n.7. pag.179.

L.Inter ſtipulantem 83. §. ſacram, D. de verbor. oblig. tract.3.cap.2.n.7.p.179.

L.In eo 33. D.de adq. rerum, tract.3. cap.3.num.3.p. 182. & num.7.

L.In bello 12. in princ. ff. de captiu.tract.3. cap.6. n.7. p.202. vſque ad finẽ capitis.

L.Item ei 14.D.ex quibus cauſ.tract.3.c.7.n.9.p.210.

L.Ille aut ille 25.D.de leg. 3.tract.4. cap. 2.n.2.p.25.

L.Idem 18.D ad S.C. Velleianum, tract.4.cap.3.n.10. & 11.pag.256.

L.In fraudem 45.§.ſi principalis,D.de iur. fiſc.tract.4. cap.9.n.10.pag.289.

L.Ita tamẽ 27.§.ſi ex Trebelliano, D. ad S.C.Trebel. tract.4.cap.9.num.26.p.296.

L.

L. Liber homo 59.§. ſi ita ſcriptum, D.de hered.inſtit. dict.tract.1.cap 2.num. 13.& tribus ſequent. pag.12.

L.Lex Falcidia 1.§.id quod ex ſubſtitutione , D. ad leg. Falcid. tract.1. cap.7.num.5. vſque ad 17.pag 47.

L.Liber homo 19.D.de adquir. rer. tract.2. cap.9.n.4. pag.138.

L. Libera 48. D.de peculio, tract.2.c.10.n.9.p.146.

L.Lite 14.C.de liber.cauſ. tract.2.cap.10.n.19.p.151.

L Lex Cornelia 28. D. de vulg. tract.3. cap 9.ex princ. vſque ad finẽ capitis, p.217.

L. Lege Cornelia 12.D.de teſtamentis, tract.3.cap.9.n. 9 pag.220.

L. Lex Cornelia 28. §.1.D. de vulg.tract.3.cap. 9. num. 18.19.20.& 21.pag.223.

L. Lex Falcidia, §.ſi debitor, D. ad leg.Falcid.tract 4. cap.9.num.5.pag.285.

M.

L. Municipibus 97. D.de condit & demonſt.tract.2.c. 15.num 4.pag.170.

L. Miles 30. D. ex quibus cauſ.maior.tract.3.cap.11.n. 25.pag 239.

L.Mulier 6. D.de captiuis, tract.2. cap. 5. num.19.pag. 113.

L. Miles 30. D. ex quibus cauſis maior. tract. 3. cap.4. num.15.pag.293.

L. Maritus 22.C.de inofficioſo teſtamento, tract.4. c. 9. num.27.pag.297.

N.

L. Non ideò minus, C. de liber.cauſ. tract.2.cap.2. n. 38.pag.81.

L.Ne-

L.Nemo, C.de adq.poſſeſ. ibid.& num.41.

L. Naturaliter 12.in prin. D.de adquir. poſſeſ. tract.2. cap.2.num.43.pag.84.

L.Nunquam 31.§.ſi vi aut clam,D.de vſucap. tract.2.c. 5. num.7.pag.122.

L. Non ſolum 33.§ ſi rem, D.de vſucap.tract.2.cap.11. num.7.pag.154.

L.Nunquam 31.§ ſi ſeruus, D. de vſucap. tract.2. cap.8. num.12.& 17.pag.135.

L. Nihil intereſt. 26. D. de captiu. tract.3.cap.7.num.8. pag. 210.

L.Non ideo,C.de liberal. cauſ. tract.3. cap.11.num.7. pag.233.

L. Nemo,C.de adquirend. poſſeſ.tract.3.cap.11.num.7. pag.233.

L.Nunquam 31.§.ſi ſeruus, D.de vſucap. tract.3.cap.11. num.18.pag.237.

P.

L. Pater 29. de leg.2. tract. 1.cap.3. num.12.pag 21.

L. Poſt. 2. §.vlt.D.de ſuis, & legitim. tract.1.cap.3.nu. 16.pag.22.

L.Pater 29.§. 1.D.de leg. 2. tract.1.cap.4.num.5. & 8. & 9.pag.27.

L. Plautius 43. §. vlt.D.de condit.& demonſtrat. tract. 1.cap.5.num.7.pag.33.

L. Pœnales 32.§.ſi Titio, D.ad leg.Falcid.ibid.

L.Poſſidere 3.§.ſi rem, D. de adquir.poſſeſ.tract.2.cap. 2.n.20.& ſequent.pag.15.

L. Poſſideri 3 § genera, D. de adquirend.poſſeſ.tract.2. cap.3.num.13.pag.90.

L. Pecuniam 29. D. de ſolutionibus, tract.2.cap.2. n. 29.pag.78.

L. Peregre 44. in princip. D. de adquir. poſſeſ. tract. 2. cap.2.num.38.& 41.pag.81.

L.Poſſeſſio 49. D.de adq. poſſeſ.tract.2.cap.2.num.41. pag.82.

L.Permiſceri penult. D.de adquir.poſſeſ. tract.2.cap.2. num.44.pag.85.

L.Prætor 1.§.deijcitur, & §.quod ſeruus, D.de vi,& vi arm.tract.2.cap.3. num.8. & 10.pag.88.

L.Permiſiſti 16.D.de præſcript. verb.tract.2.cap.4.nu. 23.pag.102.

L.Pupillus 11.D.de adquir.domin.tract.2. cap. 6. n. 20.pag.127.

L.Prætor 1.§.idem Viuianus,ff.de vi & vi arm.tract.2. cap.9.num.2.pag.138.

L.Pomponius 13.ff.de adq. poſſeſ. tract.2. cap. 10.num. 4.& 5.pag.143.

L.Pi-

L.Pignus 37.D.de pig.act. tract.2.cap.11.num.5.in fin. pag.154.

L.Peregre 44.§.quæſitum, D.de adquir. poſſeſ. tract. 2. cap.8.num.8.pag.133.

L.Prædia 48.D.de adquir. poſſeſ.tract.2.cap.12.num.6. pag. 161.

L. Per ſeruum 37.§.fin.D. de adquir. rerum dom.tract. 2.cap.13. num.4.pag.164. & num,5. vſque ad fin. capitis.

L. Proponebatur 9. D. de caſtrenſ.pecul.tract.3.cap.3. n.2. & ſequentib.pag.181.

L. Plaucius 49. D.ad leg. Falcid. tract.3. cap.3.num.4. in fin.p.182.& n.8.p.184.

L.Pater 17.§.pater à filio, D.de caſtrenſ. pecul.tract.3. cap.3.n.9.& ſeq. pag.185.

L.Præſcriptio 45. §.vlt. D. de vſucap. tract.3.cap.4.n.3. vſque ad 10.pag.189.

L. Poſtliminium 19.§.trãſfugæ,D.de capt.& poſtl.tra. 3.cap.7.num.9.p.210.

L.Poſthumus 12.D.de iniuſt.rupt.tract.3.c.8.n.3.&4. pag.214.& n.6.p.216.

L. Pater 10. in princip.D. de capt. tract.3.cap.9. num. 3. vſque ad 8. pag.217.

L.Pater 10.§.1.D.de capt. tract.3.cap.9.num.18.19.20. & 21.pag.223.

L.Poſſeſſio 49. D.de adq. poſſeſ.tract.3.cap.11.num.7. pag.233.

L.Peregre 44.in princ.D. de adquirend. poſſeſ.tract.3. cap.11.n.7.pag.233.

L.Plane 34.§.vlt.D.de leg. 1.tract.4.cap.2.n.7.pag.251.

Q.

L.Qui patri 59.D.de adq. hered. tract.1. cap.2.num.7. pag.10.

L.Qui ex duabus 53.D.de adquirenda hered.dict.tract. 1.cap.2.num.17.pag.14.

L. Quidam 14. D. de iur. codicillor. tract.1. c.3. num. 18.pag.22.

L.Qui fundum 87. §. qui filium,D.ad leg.Falcid.tract. 1.cap.3.num.19.pag.23.

L. Qui fundum 87. §. qui filium,D.ad leg.Falcid.tract. 1.cap.7.num.5. vſque ad 10. pag.46. & num.18.vſque ad 23. pag.53.

L. Qui fundum 87.§ vlt. tract.1. cap.7.num.29.& 30. pag.57.

L. Qui duos 9. in princip. de rebus dub. tract.1. cap.8. num.7.& 8.pag.60.

L.Quæſtio 115. D.de verb. ſignifi.tract.2.cap.2.n.1.2.3. & 4.pag.69.

L.Quam-

L.Quamuis 46. D. de adquirend. poſſeſ. tract.2. c.2. num.25.p.77.

L. Qui bonafide 23.D.de adquirend. rer. domin.tract. 2.cap.4.n.16.& 17.p.99.

L.Quod meo 18. §. ſi venditorem,D.de adquir.poſſeſ. tract.2.cap.2.n.29.p.78.

L.Quarundam 51. D. de adquir.poſſeſ.ibid.

L.Qui legatorum 2.§.1.D. pro herede,tract 2. cap.2.n. 43.pag.84.

L. Quod eſt 3. §. vlt. D.vi & vi arm.ibidem.

L. Quod ſeruus 24. D. de adquir.poſſeſ. tract.2. cap.3. num.8.pag.88.

L.Quod eſt 3 §.vnde vi,D. de vi,& vi arm.tract.2.cap.3. num.10.pag.89.

L.Quoties 2.D de in diem addictione,tract.2.c.4. num. 12.pag.98.

L. Qui ſaxum 6. D.de donat.tract.2.capit.4. num.23. pag.102.

L. Qui bonafide 23. §. D. de adquirend. rer. domin. tract.2.c.9.n.4.pag.138.

L. Quæſitum 40. D. de adquirend.rer.tract.2. cap.9.n. 4.pag.138.

L. Quis autem 12. D. ex quibus cauſ. maior. tract. 2. cap.10.n.19.pag.151.

L. Qui pignoris 36. D.de adquirend. poſſeſ.tract. 2.c. 11.num.4.pag 153.

L. Quæcunque,§. 1. D. de publician. tract.2. cap.11.n. 11.pag.156.

L. Quod ſeruus 24. D. de adquirend. poſſeſ. tract.2. c. 8.num.10.& 14.p.134.

L. Qui abſenti 38. D. de adquirend. poſſeſ. tract.2. c. 12.num.7.p.161.

L.Qui mihi 13. D. de donat.tract.2.c.13. n.5. vſq; ad finem capitis,p.164.

L.Qua ratione 9.§.interdũ, D.de adquir.rer.tract.2.c.14. num.6.& 7.p.168.

L.Quæ nondum 15. D.de pignorib.tract.3.cap.2.num. 7.pag.179.

L.Quod in rerum 24.D.de leg.1.tract.3. cap.2. num.7. pag.179.

L.Qui bonafide 23. §.vlt. D.de adquirend.rer. domin. tract.3.cap.3. n.4.in fin.pag. 182.& num.8.p.184.

L. Qui fundum 7. §. qui bonafide, D.pro emptore, tract.3.c.4.n.19.p.195.

L. Qui vxorem 15. D. de iniuſt. rupt. tract.3. c.8. n.2. & per totum,p.214.

L. Quod ſi filius 11. D. de captiuis,tract.3. cap.9.n.10. vſque ad 17.pag.221.

L.

L. Quod ſi filius 11. §. ſed ſi ambo, D. de capt. tract. 3. cap. 9. num. 22. 23. & 24. p. 224.

L. Qui negotia 34. D. mandati, tract. 3. cap. 11. num. 13. pag. 235.

L. Quod ſeruus 24. D. de adquirend. poſſeſ. tract. 3. c. 11. num. 18. pag. 237.

L. Qui decem 72. §. Stichū, D. de ſolutionibus, tract. 4. c. 2. num. 8. pag. 252.

L. Quæ dotis 33. D. ſolut. matrim. tract. 4. cap. 9. num. 21. pag. 294.

L. Quod bonis 15. §. quod auus, D. ad leg. Falcid. tract. 4. cap 9. num. 22. pag. 295.

R.

L. Rem quæ 15. D. de adquirend. poſſeſ. tract. 2. c. 10. num. 45. pag. 143.

L. Rogaſti 12. §. fin. D. de rebus credit. tract. 2. cap. 10. num 9. pag. 146.

L. Res pignoris 37. D. de adquirend. poſſeſ. tract. 2. c. 11. num. 5. pag. 153.

L. Res ex mandatu 59. D. de adquir. rerum, tract. 2. c. 13. num. 3. pag. 163.

S.

L. Sed cum patrono 6. D. de bonorum poſſeſ. tract. 1. cap. 1. num. 11. pag. 6.

L. Si duobus 37. D. de teſtam. milit. ibid. num. 12.

L. Siquis heres 35. D. de adquir. her. tract. 1. cap. 2. n. 5. pag. 9.

L. Si primo 8. D. de liber. & poſth. dict. tract. 1. cap. 2. num. 9. pag. 10.

L. Si poſthumus 14. D. de liber. & poſth. ibid.

L. Si ego & Titius 19. §. 1. D. de iniuſt. rupt. ibidem, n. 10. pag. 11.

L. Si ex pluribus 9. in fin. D. de ſuis, & leg. tract. 1. cap. 2. num. 11. & 12. pag. 12.

L. Si ſolus 80. §. idē ſi ſeruus, D. de adquir. hered. dict. tract. 1. c. 2. n. 18. 19. pag. 14.

L. Si totam 83. D. de adq. hered. dict. tract. 1. cap. 2. n. 22. pag. 16.

L. Si duobus 16. §. 1. D. de leg. 1. dict. tract. 1. cap. 3. n. 9. pag. 20.

L. Si plures 98. D. de leg. 1. dict. tract. 1. c. 3. n. 12. p. 21.

L. Si Titio 61. §. 1. D. de leg. 2. tract. 1. c. 3. n. 13. p 21.

L. Si plures 98. D. de leg. 1. tract. 1. c. 4. n. 10 pag. 28.

L. Si cui 1. §. Marcellus, D. ſi cui pluſquam per l. tract. 1. cap. 6. num. 17. pag. 44.

L. Si Titio 61. §. 1. D. de leg. 1. tract. 1. cap. 7. n. 12. p. 50.

L. Si pupillus 21. § ſi ego, D. ad

D.ad leg. Falc. 1.c.8.num.9. pag.60.

L.Si rem47. in prin.D.de adquir poſſ.tract.2.c.2.n.20. & 22.pag.75.

L. Si duo 3. D. vti poſſidetis, tract.2.cap.3.num.18. pag.92.

L. Si adoptauero 16.D.de precario,tract.2.cap.2.n.29. cap.78.

L. Si ea res 31. D. de act. empt. tract.2.cap.2.num.38. & 41.pag.81.

L. Si eum qui 26.D.de donation. inter, tract. 2.c.2.n. 41.pag.82.

L.Stipulatio iſta 38. § hæc quoque, D. de V.O. ibid.

L.Si id quod 25.§.vlt.D.de adquir. poſſ tract.2.cap.3. n. 15.vſque ad 19.pag.91.

L. Si duo 3. in prin. D.vt poſſideris, tract. 2. cap.3. n. 18.pag.92.

L.Si rem tradi 28.D.de V.O. tract.2. c.4.n.6.pag.95.

L.Si ſtipulatus 4.D.de vſuris, ibid.

L.Si ager 50.D.de rei vindicat. tract.2. cap.4. num.8. pag.96.

L. Si fundus 1.D. de leg. commiſ. tract.2. cap.4.n.12. pag.98.

L.Sed & ſi 25.§.ſi duos,D. de vſufruct,tract.2.cap.4. n. 16 & 17.p.99.& n.18.p.100

L. Si ſeruus 21. in princip. D.de adquirẽdo rer. tract.2. cap.4. n.18. & 19.p.100.

L.Si fundum 16.D.de fundo dot. tract. 2. cap.4. num. 20.& 21. p.101.

L. Si cum mihi 34. D. de dolo, tract.2. cap.4.num.23. pag. 102.

L. Statu liberi 29.§ Quintus Mucius,D.de ſtatu liber. tract.2.cap.4.n.27.p.103.

L.Sed ſi pecunia 3.§.idemque erit dicendum,D.de rebus eorum, tract 2.cap.4. n. 27.pag.103.

L.Si captiuus 20. §.1.D.de captiuis, tract.2. c.5.n.25.& 26 p.116. & 117.

L.Si is qui 27.D.de adqui. poſſeſ.tract.2.c.6.n.4 p.121.

L. Sequitur 4. §.furioſus, D.de vſucap. tract. 2. cap.6. num.7.pag.122.

L.Si ſeruus 21. D.de adq. rerum, tract.2.cap.9.num.4. pag. 138.

L. Si rem 47.D.de adquir. poſſeſ. tract.2, cap.10.n.4.5. p.143.& num.6. pag.144.

L.Si ſeruus 15.D.de Publician.tract.2. cap.10. num.8. pag.145.

L.Serui & filij 17.D.de furtis, tract.2. cap.10. n.10. vſque ad 17.pag.146.

L.

L. Si ſeruus 27. §.ſerui D. ad leg.Aquil.tract.2.cap.10. n.18.p.150.

L.Seruus 33.§.eum qui D. de procurat. tract.2. c.10.n. 19.p.151.

L.Si cui 25.§.vlt.D.de liber.cauſ.tract.2. c.10. n.19. pag.151.

L.Siquis 36. D.de noxalibus,tract.2.c.11.n.7. p.154.

L.Si ſeruus,§.1. D.de noxalibus, tract.2.c.11. n.11. pag.156.

L.Sciendum,§.creditor.D. qui ſatisdar.cogant. tract.2. c.11.n.13.pag. 156.

L.Si eum 26.D.de donat. inter,tract.2.c.7.n.6. p.129.

L. Si vir.3. D.pro donato, tract.2.cap.7. num.7.& 8.p. 130.

L.Si me in vacuam 34. §. ſeruus D.de adq.poſſeſ.tract. 2.c.8.n.11.& 15.p.134.

L. Si emptam 47. D. de vſucapion.tract.2. c.8.n.25. pag.137.

L.Si vnus 27. §. fin.D.de pactis,tract.2. cap.12. n.10. pag. 162.

L.Seruus hereditarius 16. D de ſtipulat.ſeruor.tract.2. cap.12.p.162.n.10.

L.Si ex re 28. §.vlt. D.de ſtipul. ſeru. tract.2. cap.12. n.10.pag.162.

L.Seruus 35.D.de ſtip.ſeruo.tract.2. c.12.n.10.p.162.

L. Si ego 24. D.de negot. geſt.tract.2.c.13.n.3. p. 163.

L.Sed & ſi res 7.§.1.D.de public.tract.2.cap.14. n.6.& 7.pag.169.

L.Siue autem 9. §.1. D.de publician.tract.2. cap.14.n. 6.7.pag.169.

L.Si rem 62. in princi. D. de euictione. tract.2.c.14. n. 6.& 7.pag.167.

L.Si ſeruus 21.in fin.D.de adq. rer. tract.2.c.14. n.6.& 7.pag.168.

L. Si in emptione 34. §. liberũ D. de contrah. empt. tract.3.cap.2.n.7.p.179.

L.Si ſeruus communis 28. D.de ſtip.ſeruor.tract.3.c.3. n.4.& ſeq.pag. 82.

L. Si Eros 11. D. de opt. leg.tract.3. cap.3.n.4.in fin. pag.182.& n.8.

L.Si alienus 19. D. de ſtipulat. tract.3. cap.3. n.4. in fin.pag.182.

L. Si poſtliminio 29. D.de captiuis, tract.3. cap 4. n.8. 9.pag.191.

L.Si fundũ 16.D.de fund. dotal.tract.3.cap 4. num.15. pag.193.

L.Si aliena 10.in prin. D. de vſucap. tract.3. c.4.n.19. pag.195.

L.Sed

L.Sed & ſi res,§.vlt.D.de publician. tract.3.c.4. n. 19. pag.195.

L.Seruus 35.D.de ſtipula. ſeruor. tract. 3. c.4.num.21. pag.196.

L. Si ex re 8. §.vlt. D. de ſtip. ſeru.tract.3.cap.4.n.21. pag.196.

L.Si ſeruus 18.§.ſeruus D. eodem tit.de ſtip.ſeru.tract. 3.cap.4.n.21.pag.196.

L. Seruus 16.D.de ſtipul. ſeruor. tract.3. c.4. num.21. pag.196.

L.Si vnus 27.§. fin. D. de pactis, tract. 3. cap. 4. num. 21.pag.196.

L.Siquis vlt.D.de legationibus, tract.3.c.6.n.4.5.& 6. pag.201.

L. Siquis forte 19. C. de poſtlim. rei, tract.3.cap.7.n. 9.pag.210.

L.Si pater 29. D. de vulg. tract.3.cap.9. num.2. vſque ad fin. cap.217.

L.Si pater 29. D. de vulg. tract.3.c.9.num. 22. 23. 24. pag.224.

L. Si is qui pro emptore, 15.D.de vſucapionibus, tractat.3. cap.10. num. 3. & 4. pag.227.

L. Si is qui pro emptore 15.D.de vſucapionibus, tractat.3.c.11 per totum,p.230

L.Singularia 15.D.de reb. credit. tract.3. cap.11.n.13. pag.235.

L. Si me in vacuam 34. §. fin. D.de adquir.poſ.tract.3. cap.11.n.18.pag.237.

L. Si non ſinguli 5. C. ſi certum petat. tract.4. cap.1. n.5.pag 248.

L.Si ex toto 8.§.1.D.de le. 1.tract.4.cap.2.num.2. pag. 249.

L.Si Titio 16. D. de leg.2. tract.4. cap.2.n.2.pag.250.

L. Siquis 8. §.1.D. de leg.2. tract.4 cap.2.num.7.p.251.

L. Si mandatu 59. §. Paulus,D.mandati, tract. 4. cap. 3. n.2. pag.254.

L.Si paternam, C.ad S.C. Velleia tr.4. c.3.n.9.p.255.

L. Si Titius 48.D.de fideiuſ.tract.4. cap.3. n.9. 10.& 11.pag.255.

L.Si ex duobus 12. §.1.D. de duobus reis, tract. 4. c.3. num.9.pag.255.

L.Si ex duobus 11. §.1.D. de duobus reis,tract.4.c.3.n. 13.pag. 257.

L.Si mãdauero 22. §.interdum,D.mandat. tract. 4.c.5. n.4.p.261.

L.Si mandatu 45.§.vltim. D.mandati, tract.4.cap.5.n. 4.pag.261.

L. Si ei cui 11.D. mandati,

ti,tract.4.c.5.n.6. pag.265.

L. Si pupillus 45. D. de adminiſtr. tut. tract.4.c.6.n. 4 pag.266.& n.17.p.272.

L. Si per imprudentiã 51. §. vlt. D. de euictionibus, tract.4. c.6. n.6. pag.267. & num.16.pag.272. & num.15. pag.271.

L. Siquis 8. D.de interrogat.in iur. fac.tract.4.cap.6. n.17.pag.272.

L. Si ſeruum 20.D.de interrogat. in iur. fac.tract.4. cap.6.n.17.pag.272.

L.Stichum 95. §.aditio,D. de ſolutionibus, tract.4.cap. 8. num.8.pag.282.

L.Si id quod 21. §.1. D.de liberat.legat. tract. 4. cap.9. num.3.pag.284.

L.Stichum 95.§.aditio,D. de ſolut. tract. 4. cap.9.n.5. pag.285.

L. Si debitori 47. D.de fideiuſſor,tract.4.cap.9.n.7.in fin. pag.288.

L.Si deceſſerit 4.D.qui ſatiſd.cogant. tract.4.cap.9.n. 9.pag.289.

L. Si verò 5. D. qui ſatiſd. cogant.tract.4.cap.9.num.9. pag.289.

L.Sed & ſi quis 4.in princ. D. ſiquis cautionibus, tract. 4.cap.9.n 9.pag.289.

L. Si ſocer 44. D. ſolut. matr. tract.4.cap.9.num.24. pag. 296.

L. Stichum 95.§.aditio,D. de ſolut. tract.4.cap.9.n.25. pag. 269.

L.Si hereditatem 20.D.de hered. vel act.ven.tract 4. c. 9. n.26.pag 296.

L.Si duo 93. verſ idem , & ſequenti , D. de ſolutionib. tract.4.cap.10.n.2.p.299.

L.Stichum 95 §.quod vulgo,D.de ſolutionibus, tract. 4.cap.10.n.6.pag.301.

T.

L. Transfugam 51. §.1.D. de adq. rer. tract.2. cap.5.n. 27.28 pag.117.

L. Transfugam 51.in prin. D.de adq.rer.dom.tract.3.c. 7.num 9.pag.210.

V.

L.Vel ſingulis 37. D.de vulgar. tract.1.c.8.n.7.8.p.60.

L.Vxorem 41.§.legauerat, D. de leg.3. tract.2. cap.1.n. 16.pag.67.

L.Videamus 38.§. ſi poſſeſſionem,D.de vſuris, tract. 2.cap.2.num.43.pag.84.

L.Verum 63. §.ſi ſeruo, D. pro ſocio, tract.3.c.3.n.4.in fin. pag.182.& n.8.pag.184.

L.Venditor 2.§.cum quis, D. de hered. vl. actio.vend. tract.4. c.9.n.26.pag.296.

FINIS.

DE IVRE ACCRESCENDI INTER HEREDES, ET QVIBVS CASIBVS PORTIO deficiens cum onere accreſcat, & de contributione Legatorum Tractatus Primus.

Ad explicationem difficilis Papiniani reſponſi lib. 29. q. in l. in ratione 11. §. quod vulgo, & ſequentibus, D. ad L. Falcid.

INTER Illuſtres Iuris tractatus, quos explicare inſtitui, merito primum ſibi locum vendicat contributionum materia,(à Papiniano Iuriſconſultorum ſubtiliſſimo plurimis in locis, ſed præcipuè in l. in ratione 11. §. quod vulgo, D. ad L. Falcid. tractata) tum propter Digeſtorum ordinem, cum cæteræ leges quas hic liber continet in Digeſto nouo ſint collocatæ; tum propter ſummam dif-

 ficul-

ficultatem, & ſubtilitatem cum vtilitate coniunctam. Quædam enim vt Senec. lib. 6. de Benef. cap. 1. ſcribit *exercendi tantum ingenij cauſa quæruntur, & ſemper extra viam iacent; quædam & dum quæruntur oblectamento ſunt, & quæſita vſui*, inter quas, quæſtionem quam aggredimur iure poſſis connumerare.

CAP. I.

De iure accreſcendi inter heredes, & illius cauſa & origine.

1 SI plures teſtator ſcripſerit heredes, & quidam ex illis non adierint hereditatem deficientes eorum portiones, cæteris inuitis & ignorantibus tacito iure accreſcere; atque ita in hereditatibus ius accreſcendi etiam inter inuitos locum habere conſtat ex l. ſiquis heres 35. l. cum heres 52. §. qui ex parte, l. qui ex duabus, 53. §. vlt. l. qui patri 59. l. ſeruus communis 67. D. de adquir. hered. l. 3. §. vlt. D. de bonor. poſſeſſ. l. teſtamento 6. C. de impub. l. quidam elogio 20. C. de iur. delib. l. vnica, §.
2 his ita definitis, verſ. in his, C. de caduc. toll. Quod equidem accreſcendi ius ratio ipſa iuris, & neceſſitas induxit vt interpretum tam antiquorum, quam recentiorum recepta ſententia eſt, Bart. in l. re coniuncti, D. de leg. 3. num. 59. & in d. l. vnica, §. his ita, C. de caduc. tollend. Bald. in l. mihi, & tibi in prin. D. de leg. 1. Odofredus, & Ludouicus Romanus in l. vnica, C. quando non petentium partes, quos refert Iaſ. in d. l. re coniuncti num. 112. Donel. lib. 7. comm. cap. 12. Anton. Fab. de Err. prag. decad. 49. Err. 1. Cuiac. lib. 7. quæſt. Pauli in l. ſi duobus 37. D. teſtam. milit. Gifan. ſup. Codic. in l. 1. C. de teſtam. milit. nouiſſimè Franciſcus Broeus ſup. Inſt. ad tit. de leg. Falcid. §. 1.

3 Sed circa rationem illam iuris indagandam variant interpretes: antiqui namque ferè omnes poſt Bartol. loc. ſupra

præcitatis exiſtimant ea ratione ius accreſcendi inductum fuiſſe, nequis decedat pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus ex l. ius noſtrum 7. D. de reg. iur. d. l. ſi duobus 37. D. de teſtam. milit. quorum opinioni adherent Vazquez de ſucceſſionum progreſſu in præfatione num. 2. Matheac. de via iur. lib. 2. cap. 20. num. 12. Trentacinquius de ſub- 4
ſtitutione par. 1. cap. 15. & ad illam reſpexiſſe videtur Cicero de inuentione: *Vnius pecunia*, inquit, *plures diſsimilibus de cauſis heredes eſſe non poſſunt, nec vnquam factum eſt vt alius teſtamento, alius lege heres eſſet.* Verum enimverò hanc veram, germanamque rationem non eſſe apparet ex eo, quod in legitimis ab inteſtato ſucceſſionibus hæc ratio ceſſat, cum etiam iure accreſcendi non admiſſo, defunctus pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedere non poſſet, & tamen in illis ius accreſcendi locum habere certi iuris eſt l. 1. §. ſi nemo D. ad Tertyl. l. ſi ex pluribus 9. D. de ſuis, & legit. l. vnica, C. quando non petent. part. Bart. in d. l. re coniuncti, num. 59. Iaſ. num. 113. Anton. Fab. d. decad. 49. Err. 1.

Deinde quia ſiquis ex pluribus partibus fuerit inſtitu- 5
tus, quamuis ſubſtitutum habeat vel coheredem, non tamē poteſt vnam aliquam partem omittere, ſed ei cæteras adeūti omnes etiam inuito accreſcunt, l. ſi ſolus 80. in principio, D. de adq. hered. & tamen hoc caſu non erat ſuperiori rationi locus, cum pars repudiata ad ſubſtitutum, vel coheredem pertineret: atque ita ſemper, & in ſolidum teſtatus decederet ille de cuius ſucceſſione agebatur: non igitur ius accreſcendi illam habet originem, nequis decedat pro parte teſtatus, pro parte vero inteſtatus.

Vnde vera & primaria iſtius iuris ratio eſt heredita- 6
tis indiuiduitas, & perſonæ defuncti repreſentatio, nam cum perſona ipſamet decedentis indiuidua ſit, & hereditas ſimiliterque heres ad hoc inducerentur, vt eam repreſentarent, l. hereditas 61. D. de adq. rer. dom. l. heres, & hereditas 22. D. de vſucap. l. Nouatio 24. D. de nouat. auth. de iure iur. à mor. præſt. in prin. col. 5. Gloſ. in l. cum à matre, C. de rei vend. Hotman. lll. q. 25. effectum neceſſa-

rio eſt vt hereditas etiam ſit indiuidua, l. Pomponius 8. in fin. D. de rei vend. l. 1. §. quinimo, D. ſi pars her. quam diuidere aut ſcindere heres non poſſit, nec pro parte defunctum repreſentare Gloſ. in l. 2. ad fin. D. de Prætor. ſtipul. ſed ſtatim ei aliquam partem adeunti cæteræ omnes tacito iure accreſcant, vel inuito, & ignoranti, l. ſi plures 17. D. de cond. inſt. l. 1. & 2. l. ſiquis 7. §. in omni, l. ſi ex aſſe 10. l. ſi ego 26. l. ſi duo 38. l. cum heres 53. §. qui ex parte cum l. ſeq. l. cum hereditate 55. l. ſi is qui 56. l. qui patri 59. l. ſi tu ex parte 76. l. ſeruus communis 67. D. de adq. hered. l. hæc ſcriptura 16. §. 1. l. ſi ſeparatim 30. D. de cond. & demonſtr. Naturali enim, & ciuili ratione euenit, vt vnum aliquod corpus indiuiduum pro parte tangi aut teneri non poſſit quin totum teneatur, & vt apprehenſo vniuerſo integrali, vel continente cenſeantur aprehendi omnia comprehenſa, & contenta ſub illo vniuerſali, l. an pars 3. D. pro derelicto, l. vulgaris 21. D. de fur.

6 Atque hanc iuris accreſcendi originem, expreſſit Iuſtinianus in d. l. vnica, §. his ita, C. de caducis tollend. in illis verbis, *& hoc nollentib. ipſo iure accreſcat, ſi ſuas portiones iam agnouerint, cum ſit abſurdum eiuſdem hereditatis partem quidem agnoſcere partem vero reſpuere*, inſinuauit Anton. Fab. dicta decad. 49. errore 1. & ante eum, & tradidiſſe, & expoſuiſſe Duaren. lib. 1. de iur. accreſc. cap. 2. Anton. Gomez 1. tom. variarum cap. 10. num. 27. notat Oſualdus in Donel. lib. 7. cap. 12. lit. C. cum potuis notare debuiſſet rationem hanc indiuiduitatis, & repreſentationis iam olim traditam fuiſſe à Bart. in l. 1. num. 1. D. de adq. hered. & in l. Mulieri, & Titio, D. de cond. & demonſtr. & eam amplectitur, & explicat Iaſ. in d. l. re coniuncti num. 116. & ſequentibus præcipuè num. 118. in fine, & ſuperiorem illam quam ex antiquioribus retulimus refert, & ijſdem argumentis quibus Anton. Faber vſus eſt conuincit num. 112.

7 & 113. Hæc itaque eſt generalis, & primaria iuris accreſcendi cauſa ad omnem ſucceſſionem tam teſtamentariam, quam legitimam pertinés, alia namque, qua Conſulti vtuntur in d. l. ius noſtrum, d. l. ſi duobus, ex hac deſcendit,

& ad teſtamentarios heredes tantum pertinet ideoque illis ſolum applicatur.

Ex qua iuris accreſcēdi ratione, & origine apparet perperam exiſtimaſſe Duarenum lib. 1. de iure accreſc. cap. 1. cauſam efficientem iſtius iuris voluntatem teſtatoris eſſe, nec melius Oſualdum, qui dicto lib. 7. cap. 12. litt. B. affirmat non efficientem, ſed inſtrumētalē cauſam eſſe, quia teſtator, qui plures heredes inſtituit, eo ipſo voluiſſe videatur, vt deficientes portiones illis, qui adierunt adquirerentur, quaſi eos tacitè inter ſe ſubſtituiſſet, l. ſi Titio, §. 1. ff. de leg. 2. Conſtat enim voluntatem teſtatoris nihil ad ius accreſcendi, vel inducendum, vel prohibendum operari, nec tanquam cauſam efficientem, nec tanquam inſtrumentalem, idque euidenti hoc argumento colligitur. Nam in teſtamento militis ſola teſtantis voluntas ſpectatur neceſſitate legum excluſa, & iuris regulis neglectis, l. 1. l. 3. l. eius militis 34. §. vltimo, ff. de teſtamento militis, l. 1. l. 3. C. eodem, ſed in militis teſtamēto, & hereditate ius accreſcendi locum non habet, l. ſimiles 6. l. ex militari 1 r §. vltimo, cum duab. ſequentibus, l. ſi certarum 17. § Iulianus dicta l. ſi duobus 37. ff. de teſtamento mil. l. hered. 25. §. 1. ff. famil. erciſcund. elegans Papiniani reſponſum in l. filius 42. §. Papinianus de bonis lib. Vbi cum miles libertus Titium in bonis caſtrenſibus ſcripſiſſet heredem, alium vero in paganicis, & Titius pro ſua parte hereditatem adijſſet, docet Conſultus etiam alio repudiante non competere patrono bonorum poſſeſſionem contra Tab. quia bona repudiata Titio non accreſcunt, ſed abinteſtato deferuntur, & patronus in bonis caſtrenſibus nec bonorū poſſeſſionem contra Tab. habet, nec querelam, l. 3. §. patronus, ff. de bon. lib. l. 1. §. eſt, & alius caſus, ff. ſi à parente quis fuer. manumiſ. l. nam in bona 30. ff. de teſtamento mil. l. de inofficioſo 9. l. vltima, C. de inoffi. teſt. in paganicis autem ideo eam habere non poteſt, quia adita ex illis non fuit hereditas, bonorum autem poſſeſſio contra Tab. quæ patrono conceditur non competit, niſi aditā ex teſtamento hereditate, l. penultima, ff. de bon. poſſeſſione

contra Tab. l. 3. §. quid ergo, ff. de bonis lib. atque ideo excluditur patronus à contra Tab. quia in bonis, in quibus adita eſt hereditas, bonorum poſſeſſio locum non habet, in quibus autem locum habet adita hereditas non eſt, & ius accreſcendi in eo teſtamento minimè competit, vt ſufficere poſſet ab vno aditam fuiſſe hereditatem. Admittitur igitur patronus non iure accreſcendi; ſed ab inteſtato, vt in dicta l. ſi duobus traditum eſt, & hic eſt ſenſus difficilium illorum verborum dicti §. Papinianus: *Titius igitur heres, non poterit inuitare manumiſſorem, cum Titio nihil auferatur*, ſcilicet, quia ex caſtrenſibus bonis fuerat inſtitutus in quibus bonorum poſſeſſionem contra Tab. locum non habere probauimus, *nec bonis cæteris, quæ nondum ad cauſam teſtamenti pertinent.* Ideſt paganicis, quæ ad cauſam non pertinent teſtamenti cum ab inſtituto repudiata ſint, & Titio coheredi qui ex parte ſua agnouit minime accreſcant. Explicat Cuiac. lib. 13. quæſt. Papinian. in dicta l. filius, Ant. Fab. de error. pragm. decad. 72. err. 1.

11 Nec huic interpretationi aduerſatur l. ſed cum patrono 6. ff. de bon. poſſ. ibi enim agnita fuerat ab inſtituto hereditas, ſed poſteà teſtamento reſciſſo, per bonorũ poſſeſſionem contra Tab. à patrono petitam, neceſſaria fuit noua voluntas inſtituti ad agnoſcendam bonorum poſſeſſionem ſecundum Tab. partis dimidiæ, ſibi à Prætore conceſſam, vt interpretatur Fab. deca. 50. err. 8. non igitur ex teſtatoris voluntate, ſed ex neceſſitate iuris deſcendit ius accreſcendi, ſiquidem, vt ex dictis conſtat, in militis teſtamento, vbi voluntas dominatur, neceſſitate iuris excluſſa, locum non habet.

12 Nec ſufficit ad voluntatem illam præſumendam coheredum inſtitutio, vt contra Duar. & Oſualdum colligi rectè poteſt, ex l. ſi duobus 37. ff. de teſtamento mil. quo loci quamuis duo fuerint à milite inſtituti heredes, docet tamen Paulus deficientem vnius portionem non aliter alteri accreſcere, *quam ſi hæc voluntas defuncti probata fuerit, vt omittente altero ad alterum vellet totam redire hereditatem:* ergo ex eo ſolo, quod teſtator illos ſimul inſtituit, & ad

eandem hereditatem vocauit, voluntas hæc non colligitur; nam ſi colligeretur, ſatis eo ipſo, quod heredes ſimul inſtituti fuerant probaretur, nec requireret Conſultus aliam prætereà voluntatis probationem.

Verum maximam nobis hìc obijcit difficultatem Antonini reſcriptum in l. 1. C. de teſtamento mil. cum duobus à milite heredibus inſtitutis, quamuis in diuerſis bonis paganicis, ſcilicet, & caſtrenſibus, portionem tamen deficientem non aliter ad ſucceſſorem ab inteſtato pertinere docet Imperator: quam ſi liquido probetur teſtatorem caſtrenſia bona ad coheredem pertinere noluiſſe, inſtitutio itaque in eadem hereditate voluntatis indicium eſt, nec ad ius accreſcendi in militis hereditate inducendum neceſſarium eſt, vt voluntas approbetur, vt Paulus in dicta l. ſi duobus dicebat, quin pôtius, vt ius accreſcendi non concedatur, neceſſaria eſt contrariæ voluntatis approbatio. 13

Sed reiectis Acurſ. Bart. & Baldi in dicta l. 1. interpretationibus, quas ingenioſè reprobat Fab. de error. pragm. deca. 71. errore 10. omiſſa etiam eiuſdẽ Fabri ſententia, qui exiſtimat in dicta l. 1. non negatiuè, ſed affirmatiuè legendum, & loco, verbi; *noluiſſe* repoſuit: *voluiſſe*. Reſpondendum eſt in illo Imperatoris reſcripto, ideo neceſſariam fuiſſe contrariæ voluntatis approbationem: quia voluntas teſtatoris in fauorem coheredis ad ius accreſcendi concedendum præſumebatur. Hæc autem præſumptio non ex eo ſolo oriebatur, quod ſimul fuerat coheres inſtitutus, quod non ſufficere conſtat ex *dict. l. ſi duobus*, ſed potius, ex eo, quod coheres frater erat ipſius teſtatoris, ad quem veroſimile eſt voluiſſe etiam caſtrenſia bona pertinere, atque ideo ius accreſcendi admittit Imperator, ex preſumpta voluntate, niſi contraria liquido probetur in militis teſtamento, vbi poteſtas iuris non viget, & ius accreſcendi, & cætera pene omnia ex voluntate illius æſtimantur, tradit Don. ad titul. C. de teſtamento militis in dicta l. 1. Ideoque cum heredes inſtituit miles ex certis rebus, aut ex certis partibus, trahitur inſtitutio ad ſolidũ aſſem: quia 14

colligitur totam hereditatem inter eos diſtribuere voluiſſe, l. ſi certarum 17. in principio, ff de teſtamento milit. l. 3. C. eodem, vbi Don. Anton. Fab. deca. 72. err. 6.

CAP. II.

Portionem tacito iure portioni accreſcere, & de tranſmiſſione iuris accreſcendi.

1 EX iuris accreſcendi cauſa ita explicata, deducitur, vt deficẽs portio tacito iure accreſcat, ſicut in alijs corporibus, l. ſi Titio 33. §. vſumfructum, ff. de vſufr. l. interdum, ff. de vſufr. accreſc. ita ſimiliter, & in hereditate propter indiuiduitatem illius, & repreſentationis vnitatem, velut incrementum quoddam latens, ac tacita alluuio, portio difficiens aditam, vel adquiſitam portionem ſequatur, illique non perſonæ accreſcat, l. ſi totam 83. l. ſeruus communis 67. ff. de adq. her. l. hæc ſcriptura 26. §. 1. ff. de condit. & dem. l. 2. §. ſi duo, ff. de bon. poſſeſſion. ſec. Tab. Bart. in dicta l. re coniuncti num. 26. Iaſ. ibidem, Cuiac. in dicta l. vnica, § his ita, C. de cad.

2 toll. Anton. Fab. de error. pragm. deca. 80. err. 5. ideoque ſi quis portione ſua adita deceſſerit, cæteras poſtea coheredum portiones deficientes ad heredes tranſmittit, quaſi ſi aditæ portioni iunctæ iam antea fuiſſent, à qua diſcedere non poſſunt, d. l. ſi totam 83. d. l. hæc ſcriptura, §. 1. l. ſi ex pluribus 9. in principio, ff. de ſuis, & legit. l. vnica, §. his ita, C. de cad. toll. Bart. & communiter DD. in d. l. ſi totam, Odofr. Alber. & Baldus in d. l. ſi Titio, Anton. Gomez plures referens 1. tom. var. cap. 10. num. 35. Duar. de iure accreſc. lib. 2. cap. 6. Cuiac. vbi ſupra, & lib. 12. obſeru. cap. 11.

3 Quod adeo verum eſt, vt quamuis coheres coheredi ſubſtitutus ſit, ſi antè delatam ex ſubſtitutione hereditatẽ decedat, eam tamen ad heredem ſuum traſmittat, non quaſi ſubſtitutus, ſed quaſi coheres, nec ſubſtitutionis, ſed accreſ-

accreſcendi iure, l. ſiquis heres 35. l. qui patri 59. D. de adquir. heredit. quamuis enim ſi alius fuiſſet vni ex heredibus ſubſtitutus, potentius eſſet ius ſubſtitutionis, quam ius accreſcendi, & deficiens portio non ad coheredem, ſed ad ſubſtitutum pertineret; quia in iure accreſcendi, legis poteſtas tantum: in ſubſtitutione, & legis poteſtas, & voluntas teſtatoris concurrunt, l. 2. §. ſi duo. ff. de bon. poſſeſſione ſecundum tab l. fin. in principio, ff. de vulg. l. vnica, §. in primo, & §. pro ſecundo, C. de cad. toll. niſi in ſingulari ſpecie, de qua Conſultus tractat. in l. quidam 30. ff. de vulg. quia in ea voluntas teſtatoris cum iure accreſcendi concurrit, docent Bart. in dicta l. re coniuncti num. 33. Baldus in l. vnica, C. quando non petentium partes, gloſſa, & communiter DD. in l. qui patri, ff. de adquir. hered. Duar. dicto lib. 2. cap. 16. Vbi autem ipſe, qui ex parte heres fuerat inſtitutus coheredi ſubſtitutus eſt, accreſcendi ius viget, & ſubſtitutionem ad ſe trahit; vtpote quæ illius adiuuandi cauſa adiecta cenſetur ad caducarias leges euitandas, l. vnica, §. 1. C. de cad. toll. vbi Cuiacius, & Gifanius, nec debet ſubſtitutio, nec poteſt iuri accreſcendi propriam naturam, quam à lege habet, ad mere in totum, vel diminuere, ſed augere potius, & adiuuare. Quod Vlpianus indicat in l. ſiquis heres 35. ff. de adquir. her. vbi heredem ex parte inſtitutum, & coheredi ſubſtitutum, etiã ſi antequam ex cauſa ſubſtitutionis ei deferatur hereditas, pro herede geſſerit, ex cauſa quoque ſubſtitutionis heredem eſſe affirmat, *quoniam inuito quoque ei accreſcit portio*, igitur ius accreſcendi per ſubſtitutionem non impeditur, nam ſi impediretur, nec inuito accreſceret, ſed volenti, nec ante delationem ſubſtitutionis heres eſſet: quod ſi vt Conſultus ſcribit, iam ex prima aditione in ſolidum heres eſt, neceſſario totum illud ad heredem ſuum tranſmittet, ex quo heres effectus eſt, & conſequenter, etiam partem illam, in qua fuit ſubſtitutus. Idque ex ſecunda ab Vlpiano propoſita ſpecie in dicta l. ſiquis heres, euidenter colligitur, nam ſi filius, vel ſeruus ex parte inſtitutus, & coheredi ſubſtitutus, iuſſu patris, vel domini adierit here-

4 5 6

redi-

reditatem, & poſteà emancipatus, vel manumiſſus ex cauſa ſubſtitutionis adeat, patri, vel domino eam quoque partem hereditatis adquirit, & heredem eum per ſubſtitutionem facit; ergo prima aditio inſpicitur facta eo tempore, quo fuit in poteſtate; & conſequenter ſubſtitutionis portionem, quam patri adquirit, vel domino ad heredes ſuos etiam tranſmitteret, ex regula tradita in l. quæ legata 18. ff. de R.I. l. ſi filius 78. ff. de verb. oblig.

7 Quæ ſententia comprobatur manifeſtè ex l. qui Patri 59. ff. de adquir. her. nam quamuis ſubſtitutionis pupillaris ius, vtpote conditionale, & hereditatis nondum delatæ ad heredes non tranſmittatur, l. ſi plures 10. in principio, ff. de vulg. vbi tamen pupillo ex parte inſtituto coheres pupillariter ſubſtitutus eſt, etiam ſi ante pupilli mortem deceſſerit; illius tamen hereditatem ad heredes tranſmittit, non ſubſtitutionis, ſed accreſcendi iure, vt eleganter Conſultus ſcripſit in l. qui Patri 59. ff. de adquir. her. in illis verbis: *nam ſi ipſum inuitum obligat, coniungi eam paternæ hereditati, & accreſcendi iure adquiri cuicumque Patris heredi exiſtimandam eſt.* Facit etiam pro hac parte textus in l. ſi plures 10. §. filio, verbo idem, ff. de vulgari, & in l. quidam elogio, C. de iure delib.

8 Denique huius ſententiæ veritas ratione illa iuris confirmatur, nam poſthumus ſi non ſit ab omnibus gradibus inſtitutionum, & ſubſtitutionum exheredatus, ſed in ſecundo, vel tertio gradu præteritus, gradus illos vitiat, & rumpit, à quibus præteritus eſt; quamuis prius deceſſerit, quam ad eos deuoluta fuerit hereditas: & conſequenter ſi primo loco inſtitutus, à quo poſthumus exheredatus fuerat, repudiauerit, non pertinebit hereditas ad ſecundum gradum, vtpote iam poſthumi natiuitate ruptum, ſed ab inteſtato delata cenſebitur, l. ſi primo 8. l. ſi poſthumus 14.
9 ff. de lib. & poſt. Quibus ſuppoſitis, ponamus duos primo gradu heredes inſtitutos fuiſſe, Primum, & Secundum, & ab illis poſthumum exheredatum eſſe, deinde in ſingulorum locum factam ſubſtitutionem, ita: *ſi primus heres non erit, tertius heres eſto: ſi ſecundus heres non erit, quartus heres*

eſto,

eſto, & ab hoc ſecundo ſubſtitutionis gradu poſthumum præteritum eſſe: repudiante altero ex inſtitutis, non coheredi, ſed ſubſtituto locus eſt, ſecundum ea, quæ diximus: atque ita cum vnius heredis repudiatio ſecundum gradum admittat, quem poſthumi præteriti natiuitas rupit, totius teſtamenti ruptionem inducit, quod nec pro parte valere poteſt, nec poſthumus ab vna perſona exheredari, l. 3. §. filius intermedias, ff. de lib. & poſt. ideoque alter ex coheredibus ſine altero adire non valet hereditatem, l. penultima in fine, ff. de iniuſto rupto. adeo vt quamuis poſthumus morte ſua excludatur à ſucceſſione: non tamen ſubſtitutus admitti debeat, ſed venientibus ab inteſtato locus ſit: hunc enim ſenſum habent difficilia illa Africani verba: *ſi alter ex inſtitutis omiſerit, quamuis poſthumus excludatur, non tamen magis ſubſtitum admitti*, in dicta l. ſi poſthumus 14. §. nam, & cum duobus, ff. de lib. & poſt.

Quod ſi poſthumo à ſecundo gradu pręterito, idem ipſi 10 coheredes in primo gradu inſtituti ſibi inuicem ſubſtituantur, quamuis vnus ex illis repudiauerit, vel prius deceſſerit, quam hereditatem adiret; portio tamen illius ad coheredem pertinet, nec poſthumi præteritio in ſecundo gradu facta nocet, quominus ex teſtamento coheredi hereditas tota adquiratur dicta l. penultima, §. 1. ff. de iniuſt. rupto. Non igitur ex ſecundo gradu per poſthumi natiuitatem rupto coheres ſuccedit, ſed potius ex primo, & conſequenter non quaſi ſubſtitutus, aut ſubſtitutionis iure; ſed quaſi coheres per ius accreſcendi portionem deficientem adquirit; cum ſi ſubſtitutio attenderetur, idem in hoc ſecundo caſu dicendum foret, quod in primo Conſultus ſcripſit in dicta l. penultima in principio, & in dicta l. ſi poſthumus 14. §. nam, & cum duobus: accreſcendi autem ius per ſubſtitutionem non ſublatum, nec impeditum, hereditatem adhuc in primo gradu conſeruat, & retinet, à quo poſthumum exheredatum fuiſſe propoſuimus; ideoque nec teſtamentum rumpitur nec hereditas ab inteſtato deuoluitur. Ex quibus colligitur quoties ius accreſcendi cum ſubſtitutione coniunctum eſt, illius auxi-

lio

lio ſemper adiuuari, & maiores vires, non minores adipiſci, & conſequenter ad heredes tranſmitti.

11 Sed magnum nobis in hac quæſtione negotium faceſſit Marciani reſponſum in l. ſi ex pluribus 9. in fine, ff. de ſuis, & leg. nam cum ſcripſiſſet Conſultus pluribus heredibus legitimis exiſtentibus portiones hereditatis à quibuſdam repudiatas, vel alio modo deficientes cæteris, qui partes ſuas agnouerunt accreſcere; adeo vt quamuis prius deceſſerint, quam portio accreſceret, hoc tamen ius ad heredes ſuos tranſmitterent ad quos illa pars hereditatis, quaſi iam adquiſita pertineat, adijcit, *aliam cauſam eſſe instituti heredis, & coheredi ſubſtituti: huic enim viuo defertur ex ſubſtitutione hereditas, non etiam ſi deceſſerit heredem eius ſequitur.* Cum igitur coheres coheredi ſubſtitutus eſt ius accreſcendi locum non habet, ſed ex ſubſtitutione defertur hereditas, & conſequenter ad heredes non tranſmittitur.

12 Hanc tamen difficultatem doctè explicat Cuiac. lib. 12. obſeru. cap. 11. dum aduertit deciſionem textus in d. l. ſi ex pluribus, pertinere ad ius nouum, & leges Iuliam, & Papiam, quibus ius antiquum, id eſt, ius accreſcendi tantummodo inter legitimos vſque ad tertium gradum concedebatur; in cæteris vero heredibus fuerat abrogatum dict. l. vnica, §. 1. C. decad. toll. l. pater 29. in fin. ff. de leg. 2. l. ſi in teſtamento 5. ff. de vulg. Vlpian. titulo qui habeant ius antiquum in caducis, Cuiac. ad titulum, ff. de vulg. in l. 3. in fine, & dict. l. vnica, §. 1. vbi Giſanius, Anton. Fab. lib. 18. coniect. cap. 15. quapropter eueniebat, vt quamuis portio deficiens legitimi heredis ad cæteros pertineret, & iure accreſcendi ad heredes tranſmitteretur; portio tamen coheredis ad coheredem ſubſtitutum minimè poſſet per ius accreſcendi deferri, cum legibus caducarijs illud ius ſublatum eſſet; Ideoquè ceſſante iure accreſcendi in dicto textu, ceſſat etiam tranſmiſſio, cum hereditas, non niſi ex ſubſtitutione deferatur, ex qua nōdum adita tranſmitti non potuit.

13 Secundo loco nec minus euidenter tranſmiſſionem iuris accreſcendi negare videtur Celſus in l. liber homo 59.

§. ſi

§. ſi ita ſcriptum, ff. de her. inſtit. ſcribit namque duos heredes inſtitutos fuiſſe, Titium, & Meuium, vnumquemque ex parte tertia hereditatis; deinde ex reliqua parte, id eſt, *alio triente* eundem Titium ſub conditione heredem ſcriptũ aſſerit,& tamen ſi Titius ante decedat, quam conditio partis conditionalis extiterit, (illa poſteà exiſtente) ad heredem eius non pertinere portionem illam docet, ſed ſoli Meuio coheredi accreſcere, vnde fateri oportet inſtitutionem conditionalem ius accreſcendi ſuſtuliſſe,& illius naturam immutaſſe.

Dicendum tamen exiſtimo, quoties quis ex alia parte heres inſtitutus eſt pure,& ex alia ſub conditione ſolus vnicam aditionem ſufficere, ſi in omnem euentum pars conditionalis ad eum peruentura eſt; quia & ſolus fuit heres inſtitutus, & ſubſtitutum non habuerit, l. ſiquis ita 35. ff. de her. inſtit. dict. l. cum heres 52. §. vltimo cum l. ſequent. ff. de adquir. hered. Quod ſi ſubſtitutum habuit, non anteà conditionalis inſtitutionis pars illi defertur, quam conditio extiterit; quia dubium eſt, vtrum illi, an ſubſtituto deferatur, & ideo ſi prius deceſſerit, eam ad heredem non tranſmittit dicta l. cum heres 52. §. 1. Sed ſi, vt Celſus in dicta l. liber homo, §. ſi ita ſcriptum proponit, ex parte ſub conditione heres inſtitutus, non ſubſtitutum, ſed coheredem habeat, conditionalis inſtitutionis dimidia pars, id eſt, *ſextans* ſtatim illi ex pura inſtitutione adeunti accreſcit, & adquiritur; quia ſiue deficiat conditio, ſiue exiſtat, ad eum pertinere debet; ſi deficiat iure accreſcendi ſolum: ſi exiſtat, iure accreſcendi, & inſtitutionis cum toto *triente*, argumento leg. quoties 9. §. ſiquis primum, ff. de hered. inſtitut. & quidem ideo iure accreſcendi ſemper *ſextans* ad eum pertinere debet, quia *triens* pro æquis portionibus inter heredes diuidendus eſt; cum portio deficiens pro hereditarijs partibus, coheredibus accreſcere ſoleat, l. interdum 13. §. ſed ſi alter, ff. de hered. inſtit. l. ſi ita ſcriptum 8. in principio, ff. de bon. poſſeſſione ſecundum Tab. §. videamus 3. de hered. inſtit. atque ita cum duo heredes inſtituti proponantur, vnuſquiſque ex tertia parte hereditatis, id eſt,

14 (beside "Dicendum tamen exiſtimo…"); 15 (beside "non tranſmittit dicta l. cum heres…")

id eſt, quatuor vncijs; *trientis* alterius dimidia pars, id eſt, *ſextans* vnicuique per ius accreſcendi adquireretur: atque ideo, vt eleganter Conſultus ſcribit, Titius ſtatim ex ſemiſſe heres erit, futurus ex beſſe heres, ſi conditio inſtitutionis exiſtat. Qua propter ille *ſextans*, qui remanet, *in pendenti eſt*; quia ſi conditio extiterit, Titio iure inſtitutionis; ſi de-
16 fecerit, Mæuio accreſcendi iure debet adquiri. At *ſi deceſſerit Titius* ante conditionis euentum, *ſextans ille non Titij heredi, ſed Mæuio accreſcet*; quia totus inſtitutionis iure defertur: alter enim, *ſextans*, qui accreſcendi iure deferebatur iam Titio fuerat adquiſitus, & ad heredem translatus, vnde hic, qui ſuper eſt *ſextans*, vel iure inſtitutionis deferendus Titio erat, vel nullo: inſtitutionis autem iure deferri non valuit; cum ante euentum conditionis Titius deceſſerit, & conſequenter eo tempore, *quo adhuc dubium erat Titio, an Mæuio is ſextans datus eſſet, nec poſſit intelligi datus ei, qui tempore dandi in rerum natura non fuit*. l. quidam 14. ff. de iure codicil. l. ſi eo tempore 4. ff. de his quæ per non ſcriptis, &c.
17 Nec contrarium eſt, quod ex Gaio refertur in dicta l. qui ex duabus 53. ibi enim ſolus heres erat inſtitutus; ideo autem impletam conditionem poſt eius mortem Conſultus propoſuit, vt dubitabiliorem caſum efficeret, non quod neceſſarium eſſet illius implementum, aut quod ex inſtitutione deferri portionem exiſtimaret, quam totam ex prima aditione adquiſitam eſſe certum eſt.
18 Denique nec noſtræ ſententiæ, nec Vlpiani deciſioni in dicta l. ſiquis 35. §. 1. ff. de adquir. hered. aduerſatur Pauli reſponſum in l. ſi ſolus 80. §. idem ſi ſeruus, ff. de adquir. hered. vbi ſi filius ex parte heres inſtitutus pure, ex parte ſub conditione, poſtquam ex pura inſtitutione iuſſu patris adierit, emancipatus ſit, aut ſeruus manumiſſus; & conditio alterius inſtitutionis exiſtat, ipſe ſeruus, vel filius heres efficitur, ipſique adquiritur pars illa hereditatis; non autem adquiſitæ patri portioni accreſcit. Nam in dicta l. ſiquis 35. coheredis portio defecta accreſcendi iure per ſubſtitutionem, tamquam appendix adquiritur patri,

vel domino, & adquiſitam portionem ſequitur. At in di- 19
cto §. idem ſi ſeruus, cum conditio inſtitutionis extiterit, & ex ea filius, vel ſeruus adierit hereditatem, nihil de iure accreſcendi, quod in deficiente tantum portione locum habet, poteſt quæri, ſed filio vel ſeruo, vtpote tempore delationis, iam ſui iuris effectis, atque ita habilibus perſonis, adquititur hereditas, nec ad patrem, dominum ve pertinet, l.ſeruus 64. l.ſi ſeruus 82.ff. de adquir.hered.docent Cuiac. lib. 12. obſeru. cap. 14. Anton. Fab. d.lib.15. cap. 20.

Vltimo loco ex ſupra tradita iuris accreſcendi ratione 20
euenit, vt cum heres, qui grauatus eſt de hereditate reſtituenda, adhuc poſt reſtitutionem heres maneat, quia nec anteà reſtituere poteſt, quam adeat l. 4. l. apud Iulianum 11. §. idem Iulianus, l. ille, à quo 13. §. quid ergo, l. ſi patroni 55. §. qui fideicommiſſam, ff. ad Trebell. & ſemel heres effectus non poteſt deſinere eſſe heres, l. ait Prætor 7. (aliàs l. etſi ſine) §.ſed quod Papinianus, ff. de minoribus, l.ei qui ſoluẽdo 88.ff.de hered.inſtit.ſi portio alia hereditatis poſtea deficiat, non fideicommiſſario, ſed heredi, qui partem hereditatis habere videtur accreſcere debeat,
quod eleganter ex Papiniano docet Vlpian. in l. Papinia- 21
nus 43. ff. ad Trebell. vbi quamuis heres ſuſpectam dixiſſet hereditatem, & ideo nullum commodum, nec ex teſtamento, nec teſtamenti occaſione conſequi dignus eſſet, l ita tamen 27. §. qui ſuſpectam,& §. ſi præceptis, d. l. ſi patroni, § qui fideicommiſſam, ff. ad Trebell. l. is, cui hereditas 34. ff. de condictione indeb. præſupponit tamen Papinianus deficientem ei portionem accreuiſſe: ſed tamen, quia eam retinere non poteſt, cum coactus adierit, vt ex dictis legibus conſtat, dubitat, *an noua coactione*, vel potius an noua reſtitutione opus ſit; vt hanc etiam partem fideicommiſſarius conſequatur. Certi igitur iuris eſt, ſi ſuſpectam non dixiſſet hereditatem; & ei accreſcere debere deficiẽtem portionem, & apud eum remanere, explicant Cuia.lib.12.obſeru.cap.12. Anton.Fab. de error. prag. dec. 50.error.4. Fach. lib.10. controu. c.69.

Nec

hereditate in capaci reſtituenda, iudicio potius, & voluntati teſtatoris, quantum in ſe fuit, plenum obſequium præſtitit, fecit autem contra leges caducarias. Ideoque pupillarem ſubſtitutionem, illiuſque commodum, vtpote ex iudicio teſtatoris, illum ſubſtituentis, proueniens, conſequitur d. l. ex facto 43. §. vltimo, D. de vulg. Iure autem accreſdendi priuatur d.l.ſi totam 83. quia id non ex voluntate teſtatoris, ſed ex iuris, & legum poteſtate deſcendit; contra quas ipſe deliquit, & quarum diſpoſitionem oppugnauit: ſicut eadem ratione, & legis falcidiæ deductionem non habet, l. heres 11. D. de his, quæ vt indig. l. beneficio 59. §. 1. D. ad l. Falcid. Sibi namque leges ipſæ aduerſarentur, ſi ei partem auferrent hereditatis, & tamen ius accreſcendi concederent, quod ratione illius partis accedit, & veluti incrementum latens adquiritur. Ita reiecta Cuiacij interpretatione dicto lib. 12. obſeruat. cap. 12. Ingenioſè, & doctè vt ſolet explicat Anton. Faber vir iuris ſcientia maximus, interpretatione legum accutiſſimus, & meritò connumerandus, *inter Fabricios ſeruatoreſque Camillos*, magnos inquam Scæuolas, & Papinianos, de error. pragmaticor. decad. 50. errore 5.

Cum autem ad fideicommiſſarium cui reſtituta eſt hereditas, ius accreſcendi non pertinere dixerimus, nec ad hereditatis emptorem, in quo eadem ratio viget, peruenire, conſequens eſt, vt affirmemus. Atque ita ſentiunt Iaſ. Ripa, Crotus, & alij in l. re coniuncti. Salicetus in l. vnica, C. quando non per. partes. Anton. Gom. qui plures refert primo tom. variar. cap. 10. num. 44. Fachin. lib. 5. controuerſ. cap. 101. & lib. 12. cap. 69. Cuiac. dict. lib. 10 obſerua. cap. 13. Anton. Fab. dict. err. 5. Ortolfus Fomanus in ſynopſi iuris diſputat. 22. in fine, corolario 2. Euerardus Bronchroſt. Enantioph. cent. 2. aſſertione 56. 24

(†)

Vel ei, qui cum tempore teſtamẽti apud hoſtes eſſet in eadem cauſa defunctus poſtea fuiſſet, d. l. penult. D. de his, quæ pro non ſcript. l. ſi ſeruo 101. in fine, D. de leg. 1. 4
quia per legem Corneliam fingitur deceſſiſſe eo inſtanti, quo captus eſt l. in omnibus 18. l. Pater 10. cum alijs D. de capt. vel denique in metallum damnato, vel deportato alio ve modo ciuitatis Romanæ non participi l. 3. in principio D. de his, quæ pro non ſcript. l. 1. C. de her. inſt. vbi Cuiac. & in d. l. vnica, §. & cum triplici, & Giſanius ibidem.

In cauſa caduci ſunt, quæ poſt factum teſtamentum viuo adhuc teſtatore deficiunt, quæ quamuis iure antiquo 5
pro non ſcriptis eſſent; quia antequam morte teſtatoris confirmarentur, in eum deuenerant ſtatum, à quo incipere non poterant, argumento legis pro parte 11. D. de ſeruitutibus. l debitor 82 verſic. quod ſi viuo, D. de leg. 2. l. exiſtimo 96. l. pluribus 140. D. de verb. oblig. lege tamen Papia in cauſa caduci affecta ſunt d. l. vnica, §. pro ſecundo, id eſt, obnoxia fiſco, ſi morte naturali heredis, vel legatarij, vel defectu conditionis deficerent. Nam ſi 6
ſeruitute, vel deportatione, quamuis intercidere dicerentur l. intercidit 59. D. de condit. & demonſt. ius tamen antiquum vigebat, & perinde fiſco non applicabantur, quaſi pro non ſcriptis haberentur. l. 3 § 1. D. de his, quæ pro non ſcrip. quam ita rectè explicat Cuiac. loco ſupra citato.

Caduca propriè dicebantur, quæ poſt mortem teſtatoris ante apertas tabulas quocumque modo, ſiue morte na- 7
turali, ſiue ciuili, heredis vel legatarij deficiebant d. l. vnica, §. in nouiſſimo, quia cum conſtitiſſent ab initio poſteà cadebant, nam vt Vlpianus tit. 17. regularum ſcribit: *Quod quis ſibi relictum ita vt iure ciuili capere poſſit, aliqua deinde ex cauſa non ceperit, propriè id caducum appellatur.* Sicut *caduca glans* dicitur, quæ ex arbore cadit, l. ſilua. 30. §. glans, D. de verb. ſignifi. & *caduca frondes*, Virgilius primo Georgi.

Sæpè leuem paleam, & frondes volitare caducas,

Et *caduca aqua* apud Frontinum lib. 2. de aquæductib. quæ
vel ex lacu abundat aut ex Caſtellis effluit. Vnde Cicero
Philippica 5. eleganti metaphora vſus: *ne illa quidem* (in-
quit) *Antonij celeritas contemnenda eſt, quam niſi in via cadu-
ca hereditates retardaſſent, volaſſe eum, non iter feciſſe diceres.*
Caduca enim generaliter dicebantur quæ ex aliqua cauſa
in Fiſcum cadunt, l.3. D. de his quæ in teſtamento delen-
tur, l.2.in fin. D.ſiquis aliquem teſtari prohibuerit, l. cum
8 fiſco 9. D.ad S.C.Silanian.Ideo autem ante apertas tab. re-
licta deficere ſolebant, & caduca efficiebantur: quia ante
aperturam tabularum, licet ſui heredes ipſo iure heredes
exiſterent, ſiue ex aſſe, ſiue pro parte inſtituti forent, l. 3.
D.de iure delib. l.2.§.ſiquis ex liberis,D.ad Tertyllianum:
extranei tamen heredes antè apertas tabulas adire non po-
terant, niſi ex aſſe heredes eſſent, l. 1. §. vltimo, D. de iu-
ris,& facti ignorantia,l.item veniunt 20. §. ait Senatus,D.
de petit. her. vbi illa verba: *ſed, & ſi ex aſſe fiat S.Conſultum
locum habebit*; ſequenti verſic.de vacantibus bonis tractan-
ti, non præcedenti iungenda ſunt, vt Cuiac.in d.l.vnica,
§. in nouiſſimo cenſet, vel vt Anton. Fab. lib. 3. coniect. c.
16. exiſtimat, de ea ſpecie verba illa accipienda ſunt, in
qua ideo tota hereditas caduca facta eſt, quia plures fue-
runt inſtituti heredes ex parte,& ante apertas tabulas de-
fecerunt.

9 Quibus ita conſtitutis, ſi teſtator duos, plures ve here-
des inſtituerit, & coniunctim etiam eos grauauerit; quam-
uis nominatim ſub proprijs eorum nominibus, veluti,
*Lucius Titius, Gaius Seius Publio Meuio decem dare damnas
ſunto*: portio tamen deficiens ſemper coheredi cum one-
re accreſcit, ſiue pro non ſcripta habeatur, ſiue in cauſa
caduci, vel caduca ſit; ſiue fuerit repudiata: quia non mi-
nus in onere ipſo, quam in hereditate coniuncti heredes
ſunt, & non tam pars quam gradus grauatus videtur; &
plures ſimul onerati loco vnius habentur d. l. vnica, §.
his ita, C. de cad. toll. l.ſi duobus 16. §. 1. D. de leg. 1. vbi
Pomponius in propoſita ſpecie idem dicendum exiſti-
mat, ſiue coniunctus heres eſſe non poſſit eo tempore,

quo

quo adiungitur, ſiue hereditatem poſtea non adijſſet: eandem ſententiam approbant Conſulti in l. ciuitatibus 122. §.Lucius,D.de leg. 1. & in l.quidam 14. §.quod ſi duo,D. de iure codicill. docent Bart. in d. l. ſi duobus, & in d. l. ciuitatibus, Iaſ. in l. licet Imperator, D. de leg. 1. Cuiac. ad eundem titulum in d. l. ſi duobus, Anton. Fab. lib. 18. coniect. cap. 14.

Sed & ſi teſtator generaliter ab omnibus heredibus le- 10
gata vel fideicommiſſa præſtari cauiſſet, per illa viſitata verba: *Quiſquis mihi ex ſupra ſcriptis heres, heredes ve erunt, de omnibus damnas ſunto præſtare; quod cuique infra legauero, præſtari fieri ve iuſſero.* Quorum mentio fit in l. 3. l. quidam 14. §. vltimo, D. de iure codic. l. 3. l. ab omnibus 104. l. Lucius 123. D. de leg. 1. l. Lucius 88. §. quiſquis, D. de leg. 2. l.quiſquis 95. l. ſi plures 98. D. de leg. 3. & appellatur *generale caput* in l.poſt emancipationem 40.§.fin. D.de leg. 3 & in l.generale 32.D. de vſufruct. leg. Obſeruat Cuiac. lib.23.obſeru. cap. 9. in quo caſu dubium non erat, & coheredem, & ſubſtitutum legata, vel fideicommiſſa præſtare debere, quaſi expreſsè repetita,& à quocumque herede
relicta, vt ex dictis iuribus conſtat. Quod ſimiliter proce- 11
debat ſi generaliter,& abſolutè, vel imperſonaliter legatũ relictum eſſet, ita : *Seio centum dari volo*, vel, *heres meus centum dato*, de quibus formulis, & in quibus ſpeciebus accipienda ſunt, I. Conſultorum reſponſa in l. ſi Pater 47. §. fin. D. de fideicommiſ. lib. l. ſi plures 98. D. de leg. 3. l. mortuo 49. l.Pater 77. §. cum pater,D.de leg.2.l.quidam 69 §.quoties, D. de leg. 1.

Tota igitur difficultas conſiſtit in eo; vtrùm legata, 12
vel fideicommiſſa, quæ nominatim, & proprio nomine expreſſo ab inſtituto relicta ſunt, à ſubſtituto debeantur; & ſimiliter: An ille, cui coheredis portio accreſcit obſtrictus ſit oneribus nominatim alteri, à quo portio deficit, iniunctis? Et quidem legata nominatim ab vno relicta ab altero non deberi; quia *quod alicuius heredis nominatim fideicommittitur, poteſt videri ita demum dari voluiſſe, ſi ille extitiſſet heres*, docet Celſus in l. Pater 29. D. de leg. 2.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

13 Vnde infert filium, cui coheredis portio accreuit, non eſſe obligatum ad præſtationem legati nominatim à coherede relicti, & Paulus in d. l. ſi plures 98. D. de leg. 3 affirmat legatum nominatim ab aliquo heredum relictum, ad cæterorum onus non pertinere, & in l. 14. §. id quod ex ſubſtitutione, D. ad l. falc. idem Conſultus docuiſſe videtur legata nominatim ab vno ex coheredibus relicta ab altero coherede, ſimulque ſubſtituto non deberi.

14 Ex diuerſo autem Vlpianus in l. ſi Titio 61. §. 1. D. de leg. 2. quamuis ab vno ex legitimis heredibus nominatim fuerit fideicommiſſum relictum; illo tamen repudiante, portionem coheredi cum onere accreſcere affirmat, vt poſt reſcriptum Seueri in l. licet Imperator. 71. D. de leg. 1. quo legata ab inſtitutis relicta à ſubſtitutis repetita cenſentur, & *hic* coheres, *quaſi ſubſtitutus cum ſuo onere con-*
15 *ſequatur deficientem portionem.* Deinde, & Marcellus in l. cum Patronus 28. D. de leg. 2. fideicommiſſis nominatim à Patrono relictis, ſi ille ommiſerit inſtitutionem, coheredem obligatum eſſe reſpondet, *quoniam quod patroni perſonæ præſtaretur* priuilegium, vt legatis vel fideicommiſſis grauari non poſſit, l. ſi his 4. in pr. de cond. & dem. l. 3. §. filius, D. ſi apparente quis fuer. manumiſſ. l. patronus 20. D. de donationib. *hoc nequaquam ad alium pertinere deberet.*

16 Præterea, & pro hac parte ſtare videtur aliud Vlpiani reſponſum in l. 2. §. vltimo, D. de ſuis, & leg. in quo docet Conſultus legitimum heredem, quamuis gradu poſteriorem, ſi interim proximus deceſſerit, ad hereditatem ab herede inſtituto repudiatam admitti; cum onere tamen fi-
17 deicommiſſi ab eo, qui repudiauit, relicti. Quam etiam ſententiam idem, Conſultus propoſuit in l. ſi ab eo 9. D. de vſufruct. leg. dum legatum ab vſufructuario relictum, penes heredem vſufructu remanente, præſtari ab eo oportere aſſerit.

18 Sed, & Scæuola in d. l. quidam 14. D. de iure codicill. legatum nominatim ab inſtituto relictum, ſi conſiſtat, vigeſque habeat, à ſubſtituto deberi præſupponit, cum ea ratio-

ratione non deberi affirmet, quia heres in rebus humanis non erat tempore, quo relinquebatur, atque ideo legatum non conſtiterat. Nec poteſt dici in ſpecie à Scæuola tractata, appoſitam fuiſſe generalem illam clauſulam *quiſquis mihi heres erit*; tunc enim etiam ſi iam mortui fuiſſent heredes tempore, quo legata relinquebantur à ſubſtitutis deberentur; vtpote cum ad quemcumque heredem, tam inſtitutum, quam ſubſtitutum verba referantur: & ſubſtituti, ad quos etiam referuntur, in rebus humanis ſint.

19 Denique pro hac ſententia facit textus difficilis in l. qui fundum 87. § qui filium, D. ad leg. falcid. vbi Iulianus ſcribit, coheredem impuberi filio datum, eidemque ſubſtitutum teneri oneribus, & legatis nominatim à filio relictis, etiam ſi filius patri heres non extiterit: & hanc ſententiam poſt reſcriptum Imperatoris Seueri certam eſſe, & indubitatam, & non ſolum ad ſubſtitutos, ſed etiam ad coheredes pertinere conſtat ex reſcripto Imperatorum Diocletiani, & Maximiani in l. non iuſtam 4. C. ad Tertullianum, quo loci fideicommiſſum nominatim ab auia relictum, ad coheredis onus pertinere docent Imperatores, & ideo non iuſtam timoris cauſam habuiſſe fideicommiſſarium, qui dubitauerat, an propter auiæ repudiationem fideicommiſſum intercidiſſet.

20 Huius itaque quæſtionis difficultas, & inter ipſos (vt videtur) Prudentes dimicatio varias ab interpretibus ſententias extorſit: Bart. enim in d. l. ſi duobus, & in dict. l. licet Imperator, & ibidem Caſtrenſis, & Salic. relati à Iaſone in eadem lege num. *36.* & plures, quos refert Menoch. lib. 4. de præſumption. 2. par. præſump. 108. num. 24. Mantica de coniecturis vltimarum volunt. lib. 8. tit. 2. num. 15. exiſtimant repetitionem legatorum ceſſare, & portionem ſine onere accreſcere, quando nominatim ab inſtituto vel coherede legata fuerunt relicta, per textum in d. l. pater 29. cum ſupra citatis. Et Vlpiani reſponſum in d. l. ſi Titio, §. 1. (ne obſtare videatur) de ea accipiunt ſpecie, in qua non ab vno coheredum, ſed ab omnibus, expreſſis proprijs nominibus, coniunctim onus reli-

relictum eſt, vt refert Iaſ. in dicta l. licet Imperator num. 35.

21 Sed hæc antiquorum ſententia multiplici vitio laborat. Primo, quia ſi ex reſcripto Imperatoris Seueri in d. l. licet 71. in legatis nominatim relictis ab inſtituto, vel à coherede non admitteretur repetitio, nihil reſcriptum illud effeciſſet, ſuperfluumque eſſet, & inutile. Cum generaliter, vel coniunctim legata relicta, vel per illa verba: *quiſquis mihi heres erit* repetita: iam olim ante reſcriptum à ſubſtitutis, & coheredibus deberentur, vt ex ſupra dictis num. 9. & 10. conſtat, ideoque in illis non erat reſ-
22 criptum neceſſarium. Secundo, quia textum in d. l. ſi Titio 61. §. 1. perperam interpretes accipiunt de onere coniunctim iniuncto; de quo nec Iulianus potuiſſet ſcribere altero herede repudiante portionem ad alterum ſine onere peruenire, nec Vlpianus ad Iuliani ſententiam explicandam, vel impugnandam reſcripti auctoritate vteretur. Cum vt ſupra diximus ex d. l. ſi duobus 16. §. 1. & ex d. l. ciuitatibus, etiam ſine reſcripto, & ante illius promulgationem ex ratione ipſa iuris, coheres, ſicut portionis comodum conſequitur, ita etiam oneri adſtringatur. Denique, quia plurima alia I. Conſultorum reſponſa, in quibus etiam nominatim legatis relictis portio cum onere accreſcit, vel onus à ſubſtituto repetitum cenſetur, prædictæ ſententiæ obſtant, & à nobis relata ſunt: quibus tamen antiqui interpretes non ſatisfaciunt.

23 Ex diuerſo autem Alciatus de præſumptionibus regula 2. præſumptione 35. Cuiacius lib. 18. obſeru. cap. 12. & ad titulum D. de leg. 1. in d. l. ſi duobus, & ad titulum, D. de leg. 2. in d. l. Pater 29. Donel. lib. 8. comm. cap. 29. Fachin. lib. 5. controuerſ. cap. 39. docent legata vel fideicommiſſa etiam nominatim, & expreſſis proprijs nominibus coheredis, vel inſtituti relicta, cenſeri, & à ſubſtitutis, & à coheredibus repetita poſt reſcriptum Imperatoris Seueri in d. l. licet Imperator. & ſententiam Celſi; (qui ante Seueri tempora floruit) in d. l. pater 29. §. 1. ante reſcriptum procedere affirmant. Poſteà autem abrogatam fuiſſe,

fuiſſe, ſicut & Iuliani reſponſum in dicta l. ſi Titio 61. §. Iulianus, D. de leg. 2. ab ipſomet Conſulto ante reſcriptum reditum, poſt reſcriptum locum non habere Vlpian. in eodem textu notat. Quam notam, vel adiectionem Vlpiani, etiam addendam eſſe Celſi reſponſo in dicta l. pater 29. vel in eo ſupplendam eſſe ſupra dicti interpretes, & præcipuè Cuiacius aſſeuerant.

Denique Antonius Fab. aliter, atque aliter de hac quæ- 24
ſtione ſenſit, nam lib. 4. coniect. cap. 13. etiam ante Imperatoris reſcriptum in dicta l. licet Imperator 71. in coheredibus teſtamentarijs repetitionem admitti ſcripſit, poſtea autem lib. 18. coniect. cap. 14. ſententiam retractauit, & nec ante reſcriptum, nec poſt reſcriptum in coheredibus repetitionem conceſſit, quã inductã affirmat noua Iuſtiniani conſtitutione in d. l. vnica, §. pro ſecundo, & §. fin autem, C. de cad. toll. qua lege repetitio ad ſubſtitutos ex reſcripto pertinens, ad coheredes etiam producta eſt, vt ipſe exiſtimauit, motus eiuſdẽ textus verbis, vbi iſtius iuris inductionem nouiter ſibi Iuſtinianus tribuere videtur. Sed 25
nec tot Iuriſconſultorum reſponſis ante Iuſtiniani tempora portionem cum onere accreſcere probãtibus, potuit ſatisfacere Anton. Fab. ac nec tentauit quidem, & euidentiſſimum Vlpiani placitum in dict. l. ſi Titio 61. §. 1. vt effugiat, totam illam clauſulam: *Sed poſt reſcriptum Seueri, &c.* Triboniani eſſe, non Vlpiani aſſerere non dubitat. Verum neceſſe erat vt etiam Diocletiani, & Maximiani reſcriptũ in dict. l. non iuſtam 4. C. ad Trebel. Triboniano applicaret, cum in eo Imperatores multò ante Iuſtiniani Imperium, portionem cum onere accreſcere ex reſcripto Seueri reſpondeant; non quaſi nouum ius ſtatuentes (vt male Giphanius in eodem textu exiſtimauit) ſed ius quod iam antea ex reſcripto obtinebat, explicantes, vt manifeſtè verba illa textus demonſtrant. *Cum Diuo Antonino parenti noſtro deberi etiam à ſubſtitutis fideicommiſſum contemplatione iudicij teſtatoris, quaſi tacitè ab his repetitum, iam dudum placuerit.*

CAP. IV.

Sententia Alciati, Cuiacij, & Donelli defenditur, & Iuriſconſultorum reſponſis comprobatur.

1 OMiſſa itaque antiquorum illa, & Anton. Fabri nouiſſima hac opinione, veriorem exiſtimamus Alciati, & Cuiac. ſententiam, quam ſecundo loco retulimus, & ante eos tenuit gloſſa in d. l. pater 29. §. quod alicuius, & in d. l. ſi Titio, §. Iulianus, & in d. l. non iuſtam, & Cuman. in d. l. licet Imperator 71. ita tamen, vt aliqua ex noſtro penario illorum ſententiæ adijcere neceſſarium ſit, vt iuris rationi conueniat, & Iuriſconſultorum reſponſis vndequaque aptari rectè poſſit. Atque ita aduertendum eſt, etiam poſt Imperatoris reſcriptum in d. l. licet 71. eſſe aliquos caſus, in quibus vel ex ratione iuris, vel ex voluntate teſtatoris, nec repetitio inducitur, nec onus ad coheredem, vel ſubſtitutum pertinet.

2 Ex ratione iuris in his, quæ pro non ſcriptis habentur, hæc enim remanent apud eos à quibus relicta ſunt, heredes ſcilicet, & legatarios: & remanent ſine onere, vt tradidit Iuſtinianus in d. l. vnica, §. in primo, C. de cad. tol. raro enim in hac ſpecie oneri obſtrictus eſt ille, ad quē portio hereditatis, vel legatum pertinet; quia etiam onus pro non ſcripto habetur. Duos caſus proponit Accurſ. in d. l. vnica, in quibus ea, quæ ſunt pro non ſcriptis cum onere

3 accreſcunt, & Cuiac. ſcribit, non poſſe dari alterum. Primus eſt, in teſtamentario, id eſt, alieni teſtamenti ſcriptore, qui legatum ſibi, vel hereditatem, vel quid aliud teſtamento adſcripſit, quamuis enim ex Senatuſconſul. Liboniano & Claudiano tale relictum pro non ſcripto ſit, l. 1. D. de his, quæ pro nôn ſcrip. l. filius 14. in principio, & §. ſequentibus, ff. ad l. Corn. de falſis: tamen fideicommiſſum, vel aliud onus illi iniunctum, valet, ita vt portio illa, vel legatum teſtamento adſcriptum penes heredem remaneat cum onere fideicommiſſi, in quo ceſſat ratio prohibi-

hibitionis Senatus Conſulti, docet Paulus in l. vltima, D. de his, quæ pro non ſcript. l. filius 14. §. vltim. D. ad L. Corneliam de falſis. Secundus caſus eſt, vbi ſeruus legatus fuit 4
alicui, & legatarius rogatus, vt eum manumitteret, vel legatum illi relictum eſt, & fidei illius commiſſum, vt ſeruo proprio libertatem præſtaret. Nam in hac ſpecie, licet legatum ſerui, vel alterius rei ex aliqua cauſa pro non ſcripto ſit; debetur tamen ſeruo fideicommiſſaria libertas ab eo, apud quem, vel ipſe ſeruus, vel legatum remanſerit; ſiue heres ſit, ſiue legatarius, l. cum vero 26 § ſi pro non ſcripto, D. de fideicom. libert. Cuiac. in d. l. vnica, § in primo, & in d. l. ſi duobus 16. & lib. 12. quæſt Pauli in d l. vltima, D. de his, quæ pro non ſcript. Fab. dict. lib. 18. coniectur. cap. 14. Giſan. in d. l. vnica, §. in primo.

His igitur duobus caſibus exceptis, ea, quæ pro non 5
ſcriptis habita ſunt ſine onere adquiruntur, & cum iure antiquo, quod vigebat ante leges Caducarias, ea, quæ ante mortem teſtatoris poſt teſtamentum factum deficiebant pro non ſcriptis haberentur, vt diximus ſupra hoc capite num. 3. ex l. 3. D. de his, quæ pro non ſcript. quia cum ante perfectionem, ad eum caſum venirent à quo non potuiſſent incipere, perinde habebantur, ac ſi nec cepiſſent quidem, aut ſcripta eſſent, l. debitor. 82. §. quod ſi Diuo, D. de leg. 2. cum alijs ſupra num. 3. citatis, apparet rectè Celſum in d. l. pater 29. §. 1. D. de leg. 2. docuiſſe portionem ſine onere filio heredi inſtituto accreſcere, & illius reſponſum, tam ante, quàm poſt reſcriptum Seueri, ſecundum iuris rationem procedere. Ideoque in libris noſtris à compoſitoribus relictum, fuiſſe, vtpote cæteris Iuriſconſultorum reſponſis, & reſcripto Seueri minimè contrarium; loquitur enim in eo textu Conſultus de portione deficiẽte poſt teſtamentum ante mortem teſtatoris, vt ex principio legis conſtat quæ portio, cum pro non ſcripta habeatur, ſine onere ad filiũ deuoluitur. Nec obſtabit ſi quis di 6
cat Celſum floruiſſe temporibus Traiani Imperatoris; cum iam caducarijs legibus, quas ſenior Auguſtus rogauerat, talis portio poſt teſtamentum defecta, erat in cauſa caduci,

duci, non verò habebatur pro non ſcripta dict. l. vnica, §. pro ſecundo: nam cum prædictæ leges ad filios non pertinerent, vt conſtat ex dict.l.vnica in principio, quocumq; modo deficeret portio ante teſtatoris obitum, ſiue naturali, ſiue ciuili coheredis morte, ius antiquum vigebat, & pro non ſcripta habita, ſine onere ad filium deuoluebatur, idque eſt, quod Celſus indicare voluit, cum ſcripſit: *Non præſtabit legatum, quod iure antiquo capit.* Ac ſi diceret Conſultus cum filius caducarijs legibus ceſſantibus, non quaſi in cauſa caduci portionem deficientem, & ei immixtum legatum, ſed quaſi non ſcriptam iure antiquo capiat, quo ea quæ poſtea in cauſa caduci habita ſunt, pro non ſcriptis erant: ex eo fit vt non præſtet legatum, id eſt, oneri non ſit obſtrictus. Et in his oneribus, quæ pro non ſcriptis ſunt ratio illa à Celſo anteà propoſita locum habet; nam cum non aliter, quod nominatim teſtator ab vno ex heredibus reliquit, videatur dari voluiſſe, quam ſi ille extitiſſet heres, inſtitutione illius pro non ſcripta habita, coheres ad ea onera teneri non poteſt, quæ nec ab eo relicta ſunt, nec in alterius perſona, cuius quaſi tacitè ſubſtitutus eſt, dict. l. ſi Titio 61.§.1.D.de legat.2. conſtiterunt. Vbi enim in alterius coheredis perſona, & inſtitutio, & onus ei iniunctum conſtitit, quamuis poſt mortem teſtatoris deficiat, vel repudietur, alter qui partem ſuam agnouit, & deficientem quoque portionem adquiret, & oneri, quod ei impoſitum eſt obligabitur; quia *quaſi ſubſtitutus cum ſuo onere conſeque-*
7 *tur accreſcentem portionem*, dict. l. ſi Titio, §.1. Neceſſe namque eſt, vt anteà legatum aliquod fuerit, quam vt repetitũ videatur: & ideo, quod pro non ſcripto eſt, nec repetitum videtur, vt eleganter tractat Scæuola in d.l.quidam 14. D. de iure codicil. in quo textu ideò legatum nominatim ab heredibus, qui in rerum natura non erant, relictum, à ſubſtitutis non debetur, nec repetitio locum habet, quia prò non ſcripto, aut nuncupato tale legatum fuit.

8 Ex quibus apparet, quod quamuis ius antiquum appellari poſſit ius accreſcendi reſpectu legis Iuliæ, & Papiæ, quæ nouæ leges dicuntur in l.fin. D.de reg.Caton.vt notat Cuiac.lib.4.obſeru.cap.4.Hotman.lib.2. obſer. cap. 17. in

Celſi tamen reſponſo in d. l. pater, non poſſunt verba illa, *quod iure antiquo capit*: pro iure accreſcendi intelligi vt Anton. Fab. dict. lib. 18. coniectar. cap. 12. & Cuiac. in d. l. ſi duobus, & in hac l. pater, docuere: nam ex eo, quod filius per ius accreſcendi legatum conſequeretur, non rectè inferret Conſultus illius præſtationi non eſſe obnoxium; cum portio cum onere accreſcat, vt ex dictis ſatis conſtat. Quod tamen ex contrario rectè infert Celſus ex eo, quod iure antiquo capit, quo iure, quæ in cauſa caduci poſtea fuerunt, anteà pro non ſcriptis habebantur.

Conſequenter dicendum eſt eadem ratione euenire, vt 9
in principio eiuſdem legis, legatum quod eſſe debebat in cauſa caduci ad fiſcum non pertineat, nam filia heres fuerat inſtituta, contra quam fiſcus non admittebatur, dicta l. vnica in principio. Ideò autem fideicommiſſo à legatario relicto filiam obſtrictam eſſe Celſus pater docuit, quoniam teſtator, ne inhoneſto legato, & filiæ verecundiæ minimè decenti eam oneraret, liberti fidem, & miniſterium elegit, ad quem non legati commodum pertinere voluit, ſed voluntatis obſequium. Atque ea de cauſa non ipſi liberto, ſed concubinæ ab initio relictum videtur, ideoquè omiſſa media liberti; capientis, id eſt, concubinæ perſona ſpectatur, & perinde filia tenetur, ac ſi ab initio non liberto, ſed concubinæ legatum relictum fuiſſet, argumento textus in l. 3. §. etiam ſi quis iuncto, §. ſequenti, D. de legat. præſtand. l. cum dotem 57. D. ad l. Falcid. l. Auia 77. §. Titio, D. de condit. & demonſtrat.

Reſtat ad noſtræ ſententiæ confirmationem, vt Pauli 10
reſponſo in d. l. ſi plures 98. ſatisfaciamus. Et quidem reiectis interpretationibus Fachinei lib. 5. controuerſ. cap. 39. Alciati de præſumptionibus reg. prima præſumptione 35. exiſtimauerim Conſult. in d. l. non de illo tractare; an portio deficiens cū onere accreſcat, vel an à ſubſtituto repetita legata videantur; ſed potius docere, quo caſu pluribus, vel eiuſdem gradus, vel diuerſorum, heredibus exiſtentibus, legata, vel à quibuſdam eorum, vel ab omnibus debeantur. Et reſpondet Conſultus, ſi teſtator ſcripſerit:

Heres

Heres meus dato, vel quiſquis mihi heres erit, omnes heredes obſtrictos eſſe oneribus, & legatis, atque ideo ſi voluerit, non omnes heredes, ſed aliquos ex his legatorum præſtatione onerare, nominatim damnare debet: non tamen ideo negat Paulus deficientes illorum, qui nominatim ſunt grauati, portiones ad cæteros cum onere peruenire. Tractat enim eam ſpeciem in qua omnes heredes extiterunt nec alicuius portio defecit.

11 Cum autem tacita hæc repetitio, de qua tractamus, ex voluntate teſtatoris inducatur, vt ex d. l. licet Imperator, apparet; in duobus eiuſdem gradus legitimis heredibus, de quibus teſtator cogitauit, locum habet, & portio cum onere accreſcit d. l. ſi Titio 61. §. 1. D. de leg. 2. quia perinde habetur, ac ſi heredes inſtituti eſſent, cum videatur ſponte ſua defunctus his relinquere legitimam hereditatem, qua ratione admiſſum eſt, vt poſſit codicillis eos fideicommiſſis onerare, l. ſi fundum 92. § ſi Titio, D. de lega. 1. l. 2. § ſciendum, D. de leg. 3. l. 3. l. conficiuntur, 8. §. 1. D. de iure codicil. Vnde cum teſtator proximum legitimum heredem grauauit, ſi ille amittat hereditatem, ſine onere ad ſequentem deuolui certum eſt, de quo teſtator non cogitauit, & ad quem hereditas non ex voluntate teſtatoris, ſed ex alterius facto, & repudiatione pertinet. Atque ita explicandus eſt textus in d. l. 1. §. illud, D. de legat. 3. & in concordiam reducendus cum d. l. ſi Titio, § 1. vt ſcripſit Oſualdus in Don. lib. 8. comment. cap. 8. littera A. reiecta Anton. Fabri ſententia, qui lib. 4. coniect. cap. 15. nega-

12 tionem in dicto §. illud, abundare, & tollendam affirmat. Et hac ſimiliter ratione etiam in l. penultima, D. de iure codic. quamuis in eodem gradu ſint legitimi heredes, non tamen filius ille, de quo teſtator non cogitauit: quia exiſtimabat in rerum natura non eſſe, oneri, alteri iniuncto obligatur. Denique explicationem textus in dicta l. 1. §. id quod ex ſubſtitutione, D. ad L. falcid. cum ad contributionis tractatum pertineat ſuo loco reſeruamus.

(∴)

CAP.

CAP. V.

De lege Falcidia, & illius ratione in ſingulis heredibus ponenda.

CVm latiſſima illa poteſtate legandi ſibi ex l. 12. Tab. concesſa l. verbis legis 120. D. de verbor. ſignific. teſtatores abuterentur, & totum ſuum patrimonium legatis erogarent, ne heredibus propter minimum lucrum hereditatem adire recuſantibus teſtamentum deſtitueretur, & tota teſtatoris voluntas corrueret, l. 1. in principio, & §. dolo, & toto tit. D. ſiquis omiſ cauſa teſt. l. ſi patroni, 55. §. qui fideicommiſſam, D. ad Treb. latiſſima illa poteſtas legibus Furia, & Voconia coanguſtata fuit; quarũ prima ſtatutum eſt, ne cui pluſquam mille aſſium legatũ capere liceret, ſecunda ne vllus legatarius plus habere poſſet, quam heres, vt referunt Vlpian. titulo 1. §. 2. Paulus lib. 4. ſententiarum tit. 8. Cicero actione 3. in Verrem, Dio Romanæ Hiſtoriæ lib. 56. 1

Sed cum facile his legibus fraus fieri, & earum ſanctiones eludi poſſent, vt aduertunt Theophilus in principio Inſt. de l. Falcid. Don. lib. 8. comment. cap. 22. atque ita vltimis elogijs plenè proſpectum non eſſet principio Inſtit. de l. Falc. nouiſſimè Lex Falcid. à Publio Falcidio Tribuno plebis lata eſt anno ab vrbe condita 711. vt Contius in faſtis conſularibus ſentit, vel 712. vt noſtrorum erudiſſimus Anton. Aug. lib. de legibus in l. Falcid. vel 713. vt Hotm. in diſput. de 4. Falcidia, vel denique 714. cum adhuc Auguſtus triumuiratum gereret, nec inter cætera munia Senatus & Magiſtratuum etiam Tribunitiam poteſtatem in ſe tranſtuliſſet, vt conſtat ex Dione in Auguſto dicto lib. 56. & referunt Petrus Gregor. lib. 42. ſintag. cap. 34. Duaren. lib. 2. diſput. cap. 10. D. Anton. Pichardo Vinueſa olim Primarius iuris Ciuilis, in hac Salmanticenſi Academia interpres, nunc Regius Senator, communis non ſolum Hiſpaniæ, ſed Europæ magiſter, in doctiſſimis 2

ſuis commentarijs ad inſtitutiones tit. de leg. Fald. in principio à num. 15. Quæ Falcidia Lex primo capite abrogatis illis anterioribus legibus plenam legandi facultatem teſtatoribus reſtituit; ſecundo verò capite facultatem hanc ita exerceri voluit, & ea conditione conceſſit, dum tamen ita legata darentur, vt non minus quam partem quartam hereditatis eo teſtamento heredes caperent, aut conſequerentur l. prima in principio, D. ad L. Falcid. principio inſt. eodem Vlpian. in fragmentis tit. 22. Anton. Aug. vbi ſup. Petrus Gregor. d. cap. 34. Duaren. d. cap. 10. Don. d. lib. 8. comment. cap. 2. Goueanus ad hunc titulum in præfatione, & lib. 2. variar. cap. 1. Couar. in cap. Rainuntius de teſtamentis Fomanus diſput. 17. theſi 21.

3 Ex quibus legis Falcidiæ verbis in d. l. 1. relatis, ſimulque & ex illius mente deſcendit, vt quartæ Falcidiæ detractio heredibus tantum competat, quorum aditio volũtatem teſtatoris ratam conſtituit d. l. ſi patroni, §. qui fideicommiſſam: non verò legatarijs, vel fideicommiſſarijs concedatur, etiamſi vniuerſales fideicommiſſarij ſint, quibus ex Trebelliano hereditas reſtituta eſt, l. filius famil. 18. l. lex Falcidia 47. §. vltimo, D. ad l. Falcid. l. 1. §. denique, & ſequenti, l. mulier 22. §. vltimo, D. ad Trebel. l. coheredi 41. §. quod ſi heredem, D. de vulgari: quia ex legatarij, vel fideicommiſſarij agnitione confirmatio teſtamenti non dependet: *Cum autem ſemel adita eſt hereditas, omnis voluntas defuncti rata conſtituitur*, d. l. ſi patroni, §. qui fideicommiſſam, ideoquè dici ſolet legem falcidiam heredum cauſa fuiſſe introductam, l. pater 28. l. pater 54. l. poteſt 71. D. ad l. Falcid.

4 Vndè apparet in fideicommiſſario vniuerſali differentiam conſtituendam eſſe: vtrum pro legatis ab herede relictis, & illius nomine conueniatur; an verò pro fideicommiſſis à ſe ipſo datis, & ex propria ſua perſona. Primo enim caſu legis Falcidiæ beneficio fideicommiſſarius vtetur, ſi heres eo vti poterat, & quatenus vti poterat: quia non tanquam fideicommiſſarius, ſed tanquam heres ex cuius perſona conuenitur, quartam detrahit, aut deducit.

Secun-

Secundo verò caſu integra fideicommiſſa præſtare tenetur: quia tanquam fideicommiſſarius conuenitur, & ad eum legis beneficium non pertinet, l. facta 63. §. ſi cum ſuſpectam, D. ad Trebel. docuit Papinianus, & rationem hanc differentiæ elegantibus verbis expreſſit in d. l. ſi patroni 55. §. qui fideicommiſſam, ibi: *Non eſt contrarium, quod legata cætera non vltra dodrantem præſtat: aliud eſt enim ex perſona heredis conueniri, aliud proprio nomine defuncti precibus adſtringi.*

Ex qua iuris ratione illud etiam fit, vt in teſtamento militis, in quo Falcidia ceſſat, l. ſi certarum 17. §. vltimo, D. de teſtamento militis, l. in teſtamento 11. C. eodem, l. ſi poſt miſſionem 17. l. ad veterani 40. l. ſimiles 92. D. ad l. Falcid. fideicommiſſarius minimè poſſit quartam retinere. Non enim poteſt proprio nomine: quia fideicommiſſarius. Non heredis nomine: quia nec ipſe poterat lege Falcidia, vti l. 1. §. denique, D. ad Trebel. Qua ſimiliter ratione euenit, vt cùm heres ſuſpectam hereditatem dixit, & compulſus adijt, fideicommiſſarius quartam deducere non poſſit, quam nec heres potuit, l. cogi. 16. §. Mæcianus, l. ex aſſe 28. in fine, D. ad Trebel. Verum etſi heres non aliqua iuris 6 neceſſitate obſtrictus, ſed propria liberalitate plenum obſequium teſtatoris voluntati præſtare voluit, & hereditatem fideicommiſſario ſine quartæ detractione reſtituit: cõſequens eſt vt nec ipſe fideicommiſſarius ex heredis perſona Falcidiam retineat. Nihi heres in ipſum ſolummodo fideicommiſſarium, beneficium illud conferre deſtinauit ad quem liberalitatem tantum voluit pertinere, d. l. 1. §. inde Neratius, D. ad Treb.

Nec ſuperioribus aduerſantur textus in l. Plautinus 43. 7 §. vltimo, D. de condit. & demonſtrat. l. pœnales 32. §. ſi Titio, D. ad L. Falcidiam, l. facta 63. §. ſi Titius, D. ad Treb. In his enim iuribus legatarius non deducit Falcidiam, ſed imputat fideicommiſſario, quod à ſe deductum eſt. Vt ſicut legatum ſibi relictum, per Falcidiam diminutum fuit; ita ſimiliter, & fideicommiſſum ab illo relictum, & legato contentum, vel comprehenſum diminui neceſſario oporteat

teat, l.ſi mihi 97. D. de leg. 1. docet Cuiac. lib. 20. quæſt. Papiniani in d. l.ſi patroni, §. qui fideicommiſſam, & tra-
8 ctatu 6. ad Africanum in d. l. ex aſſe, eodem titulo. Quod ita demum locum habet, ſi non appareat teſtatorem integrum fideicommiſſum dari voluiſſe, d. l.pœnales 32. §. vltimo, & hæc præſumptio reſultat in libertate relicta, dict.l. pœnales, §.vltimo, & in alimẽtis legatis, quæ quidem alimenta integra præſtari debent, ſi maiorem quantitatem non contineant, quam quæ ad fideicommiſſarium, vel legatarium ex primo legato peruenit, l. maritum 25. §.1. D. ad l. Falcid. l.liberto 21.§.à liberto, D. de annuis leg. Atq; ita totam hanc quæſtionem explicandam exiſtimamus, licet Donel. lib. 8. com. cap. 27. & Gouean. ad titulum, D. ad l. Falcid. in d. l.pœnales, aliter, ſenſiſſe videantur.

9 Si igitur heres (quem ſolum legis Falcidiæ beneficium habere diximus) totius hereditatis quartam non habeat: quia legata hereditatis dodrantem exceſſerint, lex Falcidia locum habet, & ſuam poteſtatem exercet. Si verò legata non excedant dodrantem, & heres totius hereditatis quadrantem integrum conſecutus fuerit, ceſſat lex Falcidia. Quamuis ex diuerſis partibus heres inſtitutus ſit pure; vel ex alia pure, ex alia ſub conditione, & aliqua ex his partibus legatis exhauſta, vel onerata proponatur. Commiſcentur enim portiones, & legata contribuuntur, & non illius partis, quæ grauata fuit, ſed totius hereditatis vires attenduntur, & quantitas ſolidi patrimonij inſpicitur: quia vnica aditio ſufficit, vt ſupra in primo capite diximus ex l. cum heres 52. §. vltimo, & l.ſequenti, l. ſi ſolus 80. D. de adquir. hered. & conſequenter Falcidiæ legi locus non erit, ſi ex omnibus portionibus illa pars apud heredem ſit, quæ quadrantem totius hereditatis conficiat, hac lege noſtra, §.quæſitum, verſic. aliam eſſe cauſam, l.1, §. id, quod ex ſubſtitutione, verſic. is enim, l.qui fundum 87. §.ſi tu ex parte, D. ad L. Falcid. explicat Donel. lib. 8. comment. cap. 23. Cuiac. lib. 61. Digeſtorum Iuliani in d. l. qui fundum, § ſi tu ex parte, vbi & Goueanus.

10 Quod ſi nõ vnus heres, ſed plures ſint inſtituti, & alicu-

ius

ius portio onerata ſit, vel exhauſta legatis; quamuis cæterorum portiones, vel integræ ſint, & illibatæ, vel ita legatis, aut fideicommiſſis grauatæ, vt quadrans penes heredes remaneat: ille tamen heres, cuius partem oneratam eſſe diximus, lege Falcidia vti poterit, quia pluribus heredibus exiſtentibus legata: *Non contribuuntur, nec commiſcentur, nec communi calculo ſubijciuntur, ſed in ſingulis heredibus rationem legis Falcidiæ componendam eſſe non dubitatur,* in ſpecta ſingularum portionum quantitate, & illius oneribus conſideratis l. in ſingulis 77. D. ad l.Falcid. §.1.Inſtit. eodem, Bart. in l.qui fundum,§.coheres, Donel. vbi ſupra, Cuiac.in hac l. noſtra lib.29.quæſt. Papiniani,& lib.4. obſeruat. cap.35. Quod quidem tunc locum habet cum omnes heredes exiſtunt, ſed ſi aliquis ex illis heres non ſit, & ideo illius portio, vel coheredibus accreſcat, vel coheredi; & ſimiliter ſi hereditas ab inſtituto non adita ad ſubſtitum deuoluatur, vel ſi pupillarem hereditatem,& paternam ſubſtitutus pupillaris admiſerit: vtrum portiones vel hereditates confundantur, & commiſceantur, ita vt omnibus legatis in vnum contributis vnica Falcidia deducatur; magna,& ſubtilis quæſtio eſt. In qua ſeparatim de pupillari ſubſtitutione, & de vulgari, & de iure accreſcendi tractabimus. Sed prius de ſecundis tabulis videamus, ad explicationem difficilis Papiniani reſponſi in l. in ratione 11. §. quod vulgo, & ſequentib. D. ad l. Falcid.

CAP. VI.

In tabulis patris, & filij vnam falcidiam ſeruari, & de contributione legatorum, tàm in paterno, quàm in pupillari teſtamento relictorum, ad interpretationem textus in l.in ratione 11.§.quod vulgo,cum ſequentibus.

SI pater filium heredem inſtituerit, & ab eo legata primis tabulis reliquerit, filiaque ſi heres erit, & intra 14. annum deceſſerit, pupillariter Titium ſubſti- 1

tuerit, illumque legatis grauauerit, conuenit inter Conſultos confundenda, & commiſcenda eſſe legata in pup illaribus tabulis relicta, cum his, quæ in teſtamento paterno data ſunt, perinde, ac ſi in eo ſub conditione data fuiſſent. Atque ita contributis in vnum legatis tam his quæ ab ipſo pupillo, quàm illis, quæ à ſubſtituto impuberi relicta fuerunt, placuit *in tabulis patris & filij*, vel quod idem eſt, *in duplicibus teſtamentis vnam Falcidiam ſeruari*, *vel ſemel legem Falcidiam eſſe inducendam*, hac lege noſtra, §. quod vulgo, & ſequentibus, l. 1. §. interdum, l. 11, cui 231. l. in duplicibus 79. l. qui fundum 87. §. coheres, D. ad l. Falcid. l. 1. §. 1. D ſi cui plus, quam per l. Falc. docent Bart. & Alexand. in hoc §. quod vulgo, vbi Gouean. & in d. l. in duplicibus, Cuiacius lib. 29. quæſt. Papin. in hac l. in ratione, & lib. 4. obſeruat. cap. 34. Donel. lib. 8. commentar. cap. 23.

2 Quæ equidem Prudentum regula à Papiniano in hoc §. quod vulgo, relata contraria iuris principijs videtur. Nam cum duplex ſit teſtamentum, alterum patris, alterum filij, d. l. in duplicibus, dict. l. 1. §. 1. D. ſi cui pluſquam per, &c. tanquam ſi ipſe filius ſibi heredem in ſecundis tabulis inſtituiſſet, §. igitur inſt. de pupillar. Quomodo poſſunt legata in pupillari, diuerſoque teſtamento relicta, in paterno ſub conditione data videri?

3 Deinde, quia hereditas pupilli diuerſa eſt, & diſtincta à patris hereditate, & quæ ab illa ſeparari rectè poſſit, l. ſi filius 12. D. de vulgari, l. quæſitum 40. l. Iulianus 42 (alias ſi pupillus) D. de adquirend. hered. l. ita tamen 27. §. qui ſuſpectam, verſic. quia potuit; D. ad Trebel. l. 5. §. qui principale, D. de his, quæ vt indign. l. in quantitate hoc titulo. Vnde duas hereditates diuerſorum hominum, & per quas diuerſæ perſonæ repreſentantur, confundi, & commiſceri, abſurdum, & contra iuris rationem merito videatur.

4 Sed tamen, vt primæ obiectioni ſatisfaciamus, teſtamentum patris, & filij, licet reſpectu duarum hereditatum duplex appelletur, l. 2. §. illud, D. de hered. vel act. vend. dicta l. in duplicibus, infra hoc titulo dict. l. 1. §. 1. D. ſi cui

plus

plus,quam,&c. vnum tamen iudicium, & teſtamentum eſt
dicto §. igitur inſt. de pupil.d. l.2.§.illud, l. penultima, D.
quemad. teſtamenta aperi. §. l.2. prius, l. ſed ſi plures 10.
§. 1. l.patris 20. D.de vulg. d. l.quæſitum 40.D. de adquir.
hered. l.vt bonorum 9. D.de bon.poſſ.ſecundum tab. l.pa-
ter famil.28.de D.de rebus auct.iud. poſ. Non mirum igi-
tur ſi cum vnum teſtamentum ſit, legata in tabulis pupil-
laribus relicta perinde legatis in teſtamento patris præſti-
tis contribuantur, ac ſi in eo data fuiſſent, & ſubſtitutus
perinde legis Falcidiæ rationem ponat, ac ſi patri heres ex-
titiſſet, hac l. noſtra,§.ſi filio,d.l.qui fundum 87.§.vlt.

Nec ſecunda obiectio huic veræ iuris rationi aduer- 5
ſatur. Fatemur enim diuerſas eſſe hereditates, & ſeparari
rectè poſſe, caſibus illis exceptis, de quibus latius tracta-
uimus Epiſ. exercitat. lib epiſt.1. exercitatione 1. & epiſt.
5. exercitatione 6. vbi de hac quæſtione egimus, de qua
tractant Donel. in l. quidam elogio,C.de iure delib. Dua-
renus ad titulum de adquirend. hered. cap. de effectu re-
pudiationis, Cuiac. lib.3.quæſt. Papin. in l.ſi filius 12. D.
de vulg. Anton. Fab. de erroribus pragm.dec.32.erro.1.&
ſequent. Bened. Pinel.lib.1. ſelect.cap.13. Atque inde effi-
ci aſſeueramus, vt in ratione legis Falcidiæ imponenda nó
commiſceantur, nec confundantur hereditates iſtæ, quæ
diuerſæ, & diſtinctæ ſunt. Contribuuntur enim legata, &
cómiſcentur,quia in vno teſtamento relicta. Habetur ſub-
ſtitutio ſimiliter pro inſtitutione, & ad intellectum inſti-
tutionis reuocatur, quia ex vno teſtamento capit formam,
& originem. Sed tamen, quia hereditates diſtinctas eſſe 6
conſtat,non commiſceri etiam certum eſt. Verum paterna
hereditas à pupillari diuiditur, & non vtriuſque partis,
vel hereditatis, ſed paternæ tantum quantitas inſpicitur,
hac lege noſtra, § ſi filio, verſic. vt enim,d.l.in duplicibus.
Et conſequenter cum in ratione legis Falcidiæ tempus
mortis ſpectetur, l. in quantitate 73. l. cum quo 56. in-
fra hoc titulo,§. quantitas inſt. eodem l.eo tempore 50.§.ſi
creditor, D. de peculio, de cuius explicatione, & conci-
liatione cum l. ſi creditor 83. infra hoc titulo vidédi ſunt,

 Cuiac.

Cuiac.lib.9.queſt.Papin.in d. l. eo tempore, & lib. 2. obſeru.cap.30. Donel. lib. 8. comment. cap.25.in noſtro caſu non filij mortem attendimus, nec bona, quæ illo tempore habuit,conſideramus,ſed eam ſolam ſubſtantiam inſpicimus,quam pater cum moreretur, habuerit, d.l. in duplicibus.79. dicto §.ſi filio, l. ſi filius 12. in fin.D. de. vulg. docent Cuiac.dict.lib.29. quæſt. Papiniani in hac lege noſtra Donel.d. lib. 8. comment. cap. 23. Hotmanus in diſp. de quarta Falcidia,Gouean. ad titul.D.ad legem Falcidiam in hac lege.

PARAPHRASIS.

Ad §.quod vulgo & ſequentibus dict.l.in ratione 11.

7 QVA firmiſſima iuris ratione duce horribiles hos (vt Bart. dicebat) §§. & difficiles illorum quæſtiones ſine timore aggredi poſſumus. Et quidem in hoc § quod vulgo incipit Papinianus explicare mentem, poteſtatemve illius regulæ à Prudentibus traditæ *In tabulis patris, & filij vnam Falcidiam ſeruari*, proponitque illum caſum in quo ſolus filius heres inſtitutus eſt, vnicumque pupillarem ſubſtitutum habuit, ſi intra pubertatem deceſſiſſet; & tam à filio, quàm à ſubſtituto legata data ſunt,docetque Conſultus.Quod quamuis poſtquam pupillus heres extitit, legatis ſe obligauerit, l.3. §. vltimo,D.quibus ex cauſ.in poſſeſ. l. ſi quis 5. §. heres D. de O.& A. §.heres inſt.de obligatione quæ ex quaſi contractu;atque ideò legata à pupillo relicta non tanquam legata, ſed tamquam pupilli debita, vel *æs alienum quodlibet* à ſubſtituto deberi videantur l.1.C. de bonis auct. iud. poſſ. & conſequenter ex illis Falcidia non eſſet deducenda; quæ ex ære alieno non deducitur, l.ſi debitor.12.l.æris 39.l.qui fundum 87.§.ſi quis heredem. infra hoc titulo, l. in imponenda 6.l. irritum 8.C. eodem, §.cum autem inſt.eodem, l. ſi de bonis 10. C. de iure deliberandi,*tamen propter ea legata*

gata, quæ data ſunt tabulis ſecundis contributioni locus eſt, vt in vnum omnia confundantur, & ex omnibus Falcidia detrahi debeat. Cum enim legata relicta à ſubſtituto perinde habeantur ac ſi ab inſtituto primis tabulis relicta eſſent; efficiunt, vt priora legata paterni teſtamenti, non liquido à pupillo debita fuerint, ante contributionem communemque calculum omnium legatorum; qua propter nec ſoluere legata illa integra pupillus debet, niſi cautione interpoſita *ſi cui plus, quam per legem Falcidiam, &c.* d. l. 1. §. interdum, d. l. is, cui 31. hoc titulo d. l. 1 §. 1. D. ſi cui plus, quam per l. Falcid. Ideòq; legatis, non æri alieno connumerantur, & cum illis, quæ à ſubſtituto relicta ſunt contribuuntur. Atq; ita omnibus legatis, tam primi teſtamenti, quàm ſecundarum tabularum communi calculo ſubiectis, & æſtimatione patrimonij ad tempus mortis patris relata, ſi vltra dodrantem erogatum fueri, ex omnibus quadrantem deducere ſubſtitutus poterit. 8

Secundum quæ, ſcribit Papinianus in verſic. ſecundum, *poſſe euenire, ne ſubſtitutus quicquam retineat*, Falcidiæ nomine, *vel vt longè plus habeat quarta paterna hereditatis*; Plus ſi auctior fuerit ampliorve pupilli hereditas, quam fuerat paterna; nihil, ſi minor, vel diminutior. Nam ſi ille, qui quadringenta in bonis habebat, à pupillo ducenta legauerit, à ſubſtituto eius centum, habet ſubſtitutus integrum hereditatis quadrantem, morte patris inſpecta, cum alia centum illibata illi remanſerint. *Quid ergo ſi non ſufficiat pupilli hereditas legatis, cum patris ſuffeciſſet.* Veluti ſi poſtea pupillus hereditatem paternam diminuerit in centum; ad ſubſtitutum tercenta tantummodo peruenient, quæ integra legatarijs ſoluere tenebitur, ſine vlla Falcidiæ deductione: quia legata non pro modo, vel quantitate pupillaris, ſed potius paternæ hereditatis præſtanda ſunt d. l. ſi filius 12. in fine, D de vulg d. l. in duplicibus, hoc titulo. Atque ideò vt Papinianus eleganter docet *de ſuo quadrante* (ideſt ſeptuaginta quinq; quæ retinere poterat ſi pupilli patrimonium intueremur) *nimirum præſtabit ſubſtitutus* legatarijs, *quoniam pater* non de pupilli patrimonio 9

legauit, ſed *de ſuo*, in quo quadrans heredi integer remanebat. Nec contrarium eſt, *quod ex nullo teſtamento præſtatur vltra vires patrimonij*, *cum* in hoc caſu non præſtet ſubſtitutus legata vltra vires hereditatis; licèt præſtet integra, & vltra dodrantem: quia non patrimonium filij, neque eius teſtamentum; ſed patris iudicium, & hereditas ſpectatur: *Et in hac parte iuris legata, quæ tabulis ſecundis relinquuntur quaſi primis ſub conditione relicta intelligantur*. Vnde cum ex primo teſtamento patris præſtentur, ex quo quadringenta in bonis remanſerant, non vltra vires patrimonij præſtantur, ſi quidem ex eo quadrantem integrum heres habiturus fuerit.

10 Non proponit Papinianus exemplum illius caſus, in quo ſubſtitutus longè plus habiturus ſit quarta paternæ hereditatis: quia ex contrario propoſito exemplo ſatis colligebatur. Nam ſi pater qui quadringenta in bonis reliquit, à filio ducenta legauerit, à ſubſtituto alia ducenta, & cum pupillus decedit quingenta in hereditate relinquat. Cum non illius, ſed patris hereditas ſpectetur, deducet ſubſtitutus centum Falcidiæ nomine, quæ efficiũt quartam paternæ hereditatis, & in ſuper habebit alia centum à pupillo poſtea acquiſita; vel etiam mille ſi mille acquiſiſſet, atque ita *longe plus* conſequetur, quam fuit *quarta paternæ hereditatis*, explicant Bart. hic, vbi & Goueanus. Hotman. diſput. de quarta Falcidia cap. 4. num. 29. Cuiac. dicto lib. 29. quæſt. Papiniani hic, Donel. dicto lib. 8. cap. 23. Nicolaus à Salis in ſicilimentis iuris ad titulum de lege Falcidia in hoc, §. quod vulgo.

Ad §. ſi filium.

11 Nullum nec in hoc lib. nec in toto corpore iuris hoc §. difficiliorem eſſe affirmat hic Bart. In eo autem Papinianus ſuperiorem regulam *in tabulis patris, & filij, vel duplicibus teſtamentis vnam Falcidiam ſeruari*, explicare pergit, docetque pupillo herede inſtituto, duobuſque illi ſubſtitutis; ſi alterius portio exhauſta, vel onerata ſit, alterius autem

autem pars ſubſtitutione non fuerit onerata : alterum quidem ſubſtitutum, cuius portio onerata eſt, & qui ex perſona pupilli falcidia vti non potuiſſet, ex ſua perſona, & tanquam inſtitutum falcidia vti poſſe: alterum vero, qui tanquam inſtitutus, & ex propria perſona falcidiam, quam ſaluam habebat, deducere non valeret, contributis legatis à pupillo relictis quaſi ſubſtitutum poſſe retinere. Proponit ergo Conſultus illum caſum, in quo pater, qui quadringēta in bonis habuit, filium ex eſſe heredem inſtituit, & ei duos pupillariter ſubſtituit, *Titium*, *& Sempronium*, & à filio in primis tabulis legauit quinquaginta à *Titio* autem ducenta, & à *Sempronio* centum & quinquaginta in ſecundis tabulis reliquit. In qua ſpecie alterius ex ſubſtitutis, id eſt, Titij portio exhauſta eſt legatis; alterius, id eſt Sempronij pars non eſt onerata; cum ad quemlibet eorum ducenta ex hereditate perueniant, atque ita Sempronius ducētorum quartam integram habeat, id eſt, quinquaginta. Ait igitur Papinianus. *Si filio ſuo duos ſubſtituerit & alterius portionem onerauerit* : *tractari ſolet* inter Prudentes, *an* Titius *ſubſtitutus*, cuius portio exhauſta eſt, *ex perſona ſua falcidiam poſſit inducere, quam pupillus non vtique haberet.* Cum etiam contributis legatis ducentorum à Titio ſubſtituto relictis cum his quinquaginta, quæ à pupillo relicta ſunt, integra centum & quinquaginta remaneant penes pupillum, quæ efficiunt totius hereditatis quadrantem, & inſuper quinquaginta. Qua ratione ſimiliter, nec ſi vnus pupilli ſubſtitutus eſſet falcidia vti poſſet, vt Papinianus indicat in illis verbis; *vel vnus pupilli ſubſtitutus.* Cum ratio patrimonij, & legatorum ad teſtamentum patris referatur, perinde ac ſi omnia legata in primis tabulis relicta fuiſſent, ex quibus ſicut pupillus, ita vnicus ſubſtitutus centum & quinquaginta illibata conſequeretur. Vnde *facile quis dixerit conſequenter prioribus, quæ de patrimonij ratione dicta ſunt*, in § antecedenti, *non eſſe falcidiæ locum, & vltra vires portionis conueniendum alterum ſubſtitutum*, ideſt, Titium, & integra ducenta, quæ ad eum peruenerunt, legatarijs præſtaturum. *Sed* tamen vt Papinianus

ait,

ait, *verior eſt diuerſa, vel contraria ſententia exiſtimantium per inde huic* ſubſtituto *quartam relinquendam, atque ita ſi patri heres extitiſſet,* vt in eadem ſpecie, in qua alter ex ſubſtitutis oneratus eſt, alter non eſt oneratus docuere Gaius, & Vlpian. in l.ſi is, qui quadringenta 80. infra hoc titulo, & l.1.§. Marcellus, D. ſi cui plus, quam per l. Falcid. *Vt enim opes patris,* id eſt, facultates, & bona paterna, *& contributio relictorum,* tam à pupillo, quàm à ſubſtituto, *inde capiunt formam, & originem,* ex primis ſcilicet tabulis *Ita* duo, *plures ve ſubſtituti ſubducta perſona pupilli,* ac ſi interpoſita non fuiſſet *revocandi ſunt ad intellectum inſtitutionis*, & eo modo conſiderandi, ac ſi in primo teſtamento coheredes inſtituti eſſent: & conſequenter non ſunt legata confundenda, vel contribuenda, ſed vniuſcuiuſque portio ſeparatim conſideranda, & onera ſeparatim attendenda: quia in ſingulis heredibus legis Falcidiæ rationem ſeparatim ponendam conſtat ex d. l. in ſingulis 77. hoc titulo.

13 In verſic. *Quid tamen*, incipit agere Papinianus *de altero ſubſtituto,* ad quem cum ducenta ex ſubſtitutione peruenerint, & legata ſint ab eo tantummodo centum, & quinquaginta, legatis *oneratus non eſt*, ſi illa ſolum legata, quæ ab eo relicta ſunt ſpectemus. Dubitatque Conſultus *quid* dicendum ſit *de* hoc *ſubſtituto, ſi forte nondum legata pupillus à ſe relicta ſoluit*; ſit ne quartam ſubſtitutus deducturus, ſi propter legata à pupillo relicta aliquid ſupra dodrantem debeat: eo quod *aliquit vltra dodrantem ſit in omnibus,* legatis, tam ab illo quàm à pupillo relictis. Debet autem vltra dodrantem viginti quinque ex perſona pupilli, à quo quinquaginta legata fuiſſe propoſuimus, quorũ onus diuiditur inter ſubſtitutos pro æquis portionibus; an igitur *dicemus*
14 *& ipſum* hunc *ſubſtitutum Falcidiam habiturum?* Dubitandi ratio ex illo deſcendebat, quod Papinianus dixerat hos ſubſtitutos comparandos eſſe inſtitutis: *Sempronius* autem (de quo tractamus) vt inſtitutus integrum quadrantem habet, id eſt, quinquaginta nec in eo oneratus eſt. Idque indicat Conſultus in illis verbis: *At qui quartam habet, neque idem patiatur inſtituti comparatio.* Ratio autem dicendi

illa eſt,quod cum *Sempronius* legata ex ſecundis tabulis, & ex primis debeat, quibus omnibus legatis in vnum contributis vltra dodrantem in viginti quinque oneratus eſt; ſi illi Falcidiam denegauerimus, nec contributionem legatorum,nec vnam Falcidiam ſeruari in tabulis patris, & filij concedamus conſequens erit, contra Prudentum regulam in §. quod vulgo,traditam. Quam decidendi ratio- 15
nem expreſſit Papinianus breuibus illis verbis, *rurſus ſi negemus*, ſcilicet Falcidiam ſubſtitutum deducturum, *aliud aperte, quam quod vulgo probatum eſt reſpondetur.* Vnde concludit Conſultus *varietatem exiſtere*, vel diuerſitatem conſtituendam eſſe, vt Titius, *is quidem qui proprio nomine oneratus eſt, veluti inſtitutus*,& ex propria perſona,*deſideret quartam*, vel deducat: Sempronius autem, *qui non eſt oneratus*, ex propria perſona, *licet portio eius largiatur*, id eſt, tribuat vel concedat, vt inſolidum à legatarijs conueniendus eſſet, ſi ad intellectum inſtitutionis reuocaretur: tamen *vt ſubſtitutus* propter contributionem legatorum à pupillo relictorum, vel quod idem eſt, *propter calculi confuſionem non inſolidum conueniatur*, ſed quartam Falcidiam retineat. *Quibus conſequẽs* eſſe docet Papinianus, vt ſi pupillus legata à ſe relicta integra ſoluerit, & ei à legatarijs *de falcidia cautum fuit*, duobus his ſubſtitutis *committatur ſtipulatio, videlicet in eam quantitatem quam* delegatis ſolutis *vnuſquiſque ſibi* propter leg. Falcid. *retinere potuiſſet.* Quod etiam ſimiliter traditum eſt in dicta l. ſi is,qui quadringenta 80. hoc titulo & in d. l. 1. §. Marcellus, D. ſi cui plus, quam per l. Falcid. Quamuis enim Titius, qui ex propria perſona oneratus eſt proprio, non pupilli iure Falcidiam deducat: cum tamen pupillo heres exiſtat, ſtipulationis ab eo interpoſitæ ius ad illum quoque pertinet. Quam equidem cautionem 16
ſi cui plus,quam per l. Falcid. ſemper, pupilli tutores à legatarijs exigere debent quoties legata à pupillo relicta ſoluunt, ſi ſubſtituti etiam legatis ſint grauati;alioqui namque erunt eo nomine ſubſtitutis obligati, l. 1. §. interdum, l. is cui 31. l. ſi is,qui quadringenta hoc titulo. Eſt autẽ ille ſingularis caſus, in quo heres agere poteſt cum defunctus

non

non potuerit; pupillus enim quamdiu vixit, Falcidiæ locus non fuit, atque ideò nullum ex omiſſione cautionis illi damnum irrogatum eſt: eo autem mortuo, & contributis legatis in ſecundo teſtamento relictis, cum damnum nō interpoſitæ cautionis tunc appareat, ſubſtitutus, idemque pupilli heres contra tutores propter non interpoſitam cautionem agere poteſt, vt Iulianus docet in l. reperitur caſus 84. D. ad. l. Falcid.

17 Nec ſuperioribus aduerſatur textus in d. l. 1. §. Marcellus, D. ſi cui plus, quam per l. Falcid. vbi alter ſubſtitutus oneratus legatis, licet non præſtet vltra id, quod ex hereditate conſequitur, l. 1. §. ſi is, qui l. ex facto 17. §. non tantum, D. ad Trebel. l. ſed cum 15. D. de iure codic. integram tamen ſuam portionem legatarijs ſoluit, nec dedúcit quartam Falcidiam. Hoc enim ideò fit, quia alterius portio nullis eſt grauata legatis, quæ cum nondum adita ſit, poteſt legatarijs proficere ſi repudietur, vel deficiat: quia quantitate patrimonij ad tempus mortis teſtatoris redacta, centum, id eſt, integra quarta illibata remanſiſſe videbitur. Qua propter ſubſtituti, tam qui oneratus eſt, quam qui non eſt oneratus, cautionem à legatarijs exigere poſſunt, quæ cautio vtrique proficiet, ſi æris alieni onus poſtea emergat, & illius ſoluendi cauſa, legata iam ſoluta repetere ſubſtitutis neceſſarium ſit.

CAP. VII.

De contributione legatorum, & legis Falcidiæ ratione ponenda inter coheredes, ſiue portio ex iure accreſcendi, ſiue etiam ex vulgari, aut pupillari ſubſtitutione deferatur, ad explicationem l. 1. §. id quod ex ſubſtitutione § ſi coheredis, & l. qui fundum 87. §. qui filium, D. ad l. Falcid.

1 IN hac, de qua agendum nobis eſt, quæſtione, non ſolum legata, & hereditates, ſed etiam ipſa iuris principia inter ſe confundi, contribui, & commiſceri videntur

tur; adeò plurima ad illius explicationem concurrunt, quæ deſtinguere, & ſeparatim attendere oportet. Et quidem ſupra capite 3. in fi e diximus, & in § præcedenti, ſi filio, repetitur eſt, duobus heredibus inſtitutis, ſi vnuſquiſque portionem ſuam agnouerit, in ſingulis ſeparatim rationem legis Falcidiæ imponendam, & ſingularum portionum quatitatem conſiderandam, & onera attendenda, dicta l. in ſingulis, hoc titulo. Sed ſi vnius coheredis portio deficiat, & ad coheredem deuoluatur; quæritur: vtrum duarum portionum legata contribuenda ſint, ita vt illis communi calculo ſubiectis, non onerata portio oneratam ſuppleat, & legatarijs proſit; an vero legatorum ratio ſeparetur, ita vt ex onerata portione quartam deducat heres, licet alteram integram portionem fuerit conſecutus. Nec ſpectetur, vtrum totius patrimonij, ſed vtrum vniuſcuiuſq; portionis quadrantem habeat. In qua quæſtione recepta, 2 & vera eſt illa diſtinctio, quam Gaius tradidit in l. quod ſi alterutro 78. infra hoc titulo, vt ſi illius qui heres extitit portio exhauſta fuerit, adiuuentur legatarij per deficientem portionem non oneratam, & confundantur partes, partiumque legata contribuantur. Si autem pars deficiens exhauſta ſit, cum agnita portio non fuerit grauata, partium, & legatórum ſeparatim ratio habeatur, & perinde in portione deficiente lex Falcidia locum habeat, atque ſi ad eum, ipſum pertineret, à quo defecta eſt. Vel vt interpretes loquuntur, quoties portio integra accedit portioni oneratæ, augeantur legata: quoties autem onerata integræ adiungitur, legatarijs non proficiat, ſed ita hoc caſu in ſingulis portionibus Falcidia imponatur, quemadmodum in ſingulis heredibus ſolet poni. Atque ideò, quamuis coheres propriam portionem integram habeat, poſſit tamem ex accreſcēte portione onerata Falcidiam retinere, l. 1. §. id, quod ex ſubſtitutione, & §. ſi coheredis, hac l. in ratione, §. quæſitum, d. l. quod ſi alterutro 78. dict. l. qui fundum 87. §. qui filium, hoc tit. Bart. in hoc §. quæſitum, & in d. l. qui fundum, § vltimo, Alexand. ibidem, Donel. lib. 8. comment. cap. 23. Cuiac. lib. 4. obſeruat. cap. 35. &

lib.

paratione, vel ſimilitudine heredis pro parte pure, pro parte ſub conditione inſtituti potuiſſe vti, cum conſtet in eo caſu confundendas eſſe portiones, & legata augeri, d. l. quod ſi alterutro. Nam Iulianus in d. l. qui fundum 87. §. qui filium, proponit ſpeciem in qua pater *filium ſuum impuberem, & Titium aequis partibus heredes*, inſtituit, & *à filio totum ſemiſſem legauerat, à Titio* verò coherede, eodémque ſubſtituto, *nihil* reliquerat, & tamen docet Conſultus ſi *Titius ex inſtitutione* partem ſuam *adijſſet, & impubere filio* antequam patri heres exiſteret, *mortuo, ex* vulgari quoque *ſubſtitutione* ſucceſſerit in aliam portionem, *ſolida eum legata præſtare debere*, nec in parte deficiente, quamuis onerata ſit, Falcidiam exercere poſſe: *quia confuſi duo ſemiſſes efficerent, vt circa legem Falcidiam totius aſsis*, vel hereditatis ratio haberetur, ex qua cum integram ſuam portionem cõſecutus fuerit, quæ plus quàrtã hereditatis continet, nihil legatarijs, Falcidiæ nomine poterit auferre. Sentit ergo manifeſtè Iulianus, etiam cum portio onerata accedit non oneratæ ex ſubſtitutione vulgari confundi portiones, & legata augeri. Quod ita verum eſſe etiam ipſemet Cuiacius, qui contrariæ opinionis aſſertor in dictis locis fuerat, fateri compulſus eſt, tam manifeſto Conſulti reſponſo inductus, vt conſtat ex eiuſdem ſcriptis, lib. 61. Digeſtorum Iuliani in d. l. qui fundum, §. qui filium; cum itaque & iuris rationem, & Bartoli, antiquorumque, & Antonij Fabri, Antonijque Goueani, & denique ipſius Cuiacij auctoritatem pro noſtra ſententia habeamus, eam veriſſimam eſſe non dubitabimus affirmare.

8 Sed quia huic aſſertioni, & Iuliani reſponſo in d. l. qui fundum 87. §. qui filium, aduerſari grauiter videtur textus in d. l. 1. §. id, quod ex ſubſtitutione, D. h. titul. vbi de vulgari ſubſtitutione locutus Paulus, legata augeri docet, ſi pars deficiens onerata non ſit; è contra autem non augeri in verſic. ſed ea, ſcribit, ſi ille, cuius portio onerata fuerat omiſerit hereditatem, atque ita illa pars acceſſerit integræ, Donel. dicto cap. 23. & Oſualdus ibidem littera D. contrariam ſententiã huius præcipuè loci argumẽto moti tenue

tenuerunt : noſtræ autẽ partis interpretes varie huic difficultati reſpondent. Cuiac.enim d. lib.16. Iuliani in d.§.qui filium ſcribit *poſt multam, & variam mentis ſua huc, & illuc agitationem, & curam vix tandem animaduertiſſe ita reſpondendum eſſe,* vt dicamus, in prima illius textus parte nulla legata relicta fuiſſe à coheredere, cuius portio defecit. Ideòque per deficientem portionem, agnitam partem augeri; at vero in ſecundo caſu tam ab eo, qui portionem repudiat, quam ab eo, qui partem ſuam agnouit, legata fuiſſe data. Quapropter non eſſe rationi congruum, vt legata à coherede repudiante relicta augerentur,ſolidaque præſtãda eſſent: alia verò à coherede, qui agnouit præſtita, diminuta per legem Falcidiam legatarijs ſoluerentur, ideòque contributis legatis portiones confunduntur. Ita vt ex omnibus tam ab vno coherede,quàm ab altero relictis Falcidia deducenda ſit. Verum hæc Cuiacij interpretatio ex 9
eo minus placet, quod vel portio, quæ accedit ita onerata eſt, vt quartam hereditatis non efficiat; vel quamuis grauata fuerit quartam tamen totius hereditatis conficit: vel denique licet totius hereditatis quartam non contineat: portionis tamen propriæ quartam, vel quartæ partem continet. Primo caſu dubium non eſt alterius portionis legata augeri non poſſe, cum portio quæ accedit proprijs oneribus non ſufficiat, nec de illo quæſtio eſſe poterat. Secundo legata per eam augebuntur, cum integra præſtanda ſint. Tertio licet integra non præſtentur, ſed ex omnibus contributis quarta deducatur, vt Cuiacius ſenſit:augeri tamen legata conſtat; cum quarta illa portionis iam aditæ, quæ cæteris quoque legatarijs proficit, efficiat vt ſi non ſolida legata, minus tamen diminuta præſtentur, quam ſi ex illis ſolis quarta deducenda eſſet.

Vnde magis placet duorum Antoniorum, Fabri dicto 10
lib.4. cap.13 & Goueani in d. l. 1. §. id quod ex ſuſtitutione, ſententia,exiſtimantium in d. §. id quod ex ſubſtitutione, illam ſpeciem à Conſulto propoſitam fuiſſe,in qua coheredes non erant inuicem ſubſtituti,ſed vnus tantum eorum in alterius locum fuerat vocatus. Teſtator enim qui quadringenta in hereditate reliquerat Titium,& Sempro-

nium pro æquis partibus heredes inſtituit, & ſi Titius heres non eſſet, Sempronium ſubſtituit, & ad hereditatem vocauit; à Titio vel nihil legauerat, vel non amplius centum legatis erogauerat; à Sempronio autem inſtituto tota
11 ducenta reliquerat. In hoc caſu manifeſtum eſt, ſi Titius non fuerit heres, non ſolum portionem ſuam proficere legatarijs, ſi non ſit onerata, ſed etiam ſi onerata fuiſſet per Sempronij partem augeri: quia ex vulgari ſubſtitutione portio illa defertur, & ideo ſine diſtinctione legata contribuuntur. Si autem Sempronius repudiauerit cum Titius ei non fuerit ſubſtitutus, ſed tantum coheres datus, & ex iure accreſcendi deficiens portio, quæ onerata fuit, adquiratur: conſequens eſt, vt ex regula l. quod ſi alterutro, nec contributioni locus ſit, nec legata augeantur, quæ nominatim à Sempronio relicta fuerant, & ex quibus tanquam ex perſona Sempronij Titium quartam deducit, licet integrã ſuam portionem conſequatur. Nam ſi legata non à Sempronio nominatim, ſed per illa verba, *quiſquis mihi heres erit,* etiam à Titio teſtator reliquerit; cum non tam ex Sempronij perſona, quam ex propria etiam à Titio debeantur, ſine dubio augebuntur: quia integra Titij portio illis quodammodo onerata videtur.

12 Verum obijciet aliquis legata etiam nominatim à Sempronio relicta, videri repetita à Titio, quaſi tacitè ſubſtituto, poſt Seueri reſcriptum in l. licet Imperator, D. de leg. 1. vt expreſsè docet Conſultus in l. ſi Titio 61. §. 1. D. de lega. 2. Ideòque perinde augeri, & integra præſtanda eſſe, ac ſi per illa verba, *quiſquis mihi heres erit,* generaliter fuiſſent adſcripta. Sed reſpondetur tacitam illam repetitionem reſcripto Seueri inductam operari, vt ita legatis coheres obligetur quemadmodum obligaretur ille à quo nominatim relicta proponebantur, & ex cuius perſona legata præſtat; cum portionem deficientem non ex voluntate teſtatoris, ſed ex lege habeat, ideòque quartam deducere poterit, quemadmodum ille deduxiſſet: non autem poſſe efficere repetitionem tacitam, vt ſicut ſi à ſeipſo expreſsè fuiſſent data, per ſuam portionem augeantur. Hoc enim

vt

vt eueniat neceſſarium eſt, vt vel ex vulgari ſubſtitutione, & voluntate teſtatoris ſuccedat, vel expreſſa illa repetitio, *quiſquis mihi heres erit*, interponatur, tacita enim non ſufficiet.

Vnde apparet ex hoc textu non probari legata nominatim relicta ab vno ex coheredibus, repetita ab altero non cenſeri, vt minus rectè exiſtimarunt, Alexand. in d. l. licet Imperator num. 10. D. de leg. 1. Menoch. de præſumption. lib. 4. præſumptione 108. num. 3. Anto. Gomez. 1. tom. variar. cap. 12. num. 36. Quin potius apparet contrarium neceſſario euinci, cum eo ipſo quod Paulus non augeri legata docet, ſed ex illis quartam Falcidiam deducendam eſſe, apertè præſupponit debita eſſe, & præſtari à coherede oportere, quaſi tacitè repetita. Sed decepti ſunt interpretes verbis illis: *non augebuntur*: quæ ita acceperunt, ac ſi ſcriptum eſſet: *non debebuntur*. 13

Cui interpretationi ſolet obijci, quod ſi in d. §. id quod ex ſubſtitutione, de iure accreſcendi in ſecundo caſu tractaſſet Conſultus, ſuperfluus eſſet tractatus in ſequenti, §. ſi coheredis ſubiectus, quem totum de iure accreſcendi eſſe manifeſtum eſt. Continet autem textus ille aliam etiã non leuem difficultatem, quod ex Caſſij opinione Antonini decreto comprobata deciſſum videtur. Quoties onerata portio non oneratæ accedit, confundendas, & commiſcendas eſſe portiones, contra id, quod ſupra à nobis dictum eſt, & manifeſta Iuriſconſultorum reſponſa in d. §. id, quod ex ſubſtitutione, & in d. l. quod ſi alterutro. In qua equidem quæſtione, vt in maximè difficili diſenſiſſe apparet Sabinianos à Proculeianis. Docet enim Paulus in d. §. ſi coheredis, quod ſi mea portio integra ſit coheredis autem mei pars fuerit onerata, & illam vindicauero, quod meæ portioni accreuerit, Caſſium exiſtimaſſe confundendas eſſe portiones, & contributioni locum fore: Proculum autem diſenſiſſe, & ſeparari partes oportere, nec contributionem induci cenſuiſſe, & in ea ſpecie refert Conſultus etiam Iulianum Proculo aſſenſiſſe, licet in alijs diſſenſerit, cum diuerſæ ſectæ ſit, vtpote Caſſianus. Quam 14 15

Proculi, & Iuliani ſententiam, ſeparandas portiones exiſtimantium, & ipſe Paulus probabiliorem eſſe putat, adijcit tamen (in quo tota huius loci difficultas conſiſtit) *ſed & Diuus Antoninus indicaſſe, dicitur commiſcendas eſſe vtraſque partes in computatione legis Falcidiæ.* Quomodo namque pro ſuæ opinionis confirmatione, contrarium Imperatoris decretum Paulus potuit adducere; aut quæ audacia eſt Iuriſconſultum contra Imperatoris ſententiam de iure reſpondere?

16 Sed tamen vt breuiter nos his difficultatibus explicemus, dicendum arbitramur: Rectè Paulum, cum in §. id, quod ex ſubſtitutione, de duobus heredibus tractaſſet, quorum alter etiam ſubſtitutus fuerat; docuiſſetque non ſicut in ſubſtituto portiones confunduntur, ita & in coherede commiſceri, in hoc §. ſi coheredis, ſubijcere latiorem cõtributionis in coheredibus tractatum, ad comprobationem ſuæ ſententiæ, in fine præcedentis §. propoſitæ. Refert igitur Conſultus Caſſianorum, & Proculeianorum diuerſas opiniones, tãdemque concludit verum eſſe, quod etiam in præcedenti §. docuerat, quoties ex iure accreſcendi onerata portio non oneratæ accreſcit, ſeparandas eſſe portiones, & contributionem non admittendam ex ſententia Proculi, & Iuliani, quam ipſe Paulus probabiliorem exiſtimat, licet ſecundum Caſſij ſententiam aliquandò An-

17 toninus iudicaſſe dicatur. Nam decreta Principum, vel in controuerſijs ſententiæ, ius non faciunt, nec pro lege habentur, niſi inualuerint, vſuque receptæ ſint, l. 3. C. de legibus, Bart. in l. 1. ff. de conſtitutionibus Principum, Duaren. de condict. indeb. cap. 6. Ideòque meritò tantorum Iuriſconſultorum auctoritate motus iuriſque ratione inductus potuit Paulus Caſſij opinionem, & Antonini decretum non probare, vt aliàs etiam feciſſe conſtat. Sæpè enim à Principe cũ ei aſſideret, diſſenſit, vt colligitur ex l. Æmilius 38. D. de minoribus, l. Paula Callimaco 27. §. 1. D. de leg. 3. l. Clodius 97. D. de adquirend. hered. l. vltima, D. de iure fiſci, explicant ita hunc textum Duaren. ad legem Falcidiam cap. 8. Anton. Fab. d. lib. 4. coniect. cap. 13. Cu-

iacius lib.15.obſeru.cap.14. & lib. 29. quæſt.Papiniani in d.§.quæſitum,licet dicto lib.4.obſeruationum cap.35. negationem deeſſe exiſtimauerit, & legendum, *non commiſcendas.*

Ad l. qui fundum 87. §. qui filium hoc titulo.

His ergo ita conſtitutis iam ad §. quæſitum noſtræ legis deueniamus; ad cuius interpretationẽ aduertendum eſt. Si coheres filio impuberi datus ſit poſſe euenire, vt vel idem ipſe coheres pupillariter filio ſubſtituatur, vel alius qui in primis tabulis non fuerit cum filio heres inſtitutus: de quibus caſibus ſeparatim tractandum erit. In primo igitur caſu, vbi coheredem coheredi impuberi ſubſtitutum diximus, quoad legata à ſe, & à filio in primis tabulis relicta, ſubſtitutus coheredis iure vtitur: quoad legata autem, quæ ab eo ipſo tam in primis, quàm in ſecundis tabulis teſtator reliquit, heredis ex parte pure, & ex parte ſub conditione inſtituti inſtar obtinet. Quapropter ſi pater, qui quadringenta in bonis habebat, filio, & Titio heredibus inſtitutis, *à filio totum ſemiſſem legauerit, à Titio nihil,* & filio, poſtquam heres patri extiterat, intra pubertatem mortuo, Titius ex pupillari ſubſtitutione heres fuerit. Cum portio pupilli in inſtitutione onerata accreſcat portioni integræ, & in hac ſpecie ſubſtitutus coheredis iure vtatur, quartam retinere poterit; nec ampliora legata præſtabit, quam quibus pupillus obligatus fuerat, *quia non ſuo nomine*, tanquam ſubſtitutus obligatur, *ſed defuncti pupilli, qui nihil amplius quam ſemiſsis dodrantem*, retenta quarta parte *præſtare debuit*, vt eleganter Iulianus ſcripſit in d. l.qui fundum,§.qui filium,verſic.ſi vero patri. Differentiam hanc conſtituens inter ſubſtitutum,qui ex vulgari ſubſtitutione ſuccedit, & eum, qui ex pupillari heres exiſtit. Quod ſi è conuerſo filij ſemis integer ſit, cum Titij portio fuerit in inſtitutione onerata, & Titius ex pupil-

18 (margin, beside "His ergo")

lari ſubſtitutione ſucceſſerit, cum coheredis iure vtatur, eadem ratione euenit, vt quia portio integra accedit oneratæ legata augeri debeant,& contribui,& portiones confundantur,d.l.qui fundum, §.quod ſi extranei, ſicut in coheredibus euenire ſupra diximus ex d. l. 1. §. id quod ex
20 ſubſtitutione, & ſequenti, & ex d.l. quod ſi alterutro. Vnde illud, quod Iulianus ſubijcit in d. l. qui fundum, §. eadem, ita intelligi debet,vt duobus impuberibus filijs à patre inſtitutis, inuicemque ſubſtitutis eadem dicenda ſint, quæ circa extraneos coheredes ſubſtitutos, in §§. antecedentibus Conſultus dixerat, ſcilicet, vt ſi ex vulgari ſubſtitutione ſuccedant,legata contribuantur ſine vlla diſtinctione: ſi autem ex pupillari, diſtinguendum ſit,an portio, quæ accedit onerata fuerit,vel non; vt in prima parte contributionem non admittamus, in ſecunda vero contributio admittenda ſit, vt conſtat ex d.§. qui filium, & ex d. §. quod ſi extranei.

21 At vero ſi teſtator à Titio coherede legata in inſtitutione præſtiterit, & eundem etiam in ſubſtitutione pupillari, ſecundisve tabulis grauauerit,non coheredis,ſed ſubſtituti inſtar obtinebit,& legatis contributis, portionibuſque confuſis vnicam Falcidiam deducet. Legataque ſecundis tabulis relicta perinde præſtabit, ac ſi pure partem, & ſub conditione partem alteram accepiſſet, vt docet Papinianus in l. coheredi 41. §. coheres, in principio, D. de vulg. Quod Papiniani reſponſum, qui non ita acceperunt, nec veram hanc iuris rationem perſpectam habuere, fruſtra explicare,& in concordiam adducere conantur cum d. l. qui fundum, §. qui filium in fine.

22 Egimus de primo caſu, in quo idem ille, qui coheres filio datus fuit,eidem ſubſtitutus eſt;nunc de ſecundo tractemus, in quo non coheredem ipſum,ſed alium filio ſubſtitutum fuiſſe propoſuimus. Sicut autem & heres cum filio inſtitutus, & ipſe filius coheredes inter ſe ſunt; ita ſimiliter, filio intra pubertatē mortuo, illius ſubſtitutus co-
23 heredi in primis tabulis ſcripto coheres eſt. Nec mirum ſi illum, qui in primis tabulis & hunc, qui in ſecundis inſtitu-

ſtitutus fuit, coheredes eſſe dicamus: nam & ſi eadem res Titio in paterno teſtamento, & Sempronio in pupillaribus tabulis fuerit relicta, coniuncti re ſunt, & colegatarij Titius, & Sempronius, & in eandem rem concurrunt, l. plane 34. §. ſi coniunctim, verſic. ſed ſi in pupillari, D. de leg. 1. vt ingenioſè ratiocinatur Papinianus in d. l. coheredi, §. coheres in fine. Vnde infert in ſupra dicta ſpecie ſubſtitutum pupilli, ſi illius portio grauata ſit, Falcidiæ rationem inducere, *quaſi plane ſub conditione primis tabulis heres inſtitutus, tametſi maximè coheres filio datus quadrantem integrum*, ex portione ſua *obtineret*: quia in ſingulis heredibus ſeparatim ratio Falcidiæ legis imponenda eſt, d. l. in ſingulis hoc titulo.

Ad §. quæſitum, l. in ratione 11.

Ex qua Papiniani doctrina explicationem accipere 24 debet eiuſdem Papiniani reſponſum in §. quæſitum noſtræ legis. In quo tractat Conſultus *quemadmodum legis Falcidia ratio inquiri debeat, ſi quis pupillo coheredem ſubſtituiſſet, & quale ſit*, quamve mentem habeat, aliud dicterium Iuriſconſultorum vulgo traditum; *rationem* ſcilicet *legatorum ſeparandam.* Vt autem totum hunc tractatum breuiter, comprehenderet, ſimulque doceret quo caſu legatorum ratio ſeparetur, quove confundatur: proponit illam ſpeciem in qua pater Titium inſtituit cum filio ſuo impubere, & eundem Titium filio ſubſtituit; Et cum Titij portionem in inſtitutione non onneraſſet: à filio tamen legata reliquit, & Titium ſubſtitutum in ſubſtitutione grauauit. In qua ſpecie ſcribit Conſultus *quantum ad legata, quæ pater à filio*, in primis tabulis, *item à ſubſtituto*, in pupillari teſtamento *reliquit, nullam fieri poſſe ſeparationem: cum communi calculo ſubijciantur, & inuicem inducant contributionem.* Nam in hac parte iuris legata, quæ tabulis ſecundis relinquuntur, quaſi primis ſub conditione data intelliguntur, & vulgo dicitur in tabulis patris, & filij vnam Falcidiam

ſeruari, vt conſtat ex §. quod vulgo. & §. ſi filio, huius legis, & ex dicta l. 1. §. interdum, dicta l. in duplicibus, hoc
25 titulo, dict. l. 1. §. 1. D. ſi cui plus, quam per l. Falcid. *Sed legata* relicta *ab extero instituto*, id eſt, Titio coherede (qui exter inſtitutus, vel extraneus appellatur in hoc §. quæſitum, reſpectu filij heredis, ſicut & in l. ventre 84. D. de adquirend. heredit. l. cum filio famil. 11. verſic. denique, D. de legat. 1.) *permiſcere cæteris non oportere* Papinianus indicat; quia in ſingulis heredibus ſeparatim ratio Falcidiæ, habetur, dict. l. in ſingulis hoc titulo, & in legatis à ſe ipſo & à filio in inſtitutione relictis, Titius, non ſubſtituti, ſed coheredis iure vtitur, vt ſupra diximus ex dict. l. qui fundum, §. qui filium, in fine, & §. quod ſi extranei. Vnde infert eleganter Papinianus etiam eundem Titium filio ſubſtitutum, quem in inſtitutione oneratum non eſſe diximus; ſi ex pupillari ſubſtitutione portio pupilli ei deferatur, quæ onerata ſit legatis, tam à filio in primis tabulis, quàm ab ipſo Titio in ſecundis, vel ſubſtitutione relictis, *quartam pupillo datæ portionis habere ſubſtitutum*, eamque deducere poſſe, *quamuis ſuam portionem integram*, vel non oneratam *habeat vt inſtitutus*. Habetur enim pro coherede, & coheredis iure vtitur, d. l. qui fundum, §. qui filium in fine & §. ſequenti, quo ad illa legata, quæ à ſe, & à
26 filio in primo teſtamento data fuerunt. Et ideò ex onerata portione filij accreſcente, quartam deducere poteſt, licet propriam portionem conſequatur non oneratam: quia cum legata in ſecundis tabulis relicta, quaſi in primis ſub conditione data videantur; verum eſt legatis omnibus contributis, oneratam pupilli portionem, non oneratæ coheredis parti accedere, & conſequenter minimè commiſcendas eſſe portiones, ex regula dictæ legis, quod ſi alterutro, cum ſupra explicatis. Ideoque *aliam* diuerſamque *eſſe cauſam* heredis ex diuerſis partibus inſtituti ſcribit Papinianus, in quo ſemper eſſe confundendas hereditatis partes conſtat ex dict. l. qui fundum, §. ſi tu ex parte, & à nobis ſæpius repetitum eſt. Perinde enim habetur, vt Conſultus ſubijcit, *ac ſi ſemel fuiſſet nuncupatus*,

vel

vel heres ſcriptus *ex ea portione, quæ conficeretur ex pluribus*, id eſt, ex toto ſemiſſe, qui conficitur ex duobus quadrantibus, vel ex tribus ſextantibus, & ſic in reliquis aſſis partibus, quæ conſtant ex aliis minoribus portionibus.

Neque obſtabit ſi quis obijciat in ſpecie à Papiniano propoſita in hoc §. quæſitum relicta fuiſſe legata à Titio inſtituto eodemque ſubſtituto tam in primis, quàm in ſecundis tabulis: vnde ſecundum ea, quæ ſupra tradidimus, non coheredis, ſed ſubſtituti iure vti, & legata contribuere debebat, etiam à ſe ipſo relicta, dicta l. coheredi, §. coheres, in principio, D. de vulg. Illud enim nõ habet locum, quoties à pupillo, vt in noſtro caſu pater legata reliquit: nam cum propter contributionem legata in ſecundis tabulis adſcripta, quaſi à filio ſub conditione in primis data intelligantur, non poſſunt ſimul, & à filio, & à ſubſtituto data videri: ideòque in illis non ſubſtituti, ſed coheredis inſtar Titium obtinere, & Papinianus docet, & nos illius doctrinam ſecuti explicuimus. 27 28

Denique in contrarium mouere non debet difficilis textus in dict. l. qui fundum, §. vltimo, vbi coheres filio ſubſtitutus fuerat, vt in noſtro caſu, & pupilli portio etiam legatis onerata, & tamen ſi ad ſubſtitutum reciderit, filio intra pubertatem mortuo, legata contribui, & portiones confundi docet Iulianus. Nam aduertendum eſt in illo textu vtramque portionem, tam coheredis, quàm filij oneratam fuiſſe, vt ex illius contextu apparet, atque ideò ex vnaquaq; portione Falcidia deducenda erat. Vnde cum in tabulis patris, & filij vnica tantum Falcidia imponi debeat ab eodem, vnicoque herede, & ex toto patrimonio quantitas conficienda ſit, meritò Conſultus docet vtramque portionem coniungendam, vt ex tota hereditate, quæ ad vnum ſubſtitutum deuoluitur, vnica Falcidia detrahatur. Nec ſuperflua erit, aut inutilis hæc obſeruatio, poterit enim quãdoque intereſſe legatariorum, cum pro rata à ſingulis defalcandum, vel deducendum ſit, vt potius ex duobus portionibus commixtis vnicam Falcidiã, 29 30

quam

quam ex ſeparatis, duas heres retineat, vt doctè aduertunt, Cuiac. lib. 29. quæſtion. Papiniani in hoc §. quæſitum, & lib. 61. Digeſtorum Iuliani in d. l. qui fundum, §. vltim. Gouean. in tit. ad legem Falcidiam in d. §. vltim.

CAP. VIII.

De ſubſtitutis pupillo exheredato, & de vno duobus pupillis ſubſtituto ad §. vltimum legis in ratione 11.

1 NE aliquem huius materiæ caſum omitteret, inexplicatumve relinqueret Papinianus, in hoc §. vltimo illum proponit, in quo impubes filius non fuerit heres inſtitutus, ſed exheredatus: docet enim, quod ſi pater filio exheredato Titium heredem inſtituit, eundemque ſi filius intra pubertatem deceſſerit, ſubſtituit, & legata tam in primis, quàm in ſecundis tabulis à Titio reliquit rationem legatorum eſſe confundendam, & legata contribui oportere, cum ex ſupra dictis conſtet quoad illa legata, quæ à ſe ipſo in primis, & in ſecundis tabulis præſtita ſunt, haberi ſubſtitutum pro herede ex parte purè, & ex parte ſub conditione ſcripto, dict. l. coheredi, §. coheres. Vnde conſequens eſt legatis contributis in ratione legis Falcidiæ imponenda patris patrimonium ſpectandum, & facultates attendandæ, vt dixi capite præcedenti, & conſtat ex hac lege noſtra, §. ſi filio, & ex dict. l. in du-
2 plicibus 79. Quamuis enim Papinianus in l. ſi filius 12. D. de vulg. tractans de filio herede inſtituto, qui exheredato fratri ſubſtitutus fuerat, doceat legata eum dumtaxat ex ſecundis tabulis præſtare debere habita ratione facultatum, vel patrimonij in Falcidia, non patris, vt aliàs ſolet, ſed impuberis: hoc tamen noſtræ ſententiæ contrarium non eſt, agimus namque de ſubſtituto, qui tam ex primis, quàm ex ſecundis tabulis heres extitit, ideòque ratio-

rationem legis Falcidiæ ad patris facultates referendam eſſe affirmamus, l. qui fundum, §. qui filios, hoc titulo. Papinianus autem in dict. l. ſi filius, agit de filio, qui patris hereditatem adire recuſauit, & beneficio abſtenſionis ſeparatione hereditatis impetrata, fratris tantummodo ſucceſſionem amplexus eſt, atque ideò, cum non patri, ſed ſoli pupillo fratri exheredato heres fuerit, rectè docet Papinianus legata dumtaxat ex teſtamento filij præſtanda, & rationem in lege Falcidia, non patris facultatum (vt aliàs ſolet, vbi ſubſtitutus ex inſtitutione quoque heres fuit) rationem habendam, ſed impuberis hereditatem tantummodo ſpectandam. 3

Sed quia obijci poterat, nec rationem legatorum confundi poſſe, nec contributionem admitti neceſſarium eſſe cum legata ab exheredati ſubſtituto relicta non valeant, l. ab exheredati 129. D. de legat. 1. l. fin. in principio, D. de legat. 3. l. miles ita 41. §. ſi miles, D. de milit. teſtamento, d. l. qui fundum, §. qui filios, hoc titulo, l. cum quidam 24. C. de legatis: quia nec ab ipſo exheredato relinqui potuiſſent, l. coheredi 41. §. cum filiæ, D. de vulg. Reſpondet Papinianus in hoc §. vltimo prædictam obiectionem locum habere vbi exheredati ſubſtitutus patri heres nõ fuit, nam ſi patri quoque heres fuerit, neceſſario ratio legatorum confundenda erit, *cum ideo legata valere* conſtet, vt docuit Iulianus, *quod idem quoque patri heres extiterit*, dicta l. qui fundum, §. qui filios. Vbi hæc Iuliani ſententia refertur, & ex ea patefit ſubſtitutum exheredati legata à ſe ipſo relicta præſtaturum, ſi patri etiam heres exiſtat, ſimulque rationem in Falcidia ad patris facultates referendam, de cuius explicatione præter Ordinar. in d. l. ab exheredati, & in dict. l. cum quidam, videndi ſunt Donel. lib. 8. comment. cap. 7. Cuiac. lib. 60. Digeſtorum Iuliani in dicto §. qui filios, Vaconius lib. 4. declar. cap. 53. Peregrinus de fideicommiſſis art. 1. num. 18. 4 5

Explicuimus caſus à Papiniano in noſtra lege propoſitos, nunc videamus quid dicendum ſit, ſi duobus pupillis heredibus inſtitutis, vtrique, vel ei, qui ſupremus moreretur 6

retur pater Titium ſubſtituit, & alterius impuberis portio onerata fuerit, alterius non? In qua quæſtione docet Papinianus in l. pater 14. §. duobus hoc titulo, quod ſi pater filijs duobus inſtitutis, ſingulis ſeparatim Titium ſubſtituit, illis intra pubertatem decedentibus, vel eodem, vel diuerſis temporibus, Titius heres vtrique erit ex pupillari ſubſtitutione, l. heredes mei 57. §. cum ita, D. ad Trebel. & portiones hereditatis confunduntur, & legata contribui debent. Nec diſtinguimus, vtrum portio impuberis, quæ poſtrema accedit, onerata ſit, nec ne: quia perſonis pupillorum ſubductis, reuocatur Titius ad intellectum inſtituti ex duabus eiuſdem hereditatis partibus, hac lege §. ſi filium, d. l. qui fundum, §. vltim. & ſimul etiam, quia in hac ſpecie vtraque hereditas pupilli eſt æque principalis, nec vllâ earum acceſſionis locum obtinet.

7 Quod ſi Titius non ſingulis ſeparatim, ſed vtrique ſimul, vel ei qui ſupremus moreretur, ſubſtitutus fuit, diſtinguendum eſt, vtrum eodem tempore, & caſu, ruina, aut naufragio impuberes deceſſerint, an vero diuerſis temporibus. Nam ſi eodem tempore, vel caſu deceſſerint, vterque intelligitur ſupremus deceſſiſſe, & cum vtrique ex iudicio patris ſubſtitutus ſuccedat, legata contribuere debet, & portiones confunduntur, vt in ſuperiori caſu diximus, l. ex duobus 34. l. qui duos 42. D. de vulg. l. qui duos 9. in prin-
8 cipio, D. de rebus dub. At vero ſi diuerſis temporibus obierunt, cum primi decedentis hereditas fratri ſuperſtiti ab inteſtato deferatur, l. vel ſingulis 37. D. de vulg. d. l. qui duos 9. l. penultima, C. de impuberum. Nec legata ab illo relicta valent, nec ſubſtitutus portiones confundere, aut commiſcere tenetur, cum ex ſubſtitutione non primo, ſed ei qui poſtremus deceſſit, heres exiſtat, d. l. vel ſingulis. Atque ideo quamuis portionem ab inteſtato defuncti impuberis, integram inueniat in hereditate fratris, poterit tamen ex ea portione, in qua vltimo decedenti ex ſubſtitutione heres fit, ſi onerata legatis fuerit Falcidiam retinere, d. l. pater 14 §. vltimo hoc titulo, d. l. qui duos 42. D. de

vulg.

vulg. Cuiac. lib. 9. reſp. in d. l. pater, Gouean. ad titulum de vulg. in dictis legibus, Anton. Fab. lib. 13. coniectur. c. 14. & qui antiquos refert Couar. in cap. Rainutius §. 8. n. 8. Si vero ſubſtitutus ignoret, vter ex impuberibus ſupremus mortuus ſit, licet neutrius hereditatem poſſit adire, propter incertum conditionis, poterit tamen bon. poſſ. ſecundum tab. vtriuſque petere, l. qui ex liberis 11. in principio, D. de bonor. poſſeſ. ſecundum tab. quæ etiam pendente conditione ſcriptis heredibus dari ſolet, l. 2, §. ſi ſub conditione, D. eodem, vt rectè ſenſit ſubtilis Emanuel à Coſta in d. l. qui duos, §. cum in bello, D. de rebus dub. verbo, *in bello*, num. 1.

Denique aduerto, quod ſi iure poteſtatis, vel dominij, coheredis portio integra adquiratur, proficit legatarijs, & vtriuſque partis legata contribuuntur, quia quod per filium, vel ſeruum coheredes inſtitutos patri, domino ve adquiritur, in quartã illi imputatur, l. maritum 25. in principio, l. ſi pupillus 21. §. ſi ego hoc titulo, perinde ac ſi pater, vel dominus, ex vtraque portione fuiſſet heres inſtitutus. Idemque dicendum eſt, ſi coheredem quis ſuum, antequam adierit portionem, adrogauerit. Nam ſi poſt aditam adrogatio fiat, non proficit legatarijs, cum iam non tanquam hereditas ad coheredem patrem perueniat, ſed tanquam patrimonium adrogati, l. 1. §. ſi coheredem hoc titulo. Verum ſi ex diuerſo cum patris, vel domini portio onerata non fuerit, filij, vel ſerui coheredis pars ſit onerata, quartam retinere poterit pater, vel dominus ex perſona ſerui, vel filij; quamuis de ſua portione nil exhauſtum ſit, d. l. ſi pupillus 21, §. ſi ego, quia in hoc caſu filij, vel ſerui perſona per ſe ſpectatur, ac ſi domino non adquireret. Quod eo exemplo comprobat Paulus in dict. §. ſi ego, quia ſi eidem perſonæ duæ res legatæ ſint, quarum ex altera commodius poteſt deduci Falcidia, ex ea ſola deducitur, l. ſi fundus 23. l. plane 35. hoc titulo. Verum ſi diuerſis perſonis legentur, ex vtraque retinetur, l. 2. C. eodem, Bartol. in d. §. ſi ego, Anton. Goueanus ibidem, & in d. l. 1. §. ſi coheredem, Donel. lib. 8. comment. cap. 12. Anto. 9

Fab.

Fab. lib. 4. coniectur. cap.6. Cum igitur ſi ſeruo ſeruus legatus fuerit, & domino decem legata ſint, non ex ſolis decem (ex quibus commodius poterat) tota Falcidia deducatur, ſed etiam ex ſeruo, rectè infert Paulus pro diuerſis perſonis in hac parte dominum, & ſeruum haberi, & conſequenter ſi ſerui portio onerata ſit, ex eius perſona Falcidiam poſſe dominum retinere, quamuis de ſua portione nihil exhauſtum ſit; docet Bart. in d. §. ſi ego, vbi Dinus, & Alex. Cuiac. lib. 12. quæſt. Pauli in eodem §. Nec aduerſatur textus in l. cum quo 56. §. Stichum hoc titulo: ibi enim ideò de Sticho, qui ſeruo legatus erat, non deducitur Falcidia, ſed tota ex decem domino legatis, quia ſimul Sticho libertas relicta fuerat, quæ per Falcidiam minui non poteſt, vt aduertit Bart. in dicto §. ſi ego. Fornerius lib. 2. ſelectarum cap. 25. Atque ita explicitus eſt difficilis hic iuris accreſcendi, & contributionum tractatus, in quo ſi quid vtile, ſi quid laudabile Deo Optimo Maximo gloria ſit, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum.

DE POSSESSIONIS ESSENTIA, DIVISSIONE, ET qualitatibus, & per quas perſonas, quibuſue modis acquiratur, retineatur, vel amittatur Tractatus ſecundus.

AD PAVLI I.C. RESPONSVM LIB. 54. ad Edictum in l. 1. D. de adqui. poſſeſſione.

CAP. I.

Poſſeſſionem & à pedibus, & à ſedibus dictam, & de illius nominis notatione.

POſſeſſionem à pedibus appellatam eſſe; quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei inſiſtit, ex Labeone refert Paulus in hac l. 1. in principio ſecundum vulgarem lectionem, quam defendunt Bartol. in præſenti, Bolognet. num. 19. Rip. num. 1. Probant etiam, & explicant Recentiores, Connan. lib. 3. commentariorum cap. 8. num. 5. Petr. Gregor. lib. 1. ſyntagmat. cap. 13. Donel. lib. 5. commentarior. cap. 6. Forcatol. dialogo 73. num. 2. Giphan. 1

phan. in lectura Altorphina. ad tit. de adquir. poſſeſſione, in hac l. Cuiac. lib. 54. Pauli ad edict. in hac lege noſtra; Didacus Couar. in rubrica de teſtament. 1. par. num. 3. Anton. Gomez ad legem 54. Tauri num. 18.

2 Sed in Pandectis Florentinis alio etiam modo legitur, vt dicta ſit *poſſeſsio à ſedibus, quaſi ſedium poſitio*: quam veriorem exiſtimant Alciat. Duar. & Cuiac. in præſenti, & certam lectionem eſſe docent: idem Alciat. lib. 1. diſputatio. cap. 1. Bellonus lib. 4. ſupputationum cap. 15. Vaconius lib. 2. declaration. cap. 32. Donel. dict. lib. 5. comment. cap. 6. Vveſembech. in rubric. hoc tit.

3 Verùm Petrus Frideric. Mindanus de materia poſſeſſionis cap. 1. Zaſſius in præſenti, Oſuald. in Donel. dict. lib. 5. cap. 6. litter. A. ſcribunt, vtrumque rectè dici poſſe. Ego autem exiſtimauerim, non ſolum dici poſſe, ſed à Prudentibus dictum fuiſſe; cùm tam vna, quam altera notatio, ſeu alluſio nominis, denotet poſſeſſionem corporali facto ſeſſionis, incubationis, aut inſiſtentiæ conſtare, vt docuit Franciſcus Dauid Argente in notis iuris in tra-
4 ctatu de interdictis tit. de poſſeſſione. Quod, & verbum KATOXHN. quo Paulus vtitur, indicat, ſignificat enim detentionem, vel detentationem; tam autem detinet, qui ſedet, quàm qui inſiſtit. Vnde pedem ponere pro poſſidere ſcribit Cice. Philipic. 3. *Hodierno*, inquit, *die Patres conſcripti, longo interuallo in poſſeſsionem libertatis pedem ponimus*: & Pindarus in Pythijs Odæ. 4. *aiunt autem, hoc eſſe moleſtiſsimum, præclara ſcientem cogi neceſsitate extra habere pedem*, & Conſultus in l. quod in eo 18. §. ſi venditorem infra hoc tit. *Non minus ait, poſsidere cæpit, quàm ſi pedem finibus intuliſſet*, & in l. 3. in princ. *Non vtique ita accipiendum eſt*, inquit, *vt qui fundum poſsidere velit, omnes glebas circumambulet, ſed ſufficit, quamlibet partem eius fundi introire*: confirmat lex 1. tit. 30. partitá 3. in illis verbis: *Poſſeſsion tanto quiere dezir, como ponimiento de pies*, & hanc à pedibus denominationem, ab impugnatione Laurentij Vallæ defendit Petrus Gregor. dict. tit. 1. ſyntagm. cap. 3. ita vt à datiuo Græco, POSI, id eſt, pedibus, & itione

itione Latino verbo compoſitam exiſtimet poſſeſſionem quaſi poſitionem.

Similiterque, & à ſedibus poſſeſſionem dici poſſe, & 5
per ſedium poſitionem, loci occupationem, & poſſeſſionem ſignificatam, conſtat ex illo Virgilij loco lib. 1. Æneid.

Hic tamen ille vrbem Patani ſedeſque locauit
Theucrorum.

& Ouidius de Triſtib. lib. 4. Elegia 1.

Hic ego ſollicitæ iaceo nouus incola ſedis.

& Sueton. in Auguſto. cap. 28. *in ſua ſede Rempublicam ſiſtere.* Ideoque apud noſtros Conſultos ſedes pro domicilio, vel poſſeſſionibus accipiuntur, l. ſi eum 28. §. vlt. ff. de fideicommiſ. libertatib. l. 1. D. de Decurionibus, l. in lege 203. D. de verborum ſignific. l. 1. C. de iure deliberan.

Ex quibus manifeſtum eſt, & à pedibus, & à ſedibus 6
poſſeſſionem dici potuiſſe: vtramque autem notationem à Prudentibus traditam, ex ſequentibus colligimus. Primo, quia quamuis vnica notatione prudentes vti ſoleant, vt in l. 1. D. de iuſtitia, & iure l. 1. §. 1. D. de pact. l. 2. §. appellata, D. de reb. credit. l. Senatus 35. §. 1. D. de donation. cauſa mort. l. 1. D. de nouation. principio Inſtit. de teſtament. § 1. Inſtit. de interdictis: non eſt tamen nouum iuris authoribus, nominis pluribus alluſionibus, ſeu notationibus naturam rei ſignificare, vt conſtat ex l. 1. D. de teſtamento militis, l. 1. D. de furtis, l. 3. D. de damno infecto, l. cui præcipua 57. D. de verbor. ſignif. more Stoicorum, vt refert Turnebus ad Varronem tit. 5. de lingua Latina & obſeruant Cuiac. lib. 11. obſeruatio. cap. 37. Hortolphus Phoma. in ſynopſi Iuris Iuſtinianei, diſput. 14. theſi. 2.

Secundo noſtram ſententiam confirmat ſequens conſi- 7
deratio: quòd Paulus huius legis Author in l. 3. § ex contrario infra hoc tit. argumento ab vtraque poſſeſſionis notatione, *& pedum, & ſedium*, vel *ſeſsionis, & inſiſtentiæ*, ducto, Labeonis placitum probat, duos in ſolidum poſſidere non poſſe affirmantis. *Non magis, enim,* inquit Conſul-

tus, *eadem poſſeſſio apud duos eſſe poteſt, quam vt tu ſtare videa-ris in loco, in quo ego ſto, vel in quo ego ſedeo, tu ſedere videaris.* Denotat igitur duabus his notationibus prudentes poſſeſſionem ſignificare ſolitos. Alioqui namque vnica tantum vſus fuiſſet Conſultus nominis alluſione, ſi vnica fuiſſet notatio: & conſequenter vtramque lectionem tam vulgarem, quam Florentinam retinendam cenſemus.

8 Hæc autem notatio nominis cum nec etymologia verbi, nec definitio rei ſit, denotat, tantum corporale factum ad poſſeſſionem neceſſarium eſſe, & his frequentioribus modis, *Pedum*, ſcilicet, *inſiſtentia*, vel, *ſedium poſitione*, poſſeſſionem acquiri demonſtrat: non tamen alios excludit, cum & oculorum aſpectu, & clauium traditione, & alijs factis poſſeſſio quæratur, §. ſi iuſſerim infra hac lege, l. quod meo 18. §. ſi venditorem, l. interdum 21. in fine, l. quarundam 51. l. penult. §. vltimo infra hoc titulo, l. ſi ego 9. §. vltimo, D. de iur. dotium, l. clauibus 74. D. de contrahen. empt. l. quod ſi neque 14. §. 1. D. de periculo, & commodo rei venditæ, l. pecuniam 79. D. de ſolutionib. l. 1. C. de donat. iuncto §. ex his. Inſtit. per quas perſonas l. 1. C. de crimine expilatæ hæreditatis: docent Donellus d. lib. 5. comment. cap. 9. Gilchen. de præſcription. parte 2. memb. 3. cap. 1. num. 11. Cuiac. lib. 1. definitio. Pap. in d. l. clauibus, Giphan. in hac lege noſtra, §. ſi iuſſerim.

9 Vnde apparet, minus rectè Accurſium in præſenti verbo *à pedibus* exiſtimaſſe, rerum mobilium poſſeſſionem non dari; quia illis nomen poſſeſſionis non conueniat. Res namque mobiles non minus, quàm immobiles poſſideri, conſtat ex lege noſtra, §. adipiſcimur, & ex l. 3. in princ. §. Nerua, & §. ſi rem, l. ſi quis rem 20. l. ſi id quod 25. l. peregre 44. l. ſi rem 47. l. querundam 51. infra hoc tit. Idque ſecundo colligitur ex eo, quod pignus poſsidetur, l. ſi pignus 37. D. de pignoratit. actio. l. ſerui. 16. D. de vſucap. pignus autem propriè rei mobilis eſt, l. plebs 238. §. ſi pignus, D. de verbor. ſignif. Igitur poſſeſsio etiam

10 in rebus mobilibus locum habet. Tertio hanc ſententiam illud

illud probat, quòd furtum non fit, niſi poſſeſſa res fuerit l. 1. D. de furt. l. 1. §. Scæuola, D. ſi is qui teſtamento liber eſſe iuſſus eſt, &c. furtum autem non eſt, niſi rei mobilis, l. item ſi 14. §. qui vim, D. de eo quod met. cau. l. quam rem 38. D. de vſucapio. §. quod autem. Inſtit. eod. ergo res mobilis poſsidetur. Præſertim cùm vſucapio etiam 13
ad mobiles res pertineat l. 4. verſic. fructus, l. ſi hominem 18. D. de vſucapion. l. ſi rem. 5. D. pro emptore, l. vnica, C. de vſucapio. transform. principio. Inſtit. de vſucap. vſucapio autem ſine poſſeſsione non procedat, l. denique 19. D. ex quibus cauſis maiores, l. ſine poſſeſsione 25. l. iuſto 44 § fin. D. de vſucap. Denique quia ad tuendam rerum 14
mobilium poſſeſsionem datur interdictum *vtrubi.* l. 1. D. de vtrubi. §. retinendæ. Inſtit. de interdict. quod tamen non daretur, niſi in illis rebus propria, & vera poſſeſsio eſſet, argumento textus in l. penult. in fine, D. de ſeruitut. l. 1. in fin. D. de ſuperficiebus. Qua propter ſententia Accurſij improbata contrariam defendunt Bartol. Alberic. & Paul. in præſenti num. 3. & Ripa num. 24. Iaſo. num. 37. Alexand. num. 19. Alciat. num. 22. Connan. lib. 3. comment. cap. 8. num. 3. Menoch. de retinenda poſſeſsion. remedio 2.

Nec ad rem faciunt, quæ in hunc errorem Accurſium 15
inducere potuerunt, licet enim quoties etymologia vim diffinitionis habet vltro, citroque argumentum ſumi poſſit, l. Senatus 35. § 1. D. de donat. cau mort. l. 1. D. de iniur. Explicant Fulgoſ. in l. 2. §. appellata, D. de reb. credi. num. 10. Iaſ. num. 20. Zaſius num. 5. Euerard. de locis legalib. loco ab etymologia: hoc tamen non procedit, cum notatio, vel alluſio nominis talis eſt, quæ vel ab eo, quod frequentius fieri ſolet, vel ab aliquo actu, quod in ipſa origine interuenire moris fuit, deſumpta eſt; vt in poſſeſsionis notatione accidit, & latius explicant Euerard. loco ſupra citato, Gilchen. de præſcriptio. 1. part. memb. 3. cap. 1. num. 8. & ſequentibus.

Denique pro Accur. ſententia non facit textus in l. 16
vxorem 41. §. legauerat, D. de legat. 3. vbi verbis illis le-

gati: *quidquid in patria Gadibus poſsideo*, mobilia, veluti pecunia vel Calendarium non continentur. Nam reſpondendum eſt, pecuniam non ea ratione non contineri, quia non poſsideatur, ſed quia ibi ad tempus erat, non vt perpetuò maneret. Quoties autem fideicommiſſum, vel legatum relictum eſt, per relationem ad certum locum, ea tantum continentur, quæ ibi ſunt, vt perpetuò maneant, l. ſi fundus 44. l. quæſitum 78. l. qui ſaltum 67. l. ſi ita legatum 86. l. ſi chorus 79. §. 1. D. de legat. 3. l. penult. §. vltimo, D. de auro, argento legat. l. generali 32. §. vxori, D. de vſu,
17 & vſufr. lega. Quia alicuius rei eſſe, vel ad eam pertinere id tantum videtur, quod ibi non caſu, nec ad tempus, ſed perpetua deſtinatione collocatum eſt, l. fundi 17. §. Labeo, D. de action. empti, l. debitor 32. D. de pignorib. l. in prædijs 7. in fine, D. in quibus cauſis pignus vel hypotheca, l. ex facto 35. §. rerum, D. de heredib. inſtituend. Docent Bart. in d. l. generali, §. vxori, & in d. l. vxori, §. legauerat, Decius in l. 1. D. de reg. iur. Pinellus in rubric. C. de bonis matern. 1. part. num. 5. Couar. lib. 1. variar. cap. 5.

18 Nec ad rem facit, quod in Calendario indiſtinctè ſemper reſponſum eſt, verbis fideicommiſsi illis *cum omnibus quæ ibi ſunt*, vel quidquid poſsideo non contineri, l. Gaius 86. D. legat. 2. d. l. vxorem 41. §. legauerat, d. l. quæſitum 78. §. 1. d. l. ſi mihi 92. in princ. D. de legat. 3. Ca-
19 lendarium enim librum fenebris pecuniæ, vel Codicem, in quo nomina debitorum referuntur, ſignificat, leg. penult. D. de rebus creditis, l. vltima, D. de peculio, l. tutores 39. § negligentiæ, D. de adminiſtratione, & periculo tutorum, l. Lucius Titius in princ. D. de legat. 2. l. nepoti 6. D. de fundo inſtructo, l. vltima, §. Calendarij, D. de
20 muneribus, & honorib. Vnde qui Calendarium vel inſtrumentum legat, nomina, & obligationes legare intelligitur, l. ſeruum 44. §. eius qui chirographum, l. huiuſmodi 84. §. ſi ita cui legatum, D. de legat. 1. l. qui chirographum 59. D. de leg. 3. nomina autem debitorum, & obligationes aliquo loco eſſe dici non poſſunt, l. ſi fidei-

com-

ſum 50.§.1. D. de iudicijs, quia non ſunt, ſed intelliguntur, l.1. D.de vſufruct.lega.iuncta l.3. D. de vſufruct. ear. rer. Nam vt eleganter Cuiac. lib.13. Pauli ad edict. in d. l.Gaius Seius, ſcribit, iura nullo loco ſunt, quia nec ipſa ſunt, ideoque nec poſsideri poſſunt, l. vltim. D. de ſeruitut. l.3. in princ. infrà hoc tit. eaque ratio eſt quare in dictis iuribus Calendarium, & inſtrumenta legato non contineantur.

CAP. II.

De natura poſſeſsionis, & quomodo diffiniri rectè poſſit, reiecta Donelli diffinitione.

NVllam apud noſtros Conſultos poſſeſsionis diffinitionem inuenire eſt, nam quod Iabolenus ſcribit in l. quæſtio 115. D. de verbor. ſignific. *quidquid enim apprehendimus, cuius propr.etas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſeſsionem appellamus. Poſſeſsio ergo vſus, ager proprietas loci eſt*; non pertinet ad diffiniendam poſſeſsionem, vt minus rectè credidere Charond. lib. 1. veroſimil. cap.6. Baudius variatum quæſtio, quæſtione 4. num. 2. Non enim Conſultus ibi detentionem fundi, vel rei deſcribit, ſed ipſum fundum, vel ipſam rem. Nam cum illarum appellationum *ager*, *poſſeſsio*, *fundus*, differentias exequi voluiſſet, ſcribit, illud prædium poſſeſsionem appellari, cuius dominium, vel proprietatem nec habemus, nec habere poſſumus; qualia ſunt ſtipendiaria, vectigalia, & tributaria prædia, quorum dominium ex iure Quiritum, nec ad nos pertinet, neque per mancipationem, aut vſucapionem pertinere poteſt; cùm Reſpubl. eorum prædiorum proprietatem habeat l. ſi finita 15. §. ſi de vectigalibus, D. de damno infect. l. cum ſponſus 12. §. in vectigalibus, D. de Publiciana in rem actio. l. ſi domus 71. §. ſi fundus, D. leg. 1. Erant autem hi agri, qui bello capti, & publicati domino populi, vel Principis addicebantur, l. ſi captiuus 20.§.1. D. de captiuis,

1 (margin, beside first line of chapter text) — see note

uis, & poſtlim. reuer. atque ea lege in alios transferri ſolebant, vt ſemper dominium penes rempub. vel Principem remaneret, poſſeſsione tantum, & vſu in poſſeſſorem translatis, pro quibus ſtipendium, vel tributum ſolueret, vt colligitur ex l. vſufructu 7. § hactenus, D. de vſufructu, l. debet 27. D. de ædilit. edict. l. nec ſtipendium 13. D. de impenſis in rem dotal. factis, l. quæro 28. D. de vſufruct. legato. l. aufertur 49. §. vt debitoribus, D. de iure
3 fiſci, Plutarch. in Gracchis, *Romani*, inquit, *vicinarum vrbium agrum, quem depopulati fuerant, partim vendebant, partim publicabant, atque incolendum tribuebant inopibus ciuibus, & qui nullos agros habebant, qui aliquod exiguum inde reipublicæ pendebant* Liuius lib. 20. & 26. conſtatque ex alijs plurimis bonorum auctorum locis quos congerit erudite Petr. Faber lib. 2. ſemeſtr. cap. 4. Quales olim fuere omnes penè prouinciales fundi, ideoque nec mancipi appellabantur, & ab Italicis diſcerni ſolebant, § per traditionem Inſtituta de rerum diuiſione, principio Inſtit. de vſucapionibus, l. vnic. C. de vſucapione transformanda, de quibus tractant Theoph. lib. 2. inſtitut. tit. 1. §. eſt & aliud genus. Appianus lib. 1. de bello ciuili. Liuius lib. 3. decadis 1. Cicer. in oratione quinta in Verrem, Higenus de limitibus agrorum, Flaccus de conditionibus agrorum, Reuard. lib. 1. variar. cap. 5. Donel. lib. 5. comment. cap. 4. Cuiac. lib. 19. obſeruatio. cap. 17. Petrus Gregor. lib. 3. ſyntagm. cap. 5. Petrus Fab. lib. 2. ſemeſtr. cap. 4. qui doctè explicat Florentini reſponſum in l. in agris 16. D. de adquir. rerum domin. ideoque nec traditionem, nec vſucapionem hæc prædia admittebant, ſed vſum tantum præſtabant, indeque poſſeſsiones in d. l. quæſtio appellantur, vt rectè interpretantur Cuiac. in d. l. quæſtio. Briſon. lib. 4. antiquitatum cap. 1. quorum interpretationem confirmat deſcriptio verbi *poſſeſſionis* è Feſto lib. 14. & Diuo Iſidoro cap. 3. tradita: *poſſeſſiones*, inquit, *appellantur agri latè patentes, publici, & priuati, qui non mancipatione, ſed vſu tenebantur*. Qua ratione eleganter Conſultus in d. l. quæ-
4 ſtio. Poſſeſsionem vſum eſſe ſcripſit, quia prædia illa non domi-

dominium, ſed vſum tantum præſtabant, quod poſſeſsioni, de qua nos loquimur, minimè aptari poteſt, cum plurimum ab vſu differat, vt apparet. Primo ex l. 1. D. de furtis, vbi vſus, & poſſeſsio veluti diuerſa diſcernuntur. Secundo quia duo vſum habere in ſolidum poſſunt, l. ſi vt certo 5. §. duobus vehiculum, D. commodati: poſsidere autem non poſſunt, l. 3. §. ex contrario, infra hoc tit. Tertio quia commodatarius vſum rei habet, l. 1. §. 1. l. 3. fin. D. commodati, poſſeſsionem non habet, l. rei 8. D. eod. Quarto quia locis publicis vtimur, l. 3. §. 1. cum legibus ſequentib. D. nequid in loco publico, & tamen ea non poſsidemus, l. vſucapionem 9. D. de vſucapio. Quinto quia ſeruitutum vſus eſſe poteſt, l. viæ 17. l. final, D. de ſeruitutib. l. ſi eo loco 9. §. 1. D. ſi ſeruitus vindicetur, poſſeſsio non poteſt, l. 4. §. ſi viam, D. de vſucap. l. ſeruitutes 14. D. de ſeruitutibus. Non tamen inficior, plurimis in locis vſum 5
pro aſſuetudine, & continuatione poſſeſsionis, quæ ad vſucapionem proficiat, accipi, vt in l. non quocunque 82. §. 1. D. de legat. 1. l. denique 19. l. nec vtilem 20. l. ait prætor 23. in fine principij, D. ex quib. cauſ. maiores, l. non ſolum 32. in princip. D. de vſucapionibus, vt doctè obſeruauit in ſuis prælectionibus, ad hunc tit. D. D. Ildefonſus Guillen de la Carrera primarius iuris Canonici in hac Academia profeſſor, nūc Mediolanenſis Senatus Præſes, vir Iuris ſcientia, & legum interpretatione clariſsimus, cuius nomen ſemper huic Academiæ decori, & ornamento erit.

6 Verùm vt hoc obiter adnotemus, agros militibus concedi ſolitos in præmium, de quibus in l. item ſi verberatum 15. §. itèm ſi forte, D. de rei vindic. l. Lucius Titius 11. D. de euictionib. l. in agris 16. D. de adquir. rerum domin. Tacitus tit. 1. annalium, ſtipendariorum, aut vectigalium iure non cenſeri exiſtimamus, ſed plenum, & directum illorum dominium in milites translatum, vt colligere eſt, ex d. l. in agris ibi: *quid cuique datum eſſet*, & ex Liuio tit. 3. decad. 3. *ager Hiſpanis in Hiſpania, Numedis, in Africa poſt bellum virtutis cauſa latus datus eſt.* Dare autem

dominij translationem ſignificat, l. vbi autem 75. §. vltimo, D. de verbor. obligat. quod etiam apparet ex eod. Liuio dict. lib. 3. decad. prima, vbi talia prædia à vectigalibus, vel ſtipendiarijs diſtinguit.

7 Omiſſam itaque à Prudentibus poſſeſſionis diffinitionem tradere, nemo eſt ex interpretibus, qui auſus non fuerit. Sed antiqui ferè omnes vno ſuffragio Bartoli diffinitionem paucis verbis mutatis comprobarunt, poſſeſſionem definientes, *Ius inſiſtendi rei non prohibitæ poſsideri*, vt conſtat ex eod. Bart. in præſenti ſecunda colum. Alexandro 4. num. 17. Socino 6. Iaſo. 8. Cuma. num. 8. Ripa num. 36. & ex Couar. in regula poſſeſſor, de regulis iuris in lexto

8 cap. 1. parte 2. num. 3. Recentiores autem interpretes varij varias protulere ſententias, vt videre eſt ex diffinitionibus traditis à Duareno in hac l. noſtra, & lib. 1. diſputation. cap. 18. Turamin. de ſubſtantia poſſeſsionis cap. 5. Friderico de materia poſſeſsio. cap 1. Connan. lib. 3. comment. cap. 8. Petr. Gregor. dict. lib. 1. ſintagm. cap. 13. Hotman. lib. 9. obſeruat. cap. 1. Cuiac. lib. 44. Pauli ad edict. in hac lege noſtra in princ. & in paratitlis ad hunc titulum Gilche. de præſcriptio. par. 2. memb. 3. cap. 1. num. 26. & ſequent. Franc. Dauid Arg. in tractatu de interdict. prolegomeno de poſſeſsione, & poſſeſſoribus. Sed Donelli definitio in his ſcholis receptior eſt, qui lib. 5. commentar. cap. 6. Bartoli diffinitione multis argumentis impugnata ipſe ita poſſeſſionem definit, vt ſit *detentio rei corporalis, quæ in commercio ſit, alijs poſſeſſoribus vacua, cum affectu domini, vel dominantis coniuncta.*

9 Hanc tamen diffinitionem Donelli, licet plurimorum ſententijs comprobatam, amplecti tamen iuris ratio non patitur: illa enim verba, *quæ in commercio ſit*, ſuperflua ſunt, cùm id ſemper præſupponi debeat, ideòque hæc additio, nec in legati, nec in alijs diffinitionibus à Cõſultis fuerit appoſita, l. legatum 116. D. de leg. 1. l. legatum 36. D. de leg. 2. l. ſenatus. §. 1. D. de donatio. cau. mort. Præſertim cum non ſit abſolutè verum res, quæ in commercio non ſunt, poſſeſsionem non recipere. Nam liber homo

homo in commercio non eſt, l. inter ſtipulantem 83.§.ſacram. l.liber homo 103. D. de verb. oblig. & tamen ab ignorante eius conditionem verè poſsidetur hac l. noſtra, §. ſed,& per eum,l.ſi ſeruus 34. D. de ſtipulat. ſeruorum, vt infra ſuo loco dicemus: ergo non eſt impedimentum ex parte ipſius rei, alioqui enim ignorantia poſſeſſoris non potuiſſet inducere poſſeſsionem. Nec obſtabit, ſi dicas, liberum hominem ſi ſcientes vinxerimus, aut ſi rem ſacram apprehendamus,non poſsidere,ſed detinere rem,ſcriptum eſſe in l. cùm heredes 23.in fine, l. qui vniuerſas, 30. §. 1. infra hoc titulo, l. ſi liber, 13. D. ad exhibendum. Hoc enim ea ratione accidit, quia nemo rem ſacram, vel religioſam, vel hominem liberum ſciens earum rerum conditionem eo animo habere poteſt, vt ſibi poſsidere velit: quod tamen ad veram poſſeſsionem requiri conſtabit. Secundo verba illa in Donelli definitione poſita, *alijs poſſeſſoribus vacua*, abundare etiam videntur, cum illud natura ipſa poſſeſsionis præſeferat, vt duo in ſolidum eandem rem poſsidere non poſsint,quia in loco,vbi ego ſto,vel ſedeo, alius ſtare, aut ſedere non poteſt, l. 3. §. ex contrario hoc titulo. 11

Falſum autem eſt, *affectum domini, vel dominantis* poſſeſſionem requirere, quod in ſua diffinitione Donel. exigit: nam creditor verè poſsidet pignus, l.cum & 35. §. pignus, D. de pignor.actio. l.qui pignoris 36. l. res pignori 37. infra hoc titulo,l.ſerui 16.D.de vſucapio.& tamen affectum domini non habet,l.quæcumque 13.§. 1. ff.de Publicia, l. ſi ſeruus 22. §. 1. D.de noxal.l.pignori 13. D.de vſucapionibus. Deinde nec qui poſſeſsione precario rogauit, opinione, aut affectu domini rem tenet,d. l. quæcunque, §. 1. d. l.ſi ſeruus, §. 1. eum vero poſſeſsionem habere conſtat ex l. Pomponius 6. § ſi is,qui precario infra hoc titulo,l.& habent, 15.§ eum,qui,l. vlt.in fine principij, D. de precario, conſtat ergo ad veram poſſeſsionem affectum domini non requiri. 12 13

Vnde hac diffinitione omiſſa iam antea publicis diſputationibus, de hac materia habitis, ita poſſeſsionem diffinien- 14

niendam exiſtimauimus, & nunc, vt Claudiani verbis vtar: *certa requirenti tandem ſententia ſedet*, vt poſſeſsio ſit *detentio rei corporalis cum animo ſibi poſsidendi coniuncta*, cuius ſi verba ſingula explicuerimus, & poſſeſsionis naturam demonſtrabimus, & ſimul, quam apte hac diffinitione comprehendatur, apparebit. Requirit igitur hæc diffinitio in poſsidentis perſona, primo vt rem teneat; ſecundo vt eo animo ſit, vt non alij, ſed ſibi poſsideat. In re autem poſſeſſa exigit, vt corporalis ſit, & tangi, detinerique poſsit, de quibus ſingulis videamus.

15 Primo poſſeſsionem *detentionem*, *vel detentationem* dicimus, quomodo appellatur ab Vlpian. in l. ab hoſtibus 15. §. vltim. D. ex quibus cau. maiores, l. quod dicitur 5. D. de impenſis in rem dotalem fact. l. ſi quis 8. §. 1. in fine, C. de præſcriptione triginta, vel quadraginta annorum: quia, vt Paul. in præſenti ſcribit, *naturaliter tenetur ab eo, qui ei inſiſtit.* Ideoque ille, qui poſsidet, detinere dicitur in l. venditor 21. in fine, D. de hereditate, vel actio vendita, & poſſeſſores *detentores*, vel *detentatores* nuncupantur, in l. cum notiſsimi 7. in principio, l. ſi quis 8. §. 1. C. de præſcriptio. triginta vel quadraginta annorum, l. non ab re 10. C. vnde vi.

16 Tenere enim merum factum ſignificat; ideoque illos omnes, qui verè non poſsident, ſed tantum rei incumbunt, tenere rem ſcribunt Conſulti in l. officium 9. in fine, D. de rei vendica. l. quod ſeruus 24. l. poſſeſsio 49. §. 1. D. de adquirend. poſſeſ. l. 4. §. item ſi eam rem, D. de vſucapion. l. depoſui 38. in principio, D. de peculio, l. & vno 18. §. 1. D. de acceptilatio. Vnde poſſeſsionem incumbationem appellant Imperatores, in l. vltim. C. ne rei dominicæ, vel templorum, &c.

17 Ex quibus deſcendit, vt neceſſario ad poſſeſsionis adquiſitionem factum interuenire debeat, nec ſolus animus ſufficiat, l. 3. §. 1 §. Neratius, & §. in amittenda, l. quemadmodum 8 infra hoc tit. l. ferè 195. de regulis iuris. Ideòque licet quis ſciat, theſaurum in ſuo fundo eſſe, & velit eum poſsidere; non tamen antea illius poſſeſsionem acquirit, quam terra effoſa, illum tetigerit, & loco mouerit:

quia

quia illius dominus poſſeſsionem retinet, quamuis vbi ſit ignoret, l. 3. §. Neratius, l. peregre 44. infra hoc titulo. In 18
quibus iuribus, ſicut in l. theſaurus 15. D. ad exhibendum, & in l. item Labeo. 22. D. famil. herciſcun. non tractatur de illo theſauro, qui nullius eſt & à Conſulto definitur in l. nunquam 31. §. 1. D. de adquir. rerum dominio, vt ſit *vetus depoſitio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominum non habeat*, vel vt Caſiodor. lib. 3. variarum ſcribit, *Depoſitiua pecunia, quæ longa vetuſtate competentes dominos amiſſit*: ſed potius de illo, qui cuſtodiæ cauſa occultatur, ideò in alterius dominio, & poſſeſsione eſt, vt conſtat ex ipſo §. Neratius, & ex d. l. peregre.

Similiter ex ſupra dicto principio emanat, vt ſi quis 19
rem apud ſe depoſitam, vel ſibi commodatam, ſuo nomine poſsidere velit; non tamen illius poſſeſsionem aliter nanciſcatur, & dominum ea interuertat, quàm ſi rem contrectauerit, & loco mouerit, l. 3. §. ſi rem, infra hoc titulo, vbi Paulus refert, pleroſque vete um, & Sabinum, & Caſium ita exiſtimaſſe. Quæ ratio efficit, vt furtum, quod quidem poſſeſsionis fit, inficiatione non antea committatur, quam contrectatio fuerit ſequuta, l. 1. §. 1. l. vulgaris, §. qui furti, D. de furtis, l. inficiando 67. eodem titulo, dict. l. 3. §. ſi rem.

Verum ijs aduerſari videtur Papiniani reſponſum in 20
l. ſi rem 47. in principio, infra hoc titulo. Vbi ſtatim, atque quis conſtituit ſibi poſsidere, dominum poſſeſsionem amittere, docuit Conſultus; ſed rectè Bartol. & antiqui ferè omnes in d. l. ſi rem, & in d. l. 3. §. ſi rem, quibus accedit Cuiac. lib. 26. quæſtionum Papiniani in dict. l. ſi rem, docent, non de ſolo inficiandi animo, verum etiam de contrectatione Papiniani reſponſum accipiendum. Verbum enim illud *ſtatim*, non ad factum depoſitarij, vel commodatarij; ſed ad domini animum Conſultus retulit; vt ſtatim, atque depoſitarius depoſitum inficiatus eſt, dominus amittat poſſeſsionem, nec ſit neceſſarium illius ſcientiam expectare, eam inter mobiles res, & immobiles differentiam conſtituens. Nam in rebus immobilibus non an- 21

tea alterius occupatio dominum poſſeſsione priuat, quam vbi ſcierit rem eſſe occupatam, & animo conſternatus noluerit ad eam accedere, vt Conſulti docent in l. 3 §. ſi quis nuntiet, & in l. clam 6. §. qui ad nundinas, infra hoc titulo, quia eo vſque animo retinetur poſſeſsio, quo vſque rurſus apprehendi pro arbitrio poteſt. At vero in rebus mobilibus ſcientia domini non eſt neceſſaria, ſed ſtatim, atque ab alio inficiandi animo apprehenſæ ſunt, poſſeſsionem amittit: nam ſi harum rerum, vt eleganter Papinianus ratiocinatur, *neglecta, atque omiſſa cuſtodia veteris poſſeſsionis damnum adferre conſueuit licet nemo alius eas inuaſſerit*; quantomagis, vbi cum omiſsione cuſtodiæ, occupatio, vel inuaſsio concurrit; poſſeſsionis amiſsionem inducere debebit?

22 Superior autem ſententia, quòd factum ad poſſeſsionem neceſſario requiratur, quamuis iuris rationibus ſupra adductis firmetur, adhuc tamen difficilis eſt, ex l. certi cōdictio. 9 §. vlt. D. de rebus creditis, vbi pecunia depoſita, antequā poſt nouum conſenſum mutuandi, loco moueatur, in mutuam conuertitur, quia vt Vlpian. docet, *animo* depoſitarius ex noua cauſa *cœpit poſsidere*. Verum cum naturalis poſſeſsio in depoſitario præceſſerit, l. 2. §. 1. D. pro herede, ſolus animus ſibi poſsidendi ad veram poſſeſsionem ſufficiebat. Ideòque qui antea animo non poſsidebat, ſed corpore tantum, cœpit animo etiam poſsidere, vt Conſultus ſcribit, atque ita integre veram poſſeſsionem adeptus eſt, quam ex animo, & corpore conſtare diximus. Quod ſi naturalis poſſeſsio non præceſsiſſet, nec res ex cauſa depoſiti fuiſſet tradita, quamuis conueniſſet, vt mutua eſſet pecunia, non tamen antea mutua erit, quàm loco moueatur, & poſt nouum contractum apprehenſa fuerit, vt in l. quod ſi 10. D. de rebus creditis, reſponſum extat.

23 Sed obijciet aliquis, etiam in d. l. 3. §. ſi rem, dict. l. ſi rem 47. & in dict l. 1. & in dict. l. inficiando 67. D. de furtis, naturalem poſſeſsionem præceſiſſe, & tamen non antea incipere depoſitarium rem poſsidere, quàm eam loco mouerit, vel contrectauerit. Aduertendum tamen eſt, na-

tura-

turalem poſſeſsionem, cui nomine domini commodatarius, vel depoſitarius inſiſtebat, non poſſe ei prodeſſe, niſi ex voluntate ipſiuſmet domini incipiat ſibi, & proprio nomine poſsidere, vt in dict. l. certi conditio. 9. §. vltim.
Ideòque quoties contra voluntatem domini poſsidere 24
quis vult, neceſſe eſt, vt de integro rem apprehendat, vt ſic dominum poſſeſsione priuet, quod ſolo animo ſine cõtrectatione facere non poteſt, d. l. 3. §. ſi rem, cum ſupra citatis. Nec huic dictæ legis certi conditio, §. vltim. interpretationi obſtat regula veterum, de qua in l. 3 §. illud, hoc tit. nam qui à domino cauſam habet, non videtur ſibi cauſam poſſeſsionis mutare, d. l. 3. § illud, l. non ſolum 33 §. 1. D. de vſucapion. l. certe 6. §. Iulianus, D. de precario.

Nec aduerſatur ſuperiori iuris principio ex diffini- 25
tione tradito Papiniani reſponſum in l. quamuis 46. infra hoc titulo, dum probat, non debere ignoranti poſſeſsionem tolli, *quæ ſolo animo tenetur*; loquitur enim eo loci Conſultus non de acquirenda poſſeſsione, ſed de acquiſita; non de adquiſitione poſſeſsionis, ſed de retentione. Placuit autem animo retineri poſſeſsionem, licet corpore afundo diſceſſerimus, l. ſi id, quod 25. §. vltim. l. clam. 6 §. qui ad nundinas, infra hoc tit. vt in ſaltibus, id eſt, ſyluis, vel paſtionibus, l. qui ſaltum 67. D. leg 3 l. ſi quis vnas 32. l vſumfructuarium 62. D. de vſufr. l. pen. §. pen. D. ſi ſeruitus vindicetur, l. ſed addes 19. §. 1. D. locati: in quibus exemplũ proponit Paul. in l. 3. §. ſaltus, & Papinian. in l. peregre 44. §. vltim. cũ duabus legibus ſequent. infra hoc titulo. Sed idem etiam in alijs rebus obtinere docuit Vlpian. in l. 1. §. quod vulgo, D. de vi, & vi arma. Idque vtili- 26
tas & ratio iuris introduxere; ſuaſit vtilitas, ne alioqui rebus noſtris addicti, & velut obligati eſſemus; quod ſeruitutem quandam importaret, l. annua 20. §. Attia. D. de annuis legatis, l. ſeruos 17 l. libertis 18. §. vltim. D. de alimentis, & cibarijs legatis, l. Titio centum 71. §. Titio centum, D. de conditio. & demonſtr. Ideòque tale grauamen à certo loco non recedendi, licet in ſeruis, & libertis admitta-

tur

tur, d.l. libertis, §.vltim. cum ſupra citatis, l. Mœuia 44. D. de manumiſsis teſtam. in liberis tamen hominibus non admittitur d. l. Titio centum. *Nihil* enim vt Venuleius ſcribit, in l. 2. D. de libero homine exhibendo *à ſpecie ſeruientium differunt, quibus facultas non datur recedendi.* Vnde in manumiſsionis formula olim exprimebatur, vt manumiſſus facultatē haberet eundi, quo vellet, vt refert Cuiac.
27 lib. 14. obſeruat. cap. 27. Ratio iuris idem ſtatuit, quia cum poſſeſsio & animo, & corpore apprehendatur, l. 3. §. 1. & §. ſaltus l. quemadmodum 8. infra hoc titulo; licet aliquis corpore poſsidere deſinat, adhuc tamen tenere eum poſſeſsionem verū eſt; quoſque & animo eam amiſerit. Sicut qui rem aliquam duabus apprehenſam manibus habet; licet eam vna manu dimiſerit, dum tamen altera arreptam detinet, dici non poteſt rem non tenere. Verum eatenus poſſeſsio animo retinetur, donec vel accedentes vi pulſi fuerimus, vel reſcientes ab alio occupatam, animo conſternati accedere noluerimus, l. 3 §. ſi quis nunciet, dict. l. clam 6. §. qui ad nundinas, cum lege ſequenti, l. ſi id quod
28 25. l. quamuis 46. infra hoc titulo. Non eſt enim animo poſsidere, quodcunque animo complexus, vel imaginatus fueris poſsidere, ſed cui poſsidendo nihil impedimento eſt, vt doctè explicat Cuiac. lib. 23. quæſt. Papiniani in d. l. peregre, §. vltim. & lib. 54. Pauli ad edict. in dict. l. 3. §. ſi quis nuntiet, vbi Gipha. & in d. l. clam 6. §. qui ad nundinas. Sufficit namque ad amittendam animo poſſeſsionem, quòd quis eam apprehendere non poſsit, vel non poſſe ſibi perſuadeat, qualibet ſuſpitione ductus, d. l. ſi id, quod, infra hoc titulo.

29 Denique noſtræ ſententiæ non obſtant plures caſus à Zaſio in præſenti adducti, quibus ſolo animo ſine apprehenſione, poſſeſsionem adquiri colligit ex l. noſtra, §. ſi iuſſerim l. quod meo 18 §. ſi venditoré, l. quarundam 51. infra hoc titulo, l. clauibus 74. D. de contrahend. empt. l. pecuniam 79. D. de ſolution. l. ſi adoptauero 16. D. de precario l. 1. l. quiſquis 21. C. de donat. l. 6. 7. 8. & 9. tit. 30. partit. 3. quos refert, & ad quæſtiones practicabiles producit

ducit Anton. Gom. in l. 45. Tauri num. 45. & ſequentibus. Nam in ijs omnibus aliquod corporale factum, vel noſtrũ, 30
vel ab alijs noſtro nõmine interpoſitum, interuenire certum eſt; vt ex ſingulis facile colligere licet, & notat Cumanus in l. 3. hoc titulo, vbi G.phan. At vero in l. raptores 53. C. de Epiſco. & Cler. non de acquiſitione poſſeſſionis, ſed de iuſto titulo Eccleſiæ vel Monaſterio competente ad obtinẽdam poſſeſſionem bonorum illius, qui virginem rapuit, tractatur, vt rectè aduertit Giphanius loco ſupra citato.

Cum igitur, vt ex ſupradictis apparet, poſſeſſio detentio ſit, & corporale factum ſemper exigat, dicendum eſt, illam ex ſua natura totam facti, non iuris eſſe, vt colligitur primo ex l. denique 19. D. ex quibus cau. maiores ibi: *Poſſeſsio autem plurimum facti habeat.* Secundo, quia captiuo omnia iura in ſuſpenſo retinentur, non abrumpuntur, l. illa inſtitutio 32. §. 1. D. de heredib. inſtitut. l. cum heredes 23. §. 1. infra hoc titulo. At poſſeſsio non retinetur, ſed abrumpitur d. l. denique, d. l. cum heredes, §. 1. l. ſi is, qui pro emptore 15. D. de vſucapion. l. in bello 12. §. facti, D. de captiuis: ergo facti, non iuris eſt. Tertio, ex l. 3. §. 1. D. de bonorum poſſeſsionibus, quo loci vt bonorum poſſeſsionem, vel ſucceſsionem Prætoriam, de qua in illis titulis, à poſſeſsione rerum, de qua in noſtro agitur, diſtinguat Vlpianus, & diuerſam eſſe demonſtret, ſcribit, illam magis iuris eſſe, quam corporis. Igitur noſtra hæc rerum poſſeſsio magis corporis eſt, quam iuris. Quarto, ex 32
hac l. 1. §. adipiſcimur, & §. ſi vir vxori, in quibus rem facti eſſe poſſeſſionem Paulus docet. Quinto, ex l. 1. §. Scæuola, D. ſi is, qui teſtamento; vbi ideo hereditatem non poſſidere, Scæuola ſcripſit, quia poſſeſsio facti eſt, & animi. Sexto, quia heres in omne ius defuncti ſuccedit, & ad eum omnia iura tranſeunt, l. cum heredes 23. in principio infra hoc titulo, l. ſi ex re 28. §. vltim. D. de ſtipulat. ſeruorum cum alijs: ſed poſſeſsio in eum non transfertur, d. l. cum heredes 23. ergo non eſt ius, nec iuribus annumeratur. Septimo, quia ſi poſſeſsio iuris eſſet, iure prohibente ad- 33
quiri

quiri non poſſet. Videmus autem, rei à marito donatæ poſſeſsionem ad mulierem pertinare, hac l. noſtra §. ſi vir, l. quod vxor 16. infra hoc titulo: quamvis donatio inter cóiuges iure ciuili prohibita ſit l. 1. & toto titulo, D. de donatio. inter. ergo non alia de cauſa quam, quia vt Paul. in dict. §. ſi vir docet, *res facti infirmari iuri ciuili non poteſt:* qua etiam ratione pupillus corpore poſſeſsionem amittit, *quia quod eſt facti, amittere poteſt*, vt Conſultus ſcribit in l. poſſeſsionem 29. infra hoc titulo, vt & violenti poſſeſſores, qui ius poſsidendi non habent, poſſeſsionem tamen adquirunt; & eam domino adimunt, l. 3. §. ſi quis nuntiet, dict. l. clam 6. §. qui ad nundinas infra hoc titulo l. colonus
34 12 l. cum fundum 18. D. de vi. & vi arm. Octauo, ea quæ iuris ſunt, & ciuiliter acquiruntur per procuratorem, vel aliam perſonam, quæ iuri noſtro ſubiecta non ſit, adquiri non poſſunt: ea vero, quæ facti eſſe conſtat, & naturaliter quæruntur, recte poſſunt adquiri, l. ea, quæ ciuiliter 35. D. de acquirendo rerum domin. l. ſtipulatio iſta 38. §. alteri, D. de verbor. obligat. l. ſolutum 11. §. per liberam, D. de pignorat. actio. Vnde cum poſſeſsio per procuratorem acquiratur, d. l. ea, quæ ciuiliter hac l. noſtra § per procuratorem, l. poſſeſsio 49. infra hoc titulo, ſequitur, eam fa-
35 cti eſſe, & naturaliter adquiri. Nono, quæ iuris ſunt, ignoranti domino, & etiam inuito per ſeruum acquiruntur, l. etiam inuictis, 32. D. de acquirend. rerum domino, l. ſeruus vetante 62. D. de verbor. obligat. poſſeſsio autem non niſi ſcienti quæritur, l. peregre 44. §. quæſitum, hoc titulo: igitur id ea ratione euenit, quia poſſeſsio facti, non iuris eſt. Decimo, & illud hanc ſententiam veram eſſe confirmat, quod ſeruus ea, quæ iuris ſunt, veluti dominium, etiam ſi animum adquirendi non habuerit, domino tamen acquirit, l. qui mihi 13. D. de donation. l. per ſeruum 36. in fine, D. de acquirendo rerum domin. Ideòque ea, quæ iuris ſunt, non minus inuitus ſeruus adquirit, quam inuito domino acquiruntur: quia cum ſeruus, quoad ius ciuile attinet pro nullo, vel mortuo habeatur, l. 1. D. de iure deliberandi, l. 3. §. vltimo, ff. de capite minutis, l. nullo modo

7. ff.

7. D. ad legem Corneliam de falſis, l. quod attinet 32. D. de regul. iuris. l. interdicit 59. in fine, D. de conditio. & demonſtrat. l. ſeruitutem 20. D. de regulis iuris, ea, quæ iuris ſunt, nec momento quidem in illius perſona remanere poſſunt, l. qui teſtamento, 20. §. ſeruus, D. de teſtam. l. placet 79. D. de acquirend. heredit. l. rectè Labeo. 13. D. ex quibus cau. maiores, l. pater familias 182. D. de verborum ſignificatione, l. in perſonam 28. D. de regulis iuris. At verò poſſeſsionem non aliter ſeruum domino adquirere conſtat, quam ſi voluerit adquirere, hac l. noſtra, §. hæc, quæ de ſeruis. Igitur id ex eo deſcendit, quia ſeruus eorum, quæ ſunt facti, capax eſt l. ſerui 14. D. de obligat. & actio. l. nec ſeruus 41. D. de peculio, l. naturaliter 13. D. de condict. indeb. l. qui heredi 44. D. de conditio. & demonſtrat. & ſimiliter poſſeſſio in illius perſona poteſt conſiſtere, l. quod ſeruus 24. infra hoc titulo. Denique nullum ius 36 alteri per alterum ſine eius facto auferri poteſt, l. debitorem, C. de pignoribus, l. ſi filius, C. de reb. credit. l. non debet, l. quod noſtrum, D. de regulis iuris. Poſſeſſio autem alteri per alterum ſine eius facto auffertur, d. l. clam 6. §. qui ad nundinas infra hoc titulo, l. naturaliter 5. D. de vſucapion. dict. l. colonus 12. d. l. cum fundum 18. D. de vi, & vi arm. igitur non ius, ſed factum eſt.

Comprobant hanc ſententiam, quam defendimus, & 37 poſſeſſionem facti eſſe docent Bartol. in hac l. num. 3. & in l. ſi is, qui pro emptore, D. de vſucapion. num. 12. Romanus num. 9. Alciat. 26. Ferret. 8. in hac l. noſtra, Connan. lib. 3. comment. cap. 8. Petrus Gregor. lib. 1. ſintagm. cap. 13. Vaconius lib. 2. declaratio. cap. 33. Franciſc. Dauidarg. in notis iur. in tractatu de interdict. prologo. de poſſeſſione, & poſſeſſoribus.

Verum ex altera parte poſſeſſionem non facti, ſed iuris 38 eſſe probari videtur, ex l. peregre 44. in princip. infra hoc titulo, l. ſi ea res 31. §. fin. D. de actio. empt. l. non ideò minus, C. de libera. cauſ. l. nemo, C. hoc titulo: quibus iuribus ſcriptum extat, poſſeſſionis ius eſſe, aut poſſeſſionem in iure conſiſtere. Deinde, quia perſonæ, quæ legibus prohi-

bentur poſſeſsionem habere, iure non poſſidere dicuntur in l.ſi eum, qui 26. D. de donat. inter l. ſtipulatio iſta 38. §.hæc quoque ſtipulatio, D. de verbor. obligat. ergo ſi cæteræ perſonæ, quarum poſſeſſioni leges non refragantur, iure ciuili poſsident, poſſeſſio iuris eſt, non facti: vt tenet Bartol. in præſenti num. 1. Cuman. 7. Iaſo. 32. Paul. de Caſtro in §. adipiſcimur num. 3. Couar. in regula poſſeſſor. 2. part. num. 3. Anton. Gom. d. l. 45. Tauri num. 18.

39 Vndè Bart. in præſenti num. 6. Zaſius ibidem noſtrorum doctiſsimus Didacus Couar. in d. regu poſſeſſor. loco ſupra citato, diſtinguendum exiſtimant, vtrum de poſſeſsione acquirenda tractemus, an vero de adquiſita. Vt quoties poſſeſsio adquiritur, & vt illi loquuntur, eſt in fieri, facti ſit: at verò quoties adquiſita, & in eſſe producta eſt, iuris eſſe dicatur. Sed minus rectè, nam iuris Conſultorum reſponſa in d. l. denique 18. D. ex quibus cauſ. maio. & in d. l. poſſeſsionem 29. infra hoc titulo, & in d. l. in bello 12. §. facti, D. de captiuis, quæ poſſeſsionem facti eſſe affirmant, non de adquirenda, ſed de iam adquiſita, & in eſſe producta poſſeſsione tractant; cum de illius interruptione, vel amiſsione loquantur: interrumpi autem, aut amitti,

40 niſi quæ iam adquiſita eſt, non poſsit. Omittimus igitur hanc diſtinctionem, & aliam eiuſdem Bartoli, & aliorum in l. ſi is, qui pro emptore 15. num. 10. D. de vſucapio. vt alia ſit poſſeſsio, quæ multum iuris, & multum facti, alia, quæ multum facti, & parum iuris; alia vero, quæ multum iuris, & parum facti habeat. Reiecta etiam opinione Alciati in tractatu de quinque pedum præſcriptione, Petri Gregor. dict. lib. 1. ſintag. cap. 13. Vacon. lib. 2. declarationum c. 33. Cuiac. ad tit. C. de adquir. poſſeſ. & lib. 3. quæſt. Papin. in d. l. denique. Fachin. lib. 8. controuerſ. cap. 5. ciuilem poſſeſsionem à naturali diſtinguentium, vt illa iuris, hæc

41 facti ſit. Dicendum exiſtimamus cum doctiſsimo iuris interprete Anton. Fab. in rationali ad Pandect. in d. l. denique, *poſſeſsionem à facto incipere, facti eſſe, & ex facto totam æſtimari*, quantum ad propriam ſuam naturam, & ſubſtantiam pertinet, d. l. denique hac l. noſtra, §. 1. & §. ſi vir

vxori,

vxori, d. l. poſſeſsionem infra hoc titulo, d. l. 1. §. Scæuola, d. l. in bello, §. facti, cum ſupra adductis: quia poſsidere nihil aliud eſt, quam rem tenere, & in ea ſedere aut ſtare, vt ſupra à nobis explicatum fuit. Habet autem plurimum iuris, quoad effectus ex ipſa permanantes. Nam cum ex poſſeſsione tam multa profluant iure ciuili commoda, fieri non poteſt, quin cum de poſſeſsione tractatur, ius noſtrum ſe interponat: ideòque poſſeſsionis ius dicitur, in d. l. peregre 44. in principio infra hoc titulo, d. l. nemo, C. eodem, d. l. ſi ea res 31. §. fin. D. de actio. empt. Verum id extrinſecum poſſeſsioni eſt, & illius naturæ extraneum, & alienum, vt Papinianus eleganter exprimit in l. poſſeſſio 49. infra hoc titulo in illis verbis: *Cum & naturaliter à fructuario teneatur, & plurimum ex iure poſſeſsio mutuetur*, vt doceat, ex iure plurimum poſſeſsionem accipere, non ius aliquod in ſe habere; illudque, quod accipit, mutuatum eſſe, non proprium, quaſi ex iure mutuo accipiat, quod ex ſe ipſa habere non poteſt. Indeque eſt, vt illas perſonas, quarum poſſeſsionem ius non probat, non poſsidere iure ciuili, dicant Conſulti in d. l. ſi eum, qui 26. D. de donat. inter. d. l. ſtipulatio iſta 38. §. hæc quoque, D. de verbor. oblig. quia aliæ perſonæ ſunt, quæ iure ciuili poſsident; non quod poſſeſsio illarum facti non ſit, ſed quia habet effectus ex iure quaſi acceptos, & mutuatos. Ex quibus apparet, ſententiam Corraſij in rubric. huius tit. num. 3. Euerardi Bronchorſt enantiophan. centuria 3. aſſertione 93. exiſtimantium poſſeſsionem mixtam eſſe, partim facti, partim iuris; non aliter veram eſſe, quam ſi ita, vt diximus, accipiatur. Nam ſi naturam poſſeſsionis in iure partim conſiſtere crediderunt, à vera longè iuris ratione vagantur, cum totam eam facti eſſe, ſatis ex ſupra dictis conſtet, & ex vera iuris ratione docet Anton. Faber. Cuius viri nomen ſine laude commemorare, nefas illi qui Iuriſprudentiam amauerit, qui doctiſsima, ingenio, iuris ſcientia, legum interpretatione, doctrinaque refertiſsima illius ſcripta euoluerit. Præſertim autem mihi quem laudibus ornauit, quē clariſsimo amici nomine, & titulo deuinxit, noſtræque

amicitiæ, & neceſsitudinis æternum poſteris monumentum ſuis ſcriptis extare voluit, cui incomparabili beneficio cum parem gratiam referre non poſsim; habeo tamẽ ſemperq; habebo quã maximam animus meus capere poterit.

42 Secundum requiſitum, quod in poſsidentis perſona noſtra exigit diffinitio, illud eſt, vt non ſolum corpore apprehendat poſſeſsionem, ſed animo etiam, & affectu: diximus enim: *cum animo ſibi poſsidendi coniunctam*, detentionem eſſe debere, vt Conſulti docent in hac l. noſtra § 1. & in l. 3 §. 1. & §. Neratius, & §. in amittenda, l. quemadmodum 8. l. qui iure 41. infra hoc titulo. Vnde illæ perſonæ, quæ animum vel conſenſum non habent, poſsidere non poſſunt, hac l. noſtra, §. 1. vbi latius dicemus. Nec ſufficit ad veram poſſeſsionem qualiſcunque animus, niſi poſsidendi ſit ſibi ipſi non alij: ideoque is, qui precario rogauit, vt in fundo moraretur, fructuarius, colonus, inquilinus, depoſitarius, & ſeruus, quamuis in fundo ſint, & poſsidendi animum habeant, tamen, quia non ſibi, nec ſuo nomine, ſed domino, & illius nomine poſsident, poſſeſsionem non habere, & non poſsidere dicuntur in noſtra l. §. per eum, l. 3. §. illud infra hoc tit. l. certe 6. §. is qui, D. de præcario, l. adquiruntur 10. in fine, D. de adquir. rer. domin. l. nunquam 31. l. non ſolum 35. §. quod vulgo in fine, D. de vſucap. l. officium 9. in fine, D. de rei vindicat. l. Celſus 5. §. 1. D. ad exhib.

43 Nec obſtat, quod prædictæ perſonæ naturaliter poſsidere dicantur in l. naturaliter 12. in princip. infra hoc tit. l. communi 7. §. neque Colonis, D. ad exhiben. l. videamus 38. §. ſi poſſeſsionem, D. de vſur. l. 2. §. 1. D. pro herede: hoc enim ad factum inſiſtendi, vel incubationem naturalẽ referendum eſt, non ad veræ poſſeſsionis adquiſitionem, vt eleganter Vlpian. expreſsit in l. 3. § vlt. D. de vi, & vi arm. dum ſcribit, vſumfructuarium *qualiter qualiter eſſe quaſi in poſſeſsione*, vt nudum tenendi factum, & improprietatem huius poſſeſsionis denotaret. Quod & alij Conſulti explicuere, qui magis propriè verborum ſignificationi adſtricti, fructuarium, ſeruum, colonum, & ſimiles non poſsidere, *ſed naturaliter*, vel *corporaliter rem tenere*, vel *naturaliter poſ-*

ſeſsio-

ſeſsioni incumbere, ſcripſere l.3.§ vlt.D.ad exhibend. l.quod ſeruus 24.l.poſſeſsio 49 in principio, & §.1.inf. hoc tit.Eorum namque miniſterio poſsidet dominus, cuius nomine res poſsidetur, quia vt eleganter Celſus ſcribit in l. quod meo 18. hoc tit. *non idem eſt poſsidere, & alieno nomine poſsidere, nam poſsidet cuius nomine poſsidetur.* Detentionem itaque tantũ ſimplicem habent (quam noſtri nõ male aſinirã appellant)vel in poſſeſsione ſunt,quod diuerſum eſt, ac ſi poſſeſsionem haberent,l. ſi quis ante 10. §.1.infra hoc tit.

Cuius rei argumento eſt, quod Conſultus ſcribit in l. penult. hoc titulo,nec vſumfructum alterius poſſeſsionem impedire; nec alterius poſſeſsionem, vtendi fruendi iuri obſtare: ideòque poſſe apud vnum eſſe poſſeſsionem, apud alterum vero vſumfructum, vt accidit etiam in ſpecie textus in d. l.Celſus, §. 1. in fine,D.ad exhib. At qui ſi vſufructuarius veram aliquam poſſeſsionem haberet, impediret vtique quominus alter poſsideret;cùm conſtet,duos poſsidere nõ poſſe,ne quidem diuerſis poſſeſsionum generibus, l. 3. §. ex contrario infra hoc tit. Atque ita has perſonas nullo modo poſsidere, rectè exiſtimarunt Connan. lib. 3. comment. cap. 10. Cuiac. lib. 9. obſeruat. cap. 33. Anton. Fab in 2. tom. rational. in d.l.Celſus,§.1.& in d.l.communi 7. §. neque colonis, D. communi diuid. 44

In rebus poſſeſsis requirit noſtra definitio, vt corporales ſint:nam cum poſſeſsio detẽtio ſit, & corporale factum cõtineat: incorporales autem res neque tangi,neq; apprehẽdi poſsint,princi.Inſt.de rebus corpora. & vt Lucret.lib. 1. ſcribit:*tangere autẽ,aut tangi,niſi corpus,nulla poteſt res*:conſequens eſt,vt in illis poſſeſsio locũ non habeat,l.3.in princip.inf.hoc tit.l.ſi ædes 32.D.de ſeruit.vrban.l.4.§.ſi viam, D.de vſucap.& conſequenter,nec traditio,nec vſucapio. l. ſeruus 34. §. 1. D. de adquir.rer.dom.l.vſucapionem 9. D. de vſucap. datur tamen in illis quædam quaſi poſſeſsio, l. vlt. D. de ſeruitu.quam per vſum, & aduerſarij patientiam adquiri conſtat ex l. 3. § dare, D. de vſufr.l.ſi ego 11.§. 1. D. de Publicia, l. 1. §. fin. D. de ſeruitut. & aqua: docent Iaſ. in præſenti num.77. Ripa in rubric. de cauſ.poſſeſsio. 45

num. 15. Bartol. in l. 1. num. 3. D. de vi, & vi arm. Bald. in d. l. 2. num. 6. Anton. Gom. in l. 45. Taur. num. 37. & nu. 42. vbi tractat, quibus modis poſſeſsio iuriſdictionis acquiratur, Gilchen. de preſcriptio. part. 2. memb. 3. c. 12.

C A P. III.

De diuiſione poſſeſsionis in Ciuilem, & naturalem, ſiue iuſtam, & iniuſtam, & an duo poſſint eandem rem poſſidere.

1 POſtquam naturam poſſeſsionis diffinitione propoſita explicuimus, reſtat nunc, vt illius diuiſionem proponamus: & quidem vnicam eſſe poſſeſsionis ſpeciem exiſtimarunt Acurſ. in l. licet, hoc tit. & in l. ſi vt certo, §. duobus vehiculum, D. commodati, Placentinus, Petrus de Bexu, Iacob. de Puteo, vt refert Iaſ. in præſenti n. 54. Socin. n. 35. Ripa n. 28. Corraſ. in l. naturaliter, §. nihil commune n. 6. Alciat. n. 31. Quia ad differentiam, ſiue didinctionem vnius ſpeciei ab altera, requiritur ſubſtantialis, ſiue eſſentialis differentia, atqui iuſte, vel iniuſte poſſidere, vel ciuiliter aut naturaliter, non ad ſubſtantiam, ſed ad modum poſsidendi pertinet, & qualitatis eſt adiectio, vel accidens, non autem poſſeſsionis eſſentia: igitur non poteſt diuerſam vnam ab altera ſpeciem conſtituere, præſertim cum Conſultus ſcribat in l. 3. §. genera inf. hoc. tit. *vnicum eſſe poſſeſsionis genus.* Conſtat autem, apud Conſultos idem genus ſignificare, quod apud Philoſophos ſpecies, l. in ſtipulationibus 54. D. de verbor. obligat.

2 Verum enim vero communiori Interpretum calculo obtinuit, duas eſſe poſſeſsionis ſpecies, ciuilem, & naturalem: vt conſtat ex Bart. in præſenti num. 7. (qui licet corporalem addiderit, non tamen in eo à cæteris probatur) Caſtrẽſ. num. 9. Immola num. 13. Cuman. n. 10. Didaco Couar. in regu. poſſeſſor. 2. par. cap. 1. num. 4. Fachin. lib 8. controuer. cap. 5. Connan. lib. 3. comment. cap 10. Gilche. de præſcriptio. d. par. 2. memb. 3. cap. 1. n. 34. Donel. lib. 5. comment.

cap.

cap. 9. Cuiac.lib.27.obſeru.cap.7.& lib.9. cap. 33. Gipha. ad noſtrum tit.in d.l.3 §. genera, Bronchorſt. enantiopha. cent.3.aſſert.82. Anton.Fab. in 2.tom.rationa. in l.officiũ 9.D. de rei vindic.Doctiſsimus ſupremi Conſilij Senator,& clariſsimus Iuriſconſultus D.Greg.Lop.Madera lib. 1.animaduerſionum cap.27 num.1.quarum poſſeſsionis ſpecierum mẽtio fit in l.3. in fine,D.ad exhiben.l.2 §.1.D.pro herede,l.1.§.deijcitur,D.de vi, & vi ar. l. quod ſeruus 24. infra hoc tit. l. ſtipulatio iſta 38.§. hæc quoque, D. de verb. oblig. & non vnicam, ſed plures eſſe ſpecies poſſeſsionis indicarunt Conſulti in l.quemadmodũ 8. ibi: *Nulla poſſeſſio*,infra hoc tit. & in l.non ſolum 33. §. quod vulgo, D.de vſucap. in illis verbis: *Cum hac igitur recipiantur in eius perſonam, qui poſſeſsionem habet: quantomagis in colono recipienda ſunt, qui nec viuo, nec mortuo domino vllam poſſeſsionem habet.*

Sed in ijs ſpeciebus explicandis variè inter ſe diſſentiũt Interpretes: alij enim Bart. ſequuti, ciuilem poſſeſsionem 3
eam eſſe autumant, quam animo quis retinet:naturalẽ vero,cui corpore inſiſtitur:pro quibus eſt text.in l. 2. §.1. D. pro herede,vbi,cum ciuilis,& naturalis poſſeſsionis meminiſſet Iulianus,naturalis exemplũ propoſuit in vſufructuario, colono, & cæteris qui rei incumbunt, ſicut & Vlpian. in l.3.in fin.cum l. ſequenti, D. ad exhib. ciuilis ergo poſſeſsio ea eſt,quam dominus animo retinet.Facit etiã,quod 4
naturaliter poſsidere prædictæ perſonæ dicũtur in l. naturaliter 12.in princ.l. poſſeſsio 49. inf. hoc tit. l.cõmuni 7. § neque colonis,D.communi diuid.l. videamus 38. § poſſeſsionẽ,D.de vſur. Tertio huic ſententię ſuffragatur Pon- 5
ponij reſponſum in l.& habet 15.§.eum,qui D.de precario: vbi rei poſſeſſione precario conceſſa, à duobus eam poſſideri docemur: quia alter animo poſſeſſionem retineat, alter eam corpore nanciſcatur. Vnde apparet, diuerſas eſſe has poſſeſſionis ſpecies: alioqui enim nec ſecundũ Trebatij, & Sabinianorum ſententiam duo poſſent eandem rem poſſidere; cum id in diuerſis tantum poſſeſsionis ſpeciebus euenire poſſe illi exiſtimauerint, l.3. §. ex contrario infra hoc tit. l. duo 19. D.de precario.

6 Alij vero, inter quos Donel. Connan. Anton. Fab. & D. Greg. Lop. Madera locis ſup. cita. ciuilem poſſeſſionem iuſtam, ſiue bona fide apprehenſam: naturalem verò iniuſtam eſſe docent. Quorũ opinionem veriorem eſſe exiſtimamus, vtpote quæ manifeſtis Pauli, & Iuliani reſponſis in l. 3. §. ex contrario, & § genera inf. hoc tit. & in l. duo 19. D. de precario, comprobatur, in quibus cum ſpecies poſſeſſionis Conſulti referant, *iuſtam, & iniuſtam*, vel *bona*, aut mala fi-
7 de habitam proponunt. Et præterea iuris ratione confirmatur, nam cum poſſeſſionis ſpecies dici non poſſit, niſi illa, cui veræ poſſeſſionis diffinitio cõueniat, naturalis fructuarij, & cæterorum inſiſtentia, ſpeciem poſſeſſionis minimè conſtituere valebit, cum non ſibi, ſed alijs poſſideant, & ille poſsidere dicatur, cuius nomine poſsidetur, dict. l. quod meo 18. inf. hoc tit. Ideòque in illis nullam poſſeſſionis ſpeciẽ locum habere, rectè ſcripſit Conſultus in d. l. non ſolũ 33. §. quod vulgo, D. de vſucap. Nam quamuis naturaliter prædictæ perſonæ poſsidere dicantur, ad factum tamen tenẽdi illud refertur argum. text. in l. 3. § aperire, D.
8 ad Sillanian. non ad veram aliquã poſſeſſionis ſpeciẽ. Quoties igitur Conſulti naturalem poſſeſsionem, vt diuerſam ſpeciem à Ciuili; vel ciuilem, vt ſeparatã à naturali conſtituunt, per ciuilem, iuſtam, per naturalem, iniuſtam ſignificant, vt colligi poteſt ex l. quod ſeruus 24. inf. hoc tit. vbi Labeo Ciuilem poſſeſsionem iuſtam appellauit, iniuſtam autem naturalis, ſeu corporalis appellatione explicuit; cum eam ex maleficijs apprehenſam affirmet: probaturque manifeſtè ex d. l. 1. §. deijcitur, & §. quod ſeruus cum ſequenti, D. de vi, & vi arm. quo loci cum ſcribat Conſultus, illum deijci de poſſeſsione, qui poſſidet, *ſiue ciuiliter, ſiue naturaliter poſſideat*, quia & naturalis poſſeſſio ad interdictum illud proficiat, ideòq; mulierem, in re à marito donata, interdictũ habere, quamuis poſſeſsio illius iniuſta ſit: adijcit, Colonũ, ſeruum, & cæteros, qui alieno nomine poſsident, interdicto, vnde vi experiri non poſſe. Igitur non habent vllam, nec naturalem quidem poſſeſsionem, quam ad
9 interdictum proficere Conſultus ſcripſerat. Non tamen

nega-

negamus, naturalem hanc detentionem, ſiue inſiſtentiam à Ciuili poſſeſsione aliquando diſtingui, vt in d. l. 3. in fine, D. ad exhib. d. l. 2. §. 1. D. pro herede, d. l. ſtipulatio iſta 38. §. hæc quoque, D. de verbor. obliga. verum illud nõ ea ratione contingit: quia diuerſam ſpeciem conſtituat, ſed quia diuerſum quit ſit.

Nec ad rem facit, ſi obijcias, vſufructuario interdictum, 10
Vnde vi, & vti poſsidetis competere, l. 5. §. vnde vi, D. de vi, & vi arm. l. vlt. D. vti poſsidet. quæ tamen interdicta non niſi veris poſſeſſoribus concedi certum eſt, d. l. officium 9. D. de rei vindic. d. l. 1. §. deijcitur, & §. quod ſeruus, cum ſeq. vnde etiam de naturali poſſeſsione, quam inſiſtentiam dicimus, deciſionem Vlpiani in d. §. deijcitur intelligi oportere dicendum videbatur. Reſpõdetur enim, vſufructuario interdictum non ad poſſeſsionem fundi retinendam, vel recuperandam competere, ſed ad ipſam vſusfructus poſſeſsionem. Quamuis enim fundum domino, non ſibi poſsideat, vſumfructum tamen ſibi, non domino poſsidet.

Remanet igitur ex ijs, duas eſſe poſſeſsionis ſpecies, Ci- 11
uilem, & naturalem: ſiue iuſtam, & iniuſtam, vt Conſulti interpretantur in dict. legib. & docuere Connan. dict. lib. 3. comment. cap. 10. Donel. dict. lib. 5. comment. cap. 9. Anton. Faber in 2. tom. ratio. in d. l. officium, D. de rei vind. Nec aduerſantur fundamenta, quibus antiqui Inter- 12
pretes relati à Iaſone in præſenti, num. 54. vnicam eſſe poſſeſsionis ſpeciem, crediderunt: nam reiecta Gipha. ſententia in d. l. 3. §. genera. inf. hoc tit. exiſtimauerim dici poſſe quòd cùm poſſeſsio facti, & animi ſit, d. l. 3. § 1. §. Neratius, §. in amittenda, l. 1. §. Scæuola, D. ſi is, qui teſtam. liber eſſe iuſſus eſt, eſſentia eius in animo non minus, quàm in corpore; imò multò magis conſiſtit, cùm corpus ſine animo, nec poſſeſsionem adquirat, nec retineat, aut amittat; hac l. noſtra, §. adipiſcimur, d. l. 3 §. primò; & §. in amittenda; animus autem ſine corpore, & retinere poſsit poſſeſsionem, & amittere, d. l. 3. §. ſaltus, & §. in amittenda, l. clam 6. §. qui ad nundinas, l. qui vniuerſas,

ſas 30. §. per colonum, inf. hoc tit. Sicut ergo animus poſſeſsionem in eſſe producit, & defectus animi poſſeſsionem, eiuſque eſſentiã extinguit; ita & diuerſitas animi diuerſitatem debet poſſeſsionis inducere, & illius diuerſas ſpecies conſtituere, quæ in eſſentiali differentia diſtinguantur, ſi hoc, vel illo animo; in eſſentia tamen diuerſo, poſſeſsio apprehendatur. Quã propter animus bona fide ſubnixus, & iuſtus, diuerſam producit ſpeciem poſſeſsionis ab ea, quæ ex iniuſto, & violento animo naſcitur, vt prudentes noſtri non obſcure ſignificarunt, in d. l 3. § ex contrario, & §. genera. l. quod ſeruus 24. hoc tit. l. duo. 19 D. de precario.

13 Nec aliud Paulus ſenſit, in d. l. 3. §. genera: Cum enim vnicum poſſeſsionis eſſe genus ſcripſit, ad eſſentiã poſſeſsionis reſpexit, ac ſi diceret, quoad ſummam poſſeſsionis, & eſſentiam vnicum genus eſſe; vt & Labeo docuit in d. l. 3. §. ex contrario, & doctè animaduertit D. Gregor. Lopez Madera, d. cap. 27. num 8. licet eius ſpecies ſint iuſta, & iniuſta; ſi ſpecies propriè acipiamus, vt apud Philoſophos, nam ſi vt apud Conſultos, pro indiuiduis poſsidendi modis, infinitæ erunt poſsidendi ſpecies, vt Conſultus ſcribit: veluti pro emptore, pro donato, pro dote, pro herede, pro legato, & cæteræ omnes dominij adquirendi cauſæ, de quibus in l. 1. & ſeq. D. de Publician. vt rectè interpretantur Cuiac. & Giphan. in d. l. 3. §. genera.

14 Ex quibus deſcendit, vt cum tam vna, quàm altera poſſeſsionis ſpecies poſſeſsio ſit, & ad ſummam poſſeſsionis non multum interſit, iuſtè quis, an iniuſtè poſsideat, quia vterque rem detinet, vel in ea ſedet, aut ſtat, & vtraque vera poſſeſsio eſt, duo eandem rem poſsidere minimè poſsint, etiam ſi alius iuſtè, alius iniuſtè poſsideat, d. l. 3. §. ex contrario Nec enim magis poſsibile eſt, vt tu iniuſtè ſedeas, vel ſtes in loco, in quo ego ſedeo, vel ſto, quam vt iuſtè. Vnde eandem repugnantiam eſſe ex natura poſſeſsionis, vt eandem penes duos ſit, cùm diuerſa eſt, ac cum eiuſdem generis; rectè Labeo, & Paulus ſcribunt; in d. §. ex contrario: quod etiam de dominio dictum eſt, in l. ſi vt certò 5. §. duobus vehiculum, D. commodati, l. Mæuius

66 §. duorum, D. de leg. 2. l. ſeruus communis, 5. D. de ſtipulat. ſeru. docet. D. Anto. Pichardo lib. 4. Inſt. tit. de interdictis in princ. art. 2. num. 45.

Sed tamen eandem rem à duobus poſsideri poſſe, ſi diuerſa ſpecie poſſeſſionis eam poſſideant, ſequentibus probare videtur. Primò, quia qui abſentis fundum ingreditur, & ſibi eum apprehendit, poſſeſſionem, licet iniuſtam habere certum eſt; & tamen abſens animo poſſeſſionem retinet, quouſque ab ea deiectus ſit, d. l. clam 6. §. qui ad nundinas, l. ſi id, quod 25. §. vlt. infra hoc tit. duo igitur in ſolidum poſſidere rectè poſſunt. Secundo ex Vlp. in l. 3. in princ. D. vti poſ. vbi eandem rem apud duos eſſe poſſe, docet Conſultus, & duas poſſeſſiones eiuſdem rei, vnam iuſtã, alteram iniuſtam conſtituit, & quod magis eſt, etiam duas iuſtas. Tertio ex l. & habet 15. § eum, qui D. de precar. quo loci Pomponius aſſerit, ſi aliquis precario rogauerit hominis poſſeſſionem, & ipſum poſſidere, & illum qui conceſſit, ideoque penes vtrumque eſſe hominem, qui precario datus fuiſſet, quia alter corpore poſſideat, alter non diſcedat animo à poſſeſſione. 15

Iacobus Cuia. lib. 9. obſerua. cap. 32. & lib. 17. cap. 2. & ad noſtrũ tit. in d. §. ex cõtrario. Bronch. d. centu. 3. aſſertio. 82. Emundus Meril. lib. 2. obſeruat. cap. 31. diſſenſiſſe in hac quæſtione Proculeianos à Sabinianis exiſtimant: Giph. illis aſſentitur in re precario cõceſſa; ſed generaliter diſcordaſſe negat in d. l. 3. §. ex contrario. Ego vero, licet ex mente Autorum diſſenſionem concedam, cum Trebatius, & illius ſectatores Sabiniani iuſtam, & iniuſtam poſſeſſionem, vel Ciuilem, & naturalem concurrere poſſe affirmauerint; duas vero iuſtas, vel duas Ciuiles, vel naturales ſimul eſſe negauerint, in d. §. ex contrario, & in d. l. duo 16. D. de precario. Labeo autem, & Proculeiani nec diuerſarum poſſeſſionum concurſum admiſerint, d. §. ex contrario. Ex mente tamen Iuſtiniani, qui hæc tanquam non pugnantia in libris noſtris propoſuit, ita explicari poſſe cenſuerim, ſi dicamus, primam obiectionem non firmo, niti fulcro; nam qui clam fundũ ingreditur, licet rem detineat, 16 17

non

non tamen poſsidet, cum abſens adhuc animo poſſeſsionem retineat, d. l. ſi id, quod §. vlt. d. §. qui ad nundinas, ibi, *retinet ergo poſſeſsionem is qui ad nundinas abijt.* Neceſſe igitur eſt, vt prius abſentem poſſeſſione deijciat, quam vt ipſe poſſidere incipiat; & cum deiecerit, ipſe ſolus, licet iniuſtè, fundum poſſidebit; deiectus autem poſſeſſionem amittet, vt in dictis iuribus expreſſum eſt, & rectè docuit Gipha. in d. §. ex contrario, & in d. §. qui ad nundinas.

18 Secunda obiectio deſſolui rectè poterit, ſi aduertamus quoad illud interdictum vti poſſidetis, de quo Vlpia. tractat. in d. l. 3. in principio, D. vti poſſidet. Verùm eſſe iuſtam, & iniuſtam poſſeſſionem concurrere poſſe: nam ſiquis me vi deiecerit, adeò ipſe pro poſſeſſore ſum, vt contra me interdictum illud, deijcienti non competat: mihi autem contra illum interdictum vnde vi concedatur, l. ſiquis vi, 17. inf. hoc tit. ita Giphan. in d. l. 3. §. ex contrario. Poteſt tamen non incommodè dici, duos poſſeſſores in his interdictis inueniri, ſi non ius; ſed affectum ſpectemus poſſidentium, vt ſcribit Donel. lib. 15. comment. cap. 32. & exemplum proponit Franciſcus Dauid-Argent. in not. iuris, tractatu de interdictis, tit. de interdicto, vti poſsid. ſumique poteſt ex Anton. Gomez in l. 45. Tau. num. 125.

19 Tertia difficultas inſuperabilis eſt viſa Cuiacio, & Interpretibus ſupra citatis; niſi veſtigium veteris defenſionis in ea remanere fateamur. Sed quia diſſenſionem admittere in iure noſtro ab Interpretis munere non minus abhorret, quàm emendationem, vel literæ mutationem adhibere; exiſtimauerim, reſponderi poſſe: Verum eſſe, duos eandem rem non poſſidere, vt ſupra dictum eſt. Nec contrarium eſſe, quod Pomponius in precario ſcribit, in d. l. & habet, 15. §. eum qui: in quo ſpeciali illius contractus natura accidit, vt duo poſsidere dicantur. Nam quamuis ille, qui rogauit, vt in fundo moraretur, non poſſideat, l. certè 6. §. is, qui D. de precar. eum tamen qui rogauit vt ſibi poſſidere liceret, nanciſci poſſeſſionem, non eſt dubium, l. Pomponius, 13. §. ſi is, qui precario, infra

fra hoc tit. l.quæcumque 13. §. 1. D.de Public. l. ſi ſeruus, 22. §. 1. D. de noxal.d.l.& habet 15.§ eum qui, l. qui precario 17. l. vlt. in fine principij, D. de precario. Quia tamen dominus reuocare, quolibet momento, precarium poteſt, l. 1. & 2. l.cum precario, 12. D. de precar. ideo poſſeſsionem animo retinere ſcripſit Conſultus; quam reuocare nō vtique poſſet, ſi non retineret, ſed nouam poſſeſsionem adquireret Rogantis enim poſſeſsionem, quæ aliena erat, quo iure ipſe dominus reuocare valeret, niſi eam animo retinuiſſet? Apparet igitur hac tantum conſideratione, dominum poſſeſsionem animo retinere dicendum eſſe; cùm alioqui conſtet, adeò verum eſſe, eum non poſsidere, vt poſsit ab illo, qui precario habet, ipſam poſſeſsionem precario rogare, & precarium ideo conſiſtat; quoniam, vt Conſultus ſcribit in d. l. vlt. D. de precario, *aliquid ad eum per hanc precarij rogationem peruenit, id eſt poſſeſsio, quæ aliena eſt.*

CAP. IV.

Dominium ſine naturali traditione, vel poſſeſsione non adquiri ad §. 1. ibi, Dominiaque rerum.

CVm Cicero lib. 1. de offic. *priuata nulla natura fuiſſe,* ſcribat, *ſed aut veteri occupatione, vt qui quondam in vacua venerunt,* & Virgil. lib. 1. Georg. 1

Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni.
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat.

Interpretes, rerum communionem initio orbis conditi fuiſſe exiſtimant, vt conſtat ex Duareno, ad tit. D. de adquir. rer. dom. cap. 2. Donel. lib. 1. comment. cap. 7. Vacon. lib. 1. declaratio. cap. 21. Anton. Fab. in Iuriſprud. tit. 2. princ. 4. Bronch. enantioph. centu. 1. aſſertio. 3. vnde Vacon. loco ſupra citato refert, dominia diſtincta fuiſſe poſt diluuium tempore Phalec adnepotis Sem.

Verùm

2 Verùm nullo tempore rerum communionem fuiſſe veroſimilius putauerim. Nam cum dominij diſtinctio ex animi cupiditate, & auaritia naſcatur, ſtatim atque humana natura ſub imagine terræ maledicta, ſicut illa cardos, & tribulos, ita hæc vitia, & cupiditates generauit, dominia diſtincta ſunt, & diſtinctio diuino illo precepto indicata: *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo*: verbum enim illud *Tui*, ſicut proprium laborem exigit, ita, & proprium dominium præſupponit. Ideoque ſtatim, atque duo homines extitere, quantumuis fratres, quantumuis coniuncti, proprios tamen quique greges habuit, vt colligitur ex cap. 4. Geneſ. Nec poteſt dici, id in rebus mobilibus tantũ locum habuiſſe: Conſtat namque Cain primum ciuitatem ædificaſſe, cuius cõſtructio immobilium quoque proprium dominium flagitat.

3 Sed cùm omnis terra tam hoc conditi orbis principio, quam poſt diluuium iterum reparati exordio, nullius eſſet, occupatione cuiuſque propria effecta eſt, & per familias, & Ciuitates diſtincta, quæ poſteà in longè patentes Regiones, & potentiſsimas gentes emanarunt, cum ex tribus Noe filijs Sem, Cham, & Iapheth, & eorum familijs totus terrarum orbis fuerit propagatus, Iapheth Scythiam, & Europam; Cham Africam, & Syriam; Sem vero partem Orientalem terræ, quam nunc
4 Aſiam appellamus, incolentibus. Hinc igitur Conſultus in l. ex hoc iure 5. D. de iuſt. & iure, diſcretas gentes, Regna condita, & dominia iure gentium diſtincta docet. Hinc etiam eleganter Paulus in præſenti, dominia rerum ex naturali poſſeſsione cœpiſſe affirmat. Cùm enim in turbatis hominum, peruerſiſque moribus communio, ignauiæ, deſidiæ, & diſcordiarum cauſa eſſet futura, l. in re communi 25. D. de ſeruitutibus vrbanorum, l. 3. §. apparet, D. de adminiſtratione, & pericul. tutor. l. cum pater 77. §. dulciſsimis, D. de legat. 2. Explicant Donel. lib. 1. comment. cap. 7. Tiraquel. de primogen. quæſtion. 4. num. 27. Cilche. de præ-

præſcriptio. part. 1. cap. 1. Sabel, in not. ad Sidonium Appollin. lib. 4. epiſtol. 2. Naturalis ratio dominiorum diſtinctionem induxit, d. l. ex hoc iure §. ſingulorum. Inſtit. de rer. diuiſ. & rapina, furtoque prohibitis, l. 1. D. de furt. iuſtos dominij acquirendi modos; in rebus nullius occupationem, in iam adquiſitis traditionem conſtituit, l. 1. in fin. cum duab. ſequentib. l. 3 § 1. l. adeo, §. hæc quoque res. l. nunquam, nuda. l. ſed ſi meis, 26. l. ergo 30. § fin. l. in laqueum. 55. cum alijs D. de acquir. rer. domi. l. in rem. 23. §. item quæcumque D. de rei vindicat.

Ex quo iuris principio apparet, dominium ſine traditione, & naturali apprehenſione non transferri; nam, & ideo dominium dictum eſt a DOMAO verbo Græco, & *Domo* Latino, quod ſibi ſubijcere ſignificat, vt Petrus Gregor. lib. 1. ſintagm. capit. 12. & ex eo Imperatores in l. traditionibus 20. C. de pact. non contractibus nudis, aut voluntate, & conſenſu contrahentium, ſed traditionibus, & vſucapionibus dominia rerum transferri, ſcripſerunt. Secundo facit, quod quamuis illa ſtipulatio *rem tradi*, non contineat, vt res detur, & dominium transferatur, ſed vt nuda tantùm poſſeſsio in accipientem perueniat l. ſi rem tradi. 28. D. de verbor. obligat. & cauſam bonorum comprehendat, id eſt, vt res in bonis ſit l. in conuentionalibus, 52. §. 1. D. de verbor obligat. hæc tamen verborum conceptio *rem dari* poſſeſsionis, & dominij tranſlationem exigit l. 3. §. 1. D. de actio. empti. l. 4. D. de vſur. ibi: *Nam quod ad verba ſuperiora pertinet ſiue factum rei promittendi, ſiue effectum per traditionem dominij transferendi*, &c. quia verbum *dari* transferri dominium ſignificat. l. vbi autem 76. §. vltim. D de verb. oblig. l. non videntur 167. D. de reg. iur. quod fieri ſine poſſeſsionis apprehenſione non poteſt, licet poſſeſsio adquiri recte valeat ſine dominij tranſlatione. Tertio ex l. traditio. 20. §. vlt. D. de adquir. rer. domin. vbi per poſſeſsionem dominium acquiri, Conſultus docet. Quarto, quia venditor, qui

qui in vacuam poſſeſsionem emptorem non induxit, ius omne penes ſe retinet, vt probatur ex l. ſi pater, 8. C. de actio. empt. Quinto ex l. cum res, C. de probatio. vbi heredi patris aſſerentì, in re à defuncto empta dominij ſe ius habere, onus probandi iniungitur, patrem in vacuam
8 poſſeſsionem inductum fuiſſe. Denique pro hac ſententia facit elegans Caliſtrati reſponſum in l. ſi ager 50. D. de re iuindic. vbi docet Conſultus, ſi ager ex emptionis cauſa ad aliquem pertineat, non antea ei competere rei vindicationem, quam traditus illi ager fuerit. Conſtat autem rei vindicationem non niſi domino concedi, l. in rem 23. D. de rei vindica. Ea igitur ratione ante traditionem, actionem in rem non habet, quia dominus non eſt. Vnde ad dominium acquirendum naturalis poſſeſsionis apprehenſionem requiri docent Hotm. illuſt. quæſtio, cap. 11. Contius lib. 1. diſputatio. cap. 8. Cuiac. lib. 10. reſponſo. Papinia. in l. prædia. 28. infrà hoc tit. Barboſ. in Rubric. D. ſolut. matrim. 4. part. num. 20. Anto. Fab. in 1. tom. rationa. ad tit. de alienatione iudicij mutandi cauſa in l. item 5. §. 1. & tom. 2. ad titul. de rei vindica. in d. l. ſi ager, & de erroib. pragmt. decad. 42. error. 5. in fin, & decad. 65. error. 2. Benedictus Pinel. lib. 2. ſelecta, c. 9. num. 27. Gipha. ad Rubric. D. de donatio. nu. 23. & 31.

9 Contrariam tamen ſententiam tuentur Accurſ. in d. l. cum res, C. de probatio. Bart. in l. ſi ſtipulatus D. de vſur. & in l. Celſus D. de vſucapion. num. 21. dicit Aretin. cõmunem in Rubrica huius tit. Alciat. in d. l. traditionibus, num. fin. Donel. lib. 4. comment. cap. 19. Gipha. à ſe ipſo diſſentiens in d. l. traditio. Mouentur primo, quia ſunt plures cauſæ, in quibus dominium ſine traditione transfertur, nec naturalem apprehenſionem requirit, veluti heredis inſtitutio, l. heredes 23. infrà hoc tit. l. ſi ego 9. §. 1. D. de iure dotium; bonorum poſſeſsio, l. 1. D. de bonor. poſſeſ. legatum, l. 1. in fin. D. de Publicia. l. legatum 80, D. de legat. 2. l. ſed ſi damnum 9. §. ſed & creditor, D. de pecul. l. à Titio 64. D. de furt. reſtitutio hereditatis ex Senatus,

natuſconſulto Trebelliano, l.facta 63. in principio, D. ad Trebel. Adrogatio §.1. Inſtit. de acquiſitione per adrogationem. Addictio bonorum, libertatum conſeruandarum cauſa. tit. Inſtituta de eo cui libertatis cauſa bona addicũtur: Donatio, & venditio facta Eccleſiæ, l.vlt. C.de ſacroſ. Eccleſ. Commiſſum propter non ſolutum tributum, l.commiſſa 14. D.de Publica. & veſtigalibus.

Verum tamen in ijs omnibus cauſis lex eſt, quæ dominiũ transfert, & in eius translatione poteſtatem ſuam exercet: vnde inter modos dominij adquirendi refertur ab Vlpian.tit.19. de adquiſitio.rer.& rectè docuit Anton.Fab. d. 2. tom. ration. in l. 3. D. de Public. Poteſt autem lex dominium, quod iuris eſt, transferre; ideòque illud in heredem tranſtulit, & in cæteras ſupra enumeratas perſonas, d.l. cum heredes 23.infra hoc tit. d. l. 1. D. de bonor.poſſeſſ. d. l. 1. D. de Public. d.l. legatum 80. cum alijs. Poſſeſſionem autem, quæ facti eſt transferri non potuit d. l. cum heredes, infra hoc tit. l. denique 19. D. quib.ex cauſ. maior. l. in bello 12. §. facti, D. de captiu. Sed hodie ex noſtro iure in ſucceſſorem maioratus trãſire poſſeſſionem ſine aliquo actu apprehenſionis, diſpoſitum eſt per l. 45. Taur. cuius deciſio ſumpſit originem ex conſuetudine Galliæ inducta ex l. cum miles 50. D. ex quib. cauſa. maio. Quod tamen an lege potuerit fieri, diſputant Doctores. Bald. in l. 1. C. communia de legatis, & in cap. contingit, de dolo col. 2. Areti. in noſtra l. num 23. negant: ſed Bart. & Caſtrenſ. in l. raptores, C. de Epiſcop.& Cler. Iaſo. in l. ſi is qui, Pro emptore col. 25. & Ludouic.Roma. in præſenti affirmant; quorum ſententiam plurimis rationibus adductis defendit Anton. Gom. in l. 45. Tau. num. 111. & ſequentib. Mihi tamen nullo modo probari illius ſententia poteſt cum præſuponat poſſeſſionem eſſe ius quoddam à lege introductum, quod Iuriſconſultorum doctrinæ à nobis ſupra relatæ omnino aduerſatur. Exiſtimo igitur, nec legem, nec ſtatutum poſſe ſine aliquo naturali facto poſſeſſionem transferre, quam vtique ſi poſſet, & in heredem, & in captiuũ tranſtuliſſet, in quos transla-

tam non eſſe conſtat, d.l.cum heredes 25.in prin.& §.1.hoc tit.l. ſi is qui pro emptore 15. D de vſucapion b. l. denique 18. D.ex quib.cauſ. maior. l. in bello 12. §. facti, D.de captiu. Non tamē inficior effectus omnes poſſeſſionis quos à iure mutuatos habere eam diximus per legē poſſe transferri, perinde ac ſi ipſa poſſeſſio naturaliter apprehenſa fuiſſet. Vt apparet in vſucapione iacenti hereditati conceſſa, l. nunquam 31. §. vacuum, l. cœptam 40. l. iuſto 44. §. nondum, D. de vſucapion. cum tamen hereditas poſſeſſionem non habeat, l. hereditas 61. D. de adq. rer. domin. l. 1. §. Scæuola, D.ſi is qui teſt. liber eſſe.

12 Quod vero Donel. & cæteri huius partis aſſertores adducunt de pacto, l. commiſſoriæ, & addictionis in diem, l. 1. & 2. D.de in diem addictio l.1.D. de leg.commiſſoria l. 1. l. 3. & 4. C.de pact.inter emptor.l.7.tit.10.par.5.l.38. tit.5.partit.5.In quibus exiſtimant, ſi pretium non ſit ſolutum, vel melior conditio poſteà allata fuerit, emptione reſoluta, dominium ſine traditione ad venditorem reuerti,
13 falſum eſt. Nam cum talis venditio pura ſit, quæ tamen ſub conditione reſolui poſſit, d.l.1. & 2.D. de in diem addictio. emptor ex ea dominium per traditionem acquirit, l. ſi quis hac lege 41. D. de rei vendicat. adeò vt poſſit eam rem pignori dare, l.vbi autem 4. aliàs, l.ſi ex duobus, §. ſed & Marcellus, D. de in diem addictio: quod tamen non aliter, reſoluta poſteà emptione, ad venditorem reuertitur, quam ſi retrotradita res fuerit, l. 1. C.quando licet ab emptione diſcedere. Ideòque venditori datur actio ex empto perſonalis ad cogendum emptorem, vt rem ei tradat, nec vindicationem exercere poteſt, niſi eo caſu, quo dominium non transtulerit in emptorem, ſed precario poſſeſſionem illi conceſſerit, atque ita dominùs remanſerit, l. 3. C. de pact. inter empto.

14 Non etiam obſtat aliud Donelli argumentum; inquit ille, ſi homini libero ab alio bona fide poſſeſſo aliquid fuerit donationis cauſa traditum, ei acquiritur, l. acquiruntur 10. §. vlt. D.de adquir.rer.domin.quia bonæ fidei poſſeſſori tantum ex re illius, & ex operis ſuis poteſt acquirere,

rere, l.aditio in fin. D.de adquir.hered. l.liber homo 19. l. homo liber 45. & §. vlt.D.de adquiren. rerum domin. ſed tamen ipſe liber homo rei traditæ poſſeſsionem nanciſci non potuit; non enim poteſt aliquid poſſidere, cum ab alio poſſideatur, d. l.homo liber, §. vlt. dominium ergo ſine poſſeſſione adquiri iura non prohibent. Reſpondetur 15 autem, naturalem apprehenſionem,& poſſeſſionem interueniſſe, l. quod ſeruus 24. infra hoc tit. quam ſufficere ad dominij adquiſitionem inducēdam dictum eſt. Licet enim poſſeſſio bonæ fidei poſſeſſoris, quam in homine libero habet, impedimento ſit,quominus verè ad vſucapionem ipſe homo liber poſsideat, ratione ſupra aſſignata, ex d. l. homo liber in fin. non tamen impedit, quominus dominium habere rectè poſsit: quia quamuis ſit in poſſeſsione bonæ fidei poſſeſſoris, non tamen eſt in eius dominio;ex naturali itaque illa apprehenſione, & poſſeſsione, & vera poſſeſsio inducitur, & dominium, vnde cum poſſeſsioni tantum obſtet ratio iuris, dominium rectè ex poſſeſsione illa & naſcitur, & permanet.

Grauior ex dictis reſultat difficultas in alieno ſeruo, 16 qui ab alio bona fide poſsidetur, de quo reſponſum eſt, id omne, quod nec ex operis ſuis, nec ex re bonæ fidei poſſeſſoris nanciſcitur, domino ſuo adquirere,d.l.acquirūtur 10.§ vlt.l.qui bona fide 23.§.vlt.d.l. homo liber 54.§. vlt. D. de acquir.rer.dom.l.ſed & ſi 25. §. ſi duos, D. de vſufr. Duaren.de ſtipulat. ſeruo.cap.1. Cuiac.lib.4.obſeruat.cap. 1.Donel. lib. 9. cap. 7. Anton. Fab. lib. 4. coniectu. cap. 17. Foma diſputatione 21.theſ.5. Atqui conſtat,nec hunc ſeruum poſſeſsionem habere, quia ſeruus eſt, l. quod ſeruus 14. infra hoc titulo,l.ſtipulatio iſta 38. §. hæc quoque, D. de verbor. obligat. nec domino illam adquirere poſſe, cum ab alio poſsideatur, hac. l. noſtra,§.ſed & per eum, & §. per ſeruum. Vnde ſi dominium ſinè poſſeſſione quæri 17 non poſſet, dicendum neceſſario eſſet, hunc ſeruum nec bonæ fidei poſſeſſori adquirere rem ſibi traditam, ſi nec ex re illius, nec ex operis ſuis fuerit, nec domino, quia eum non poſsidet: atque ita ius eſſe Pompon. ſcripſiſſe videtur

in l. ſi ſeruus 21. in principio, D. de adquir. rer. dom. à cæteris Conſultis manifeſte diſentiens, qui in d. l. adquiruntur 10. §. vlt. cum ſupra citatis domino ſeruum acquirere, docent, illud quod bonæfidei poſſeſſori non adquirit.

18 Verum interim dum alij meliora attulerint, admitti poteſt Cuiac. interpretatio in hac l. noſtra §. ſed & per eum & lib. 9. quæſtio. Papinian. in l. eo tempore, §. vlt. D. de pecul. exiſtimantis. ſi res à domino vero ipſiuſmet rei tradita fuerit ſeruo alieno: quia dominium cum naturali illa poſſeſsione coniunctum eſt, domino ſerui rectè adquiri poſſeſsionem naturalem, & per poſſeſsionem dominium d. l. eo tempore 50. § vlt. D. de pecul. l 4. infra hoc titulo. Nec enim poſſeſsio, quam in ſeruo habet bonæfidei poſſeſſor, impedire poteſt, quominus ſeruus naturaliter rem teneat, vel poſsideat; & naturalis illa poſſeſsio dominium, quod penes ſeruum remanere non poteſt, nec bonæ fidei poſſeſſori adquiri, in dominum transferat; quia cum ea coniunctum fuerat, cum res ab ipſomet domino tradita fuiſſet, d. l. adquiruntur 10. §. vlt. d. l. qui bonafide 23. §. vlt. d. l. eo tempore, §. vlt. cum alijs. Nec obſtat, d. l. ſi ſeruus 21.

19 quam Cuiac. intelligendam cenſet de dominio à naturali poſſeſsione ſeparato, quia res tradita fuerat à non domino: quo caſu non poteſt ſeruus Ciuilem poſſeſsionem, & vſucapiendi ius domino adquirere, cum ipſe ab alio poſſideatur, nec dominus ſine poſſeſsione poteſt rem vſucapere, aut dominium eius per vſum adquirere, l. ſine poſſeſsione, l. iuſto 44. §. vlt. D. de vſucap. Obijciet tamen aliquis in d. l. ſi ſeruus 21. non loqui Conſultum de dominio à poſſeſsione ſeparato: cum doceat, hominē liberum in ea ſpecie rectè poſſe ſibi acquirere, quem tamen conſtat, nec poſsidere, nec per poſſeſsionem vſucapere, d. l. homo liber, §. vlt. Sed reſpondetur bonæfidei poſſeſſorem, qui rem à non domino accepit, pro domino haberi, & rem in illius bonis conſtitui per traditionem, l. qui ſcit. 25. §. 1. D. de vſur. l. bonæfidei 48. in princip. D. de adquir. rer. domin. atque de hoc iure accipi debet, quòd quidem ius dominio proximum, in libero homine conſiſtere poteſt, in ſeruo

non

non poteſt, nec per eum domino adquiri, à quo non poſſidetur.

20 Denique Donellus & cæteri præcipuum ſuæ ſententiæ propugnaculum conſtituunt in l.ſi fundum 16. D.de fund. dota. in qua fundum ab alio bona fide poſſeſſum in dotem à muliere datum fuiſſe legimus, & dominium in maritum translatum, ſine vacuæ poſſeſsionis traditione, ſiquidem ipſe maritus rei vindicationem fundi habet contra poſſeſſorem: quam ſi intentare neglexerit, & ideò bonæ fidei poſſeſſor fundum vſuceperit, tenebitur mulieri ad æſtimationem fundi, & rem videbitur ſui periculi feciſſe.

21 Verum in d.l.ſi fundum nihil tale probatur. Mulier enim fundum in dotem dedit, & inſtrumento dotali ita profeſſa eſt: non tamen eum tradidit, quia cum ab alio poſsideretur, tradere non potuit. Dicitur autem in iure etiam ille fundus in dotem datus, qui traditus non eſt, l.ſi rem æſtimatam 14. cum l.ſeq. D. de iure dot. quia pro dote dicere vſurpatur, l. quia autem 23. D. de iure dot. Per hanc vero dotis dictionem, vel dationem, licet dominium in maritum nō fuerit translatum, transfertur tamen actio in rem, quam mulier habebat ad eum vindicandum: cum actiones in dotem dari ſoleant, & dotis datio pro ceſsione actionis ſit: vt notant Græci Interpretes ad l. quamuis, D. de iure dot. facit l.cum poſt 69. §.1. D.de iure dot. Atque ita textum in d.l.ſi fundum interpretantur Cont. d. lib.1. diſput. cap. 8. Bronch. centuria 3. aſſert. 81. Hotman. illuſtr. quæſt.cap. 11. Remanet itaque iuris rationi maximè conuenire, dominium, & ex naturali poſſeſsione cœpiſſe, & per poſſeſsionis apprehenſionem adquiri.

22 Ex quo iuris principio deſcendit, vt dominium in donatione ante traditionem minimè adquiratur, l.vlt. §. Lucius, D.de donatio. §. aliæ Inſtit. eodem. Nam in l. ſi quis argentum, §.ſed ſi quidem, & in l. quiſquis, C. de donatio. vſusfructus retentio pro traditione eſt. Cum poſſeſsionem namque transferat, qui vſumfructum retinet, & cum alieno nomine poſsideat, alium miniſterio ſuo poſſeſſorem facit, argum. legis quod meo 18. infra hoc titulo.

23 Vnde ſit, vt cum ad dominium rei donatæ transferendum traditio ſit neceſſaria, ſi permiſero tibi eximere ſaxum, vel cretam de meo fundo, & iam exemeris, dominiũ in te translatum fuiſſe conſtat: quia exemptionis factum naturalem poſſeſsionis apprehenſionem præfert, l. qui ſaxum 6. D. de donat. quibus conſequens eſt, vt ſi cum iam exemiſſes, non patiar, te ſaxum tollere; & actio ad exihendum, & rei vindicatio tibi eo nomine competat, vtpote domino illius rei iam per apprehenſionem conſtituto, l. permiſiſti 16. D. de præſcriptis verb. At ſi nondum exempto ſaxo, vel effoſa creta, eximere vetauero, cum nondum traditio interuenerit, & ideo dominium non habeas, deficientibus alijs actionibus, ad actionem de dolo confugere neceſſarium eſt, l. ſi cum mihi 34. D. de dolo: quæ cum ſubſidiaria ſit, actionem aliam exerceri non potuiſſe præſuponit, l. & eleganter 7. l. arbitrio 28 §. ſi dominus, l. cum à te 25. cum alijs, D. de dolo. Explicant Anton. Fab. in ſecundo tomo ration. in d. l. ſi cum mihi, Giphan. ad tit. D. de donatio. in d. l. qui ſaxum.

24 Deſcendit etiam ex ſuperiori iuris ratione, vt ſententia iudicis, nec in actione reali, nec in perſonali, nec in vniuerſalibus, ſpecialibuſve iudicijs dominium transferat, niſi traditio, vel adiudicatio fuerit ſequuta: cum ex ſententia obligatio naſcatur, & actio iudicati reſultet, l. ſi ſe non obtulit, §. ſoluiſſe, D. de re iudica. vnde quaſi contrahi in iudicio dicitur, l. 4. §. idem ſcribit, D. de pecul. Traditionibus autem, non contractibus dominia rerum adquiri diximus, d. l. traditionibus, C. de pact. Ideòque ex tali obligatione tenetur reus ad rem reſtituendam, l. à Di-

25 uo Pio 15. §. ſi rem, D. de re iudic. Quibus accedit, quòd in actione reali, in qua maximè euenire poterat, vt per ſententiam dominium translatum eſſet, nullus eſt caſus, in quo id eueniat: nam aut pronuntiat Iudex, dominum eſſe eum, qui verè dominus eſt, & ſententia non tribuit dominium, quod iam anteà actor habebat, §. ſic, itaque diſcretis. Inſtit. de actio; aut per errorem, & iniuſtè eum, qui non verè dominus erat, dominum declarat, & dominium, cùm

erret,

erret, transferre non poteſt,l. ſi per errorem 15. D. de iuriſd. omn. iudic. licet eodem errore, & de fructibus condemnare debeat, l. ex diuerſo 35. §. 1. D. de rei vindic. & exceptio competat rei iudicatæ, l. ſeruo 65.§.cum Prætor, D. ad Senat. Conſul. Trebel. Quod adeò verum eſt,vt nec 26
adiudicatione ſequuta, quamuis ſit modus transferendi dominij, vt conſtat ex Vlpian. in fragment.tit.19.dominiũ transferatur, ſed tantum vſucapiendi ius, l.ſi per errorem 17. D.de vſucapio. Atque ideò hanc opinionem poſt Acur. in l.exceptio, D. de re iudic. Petr. Cynum. & alios à Iaſo. relatos in l. ex hoc iure num.44. D. de iuſtitia & iure: defendit Anton. Fab. de erro. pragm. deca.98. erro.7. & ſequentibus, Gaſp. Schiphord. forenſ. diſputat. lib.2. tracta. 22. quæſt. 1. & lib. 3. tracta.21. Aluar. Valaſc. in praxi. cap. 2. num. 6.

Nec obſtant (hac ſententia retenta) fundamenta, qui- 27
bus contrariam opinionem tuentur Acurſ. in §. vltim. Inſtit. de officio iudic. Alexand. in l. Pomponius, §. ſi iuſſu num.9. & 10. infra hoc titulò, Bartol. & alij plures relati à Iaſo. vbi ſupra: nam in l. ſtatu liberi 29.§. Quintus Mucius, D. de ſtatuliberis, heres ſecundum quem pronuntiatum eſt, non ex ſententia fit dominus pecuniæ, ſed ex traditione facta ab ſtatulibero: ſimiliter & in l. ſed ſi pecunia 3. §. idemque erit dicendum, D. de rebus illor. non alienationem fecit, vel dominium tranſtulit ſententia iudicis, ſed reſtitutio facta à tutoribus propter auctoritatem ſententiæ. Denique in §. vltimo, Inſtit. de offic. iudic. quo præcipuè mouentur Interpretes, adiudicatio interceſſit, quam eſſe dominij transferendi iure Ciuili formam Vlpian. d. tit. 19. teſtatur. Vnde ex illo loco potius colligitur, ex ſententia dominium non transferri: nam dum Iuſtinian. in tribus illis iudicijs, familiæ herciſc. communi diuid. & Finium regundo. (in quibus ſemper adiudicatio intercedit) dominium tranſire docet, in cæteris idem non eſſe ſtatuendum, manifeſtè comprobat.

In textu ibi: *eiuſque rei veſtigium.*

28 Veſtigium naturalis occupationis in his, quæ terra, cœloque, marique capiuntur, remanere docet Paul. nam cum anteà nullius ſint, occupanti adquiruntur, l. 2 §. fin. l. 3. l. in laqueum, l. Pomponius cum alijs, D. de adquirend. rer. domin. §. feræ Inſtit. de rer. diuiſ. l. 17. tit. 28. par. 3. docent Alciat. in L. traditionibus, C. de pact. Cuiac. lib. 4. obſeruat. cap. 2. Fachin. lib. 1. controuerſ. cap. 1. Connan lib. 3. comment. cap. 3. Iaſo. conſil. 119. volum. 4. Rimina. conſ. 35. Rolan. conſil. 9. volum. 2. Couar. in regul. peccatum 2. part. §. 8. Sot. de iuſtitia & iure, lib. 4. quæſt. 46. art. 1. Vnde vſusfructuarius in ſaltibus poſſeſſionis venari poteſt, & quod ceperit, ſuum facit, ſi in venatione redditus fundi conſiſtant, iure vſusfructus, l. venationem 26. D. de vſur. l. fundo legato 22. D. de fundo inſtr. l. item ſi 9. § aucupiorum, D. de vſufr. ſi autem non conſiſtant, iuregentium, l. vſumfructuarium 62. D. de vſufr.

29 Cum itaque venatio iuregentium permiſſa ſit, fuerunt, qui exiſtimarent, eam à Principe prohiberi non poſſe. Hoſtien. & Ioann. Andr. in cap. non eſt, de decim. Decius conſil. 197. Afflict. in conſtitutio. Neapolita. lib. 3. rubric. 1. num. 9. & plures relati à Couar. in d. regul. peccatum 2. part. §. 8. Verius tamen eſt, ex iuſta cauſa, certis temporibus, vel locis venandi vſum Principem prohibere poſſe, vt communiter tenent Doctores, quos refert, & ſequitur Couar. loco ſupra citat. Fachin. d. lib. 1. cap. 1. Tiraq. tractat. de nobilitate cap. 37. num. 141. Caietan. quæſt. 17. cap. 12. Soto d. lib. 4. de iuſtitia & iure, quæſt. 46. art. 4. Medina de reſtitutione quæſt. 12. & alij plures adducti à Medic in tractat. de venatio. 1. part. quæſt. 5. & à Georg. de Nigromont. in tractat. de iure venandi parte 1. cap. 23. Vnde & iure noſtro propter publicam vtilitatem quibuſdam anni menſibus venatio, & piſcatio prohibentur, l. 1.

cum

cum ſequenti, tit. 8. lib. 7. nou. compilat. & Clericis propter ſtatus conditionem & dignitatem venādi vſus interdictus eſt in cap. 1. & 2. de Clerico venatore, & in Conc. Tridentin. ſeſſione 24. de reformatione cap. 12. & in l. 57. tit. 5. partita 1.

CAP. V.

De Bellorum origine, & iure ad interpretationem, d. l. 1. verſ. item bello capta.

IVriſprudentiæ noſtræ dignitas vel hinc apparere facile poteſt, quod de Regnorum cauſa cognoſcit, bellorum iuſtitiam decernit, & armatis exercitibus ius dicit. Duplicem regnorum originem ex hiſtorijs colligere poſſumus: antiquiorem vnam; recentiorem alteram, ſed vtramque vetuſtiſsimam. Hominem certè à Deo liberum propriæque mentis imperio ducēdum factum primum ſcimus, vt ſi ſolum perpetuo viuere, ac ſecum agere iuuaret, aut expediret, nulli alij forinſecus domino, ſed ſibi ipſi tantum, ideſt potiori ſui parti, interiori homini parendum fuiſſet. Verum cū non ad ſolitariam vitam, ſed ad ciuilem 1 2
editus vxori primū ſociæ, & adiutrici, deinde ſoboli filiorum frequenti, præpoſitum ſe à natura ipſa comperiſſet, l. 3. D. de iuſtitia & iure, familiare hoc regnum capeſſere vel nolentem ex officio oportuit. Atque exiſtimant philoſophi, ſapienteſque ferè omnes, per multa ſecula ſimplicius, ac ruſticum humanum genus non alia quam patria poteſtate gubernatum, ex qua familiæ cuiuſque ſenior ſiue pater, ſiue auus, domeſticis omnibus liberis ſeruis pariter ius dicebat. Quod agreſtibus feriſque Cyclopibus Homerum affinxiſſe Odiſ. 1, *Suis dat iura quiſque natis, atque vxoribus; nec alij alios curant*, quaſi quod olim commune omnibus gentibus fuerit, ipſi adhuc rudes retinerent Plato affirmat lib. 3. de legibus; & Seneca huius paterni imperij meminit lib. 3. de benef. cap. 11. *& quia vtile eſt iuuenmuti regi, impoſuimus illi quaſi domeſticos magiſtratus, ſub quorum* 3

cuſto-

cuſtodia contineretur, vnde & apud Romanos vitæ, neciſque in filios ſeruosve poteſtatem aliquamdiu remanſiſſe conſtat, l. in ſuis 11. D. de liberis, & poſthumis; l. vlt. C. de patr. poteſt. princ. Inſt. de his qui ſui vel alieni iur. ſunt.

4 Et quidem initio raris familijs, atque adeo latiſſimis cãpis longè alijs alia rura exigua colentibus, aut greges paſcentibus, communi arbitro non indigebant. Poſteà verò nouis ſubinde vicis, ſeu pagis, ex noua in dies hominum progenie ſuccreſcentibus, anguſtius habitare cœperunt, atque de limitibus agrorum de paſcuis, deque alijs rebus, & negotijs iurgari, & decertare. Inde lites, & bella inter familias ex quibus, & victoriæ, & imperia extitiſſe probabile eſt, & indicaſſe videtur Hermogenianus in l. ex hoc iure 5. D. de iuſtitia & iure: *Ex hoc iure*, inquit, *introducta bella, diſcretæ gentes, regna condita.* Aut enim in pace degentes populi ſpectatum iuſtitia, & probitate virum iudicem ſibi gubernatoremque conſtituebant qualis Medorum regni exortus ab Herodoto lib. 1. commemoratur: *Cum Medi*, inquit, *tota illa continente per vicos ſuis quique legibus, ſiue moribus liberi agerent, frequenterque ſe mutuo deprædarentur, & iniuria afficerent, Deinces vir eximia prudentia, & iuſtitia plerumque lectus arbiter, & propter iudiciorum æquitatem celebratus, tandem communi vicorum conſilio, & ſententijs rex*
5 *optatus confirmatuſque eſt.* Idem ferè principium Ariſtoteles Politicorum lib. 3. cap. 10. Polybius lib. 6. Iuſtinus lib. 1. legitimis regnis aſſignant, cum alicubi cœtus hominum duce præſideque carentis conueniſſet, quibus bello aut latrocinio vexatis, vir aliquis inſigni animi corporiſque robore, & heroica virtute ſe ſe ducem præbuerit, & ab iniuria defenſos, ſeu qua alio beneficio, videlicet vtiliſſimæ cuiuſque artis, aut fructus inuentione obligatos homines ſibi deuinxerit, vt ſponte illum ſibi regem crearent, aut de præteritis beneficijs grati, aut de imminentibus malis metuentes. Quales Iſraëlitas de Gedeone ſibi rege, ob reportatam à Madianitis victoriam, optando cogitantes audimus Iudic. 3. *Dixeruntque omnes filij Iſrael ad Gedeon, domine*

minare noſtri tu, & filius tuus, & filius filij tui: quia liberaſti nos de manu Madian. Ad quos autem vſus plerumque populi Reges optauerint, ac elegerint, indicant ijdem Iſraëlitæ à Samuele Regem flagitantes. *Rex erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes, & iudicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis*, regis nempè officium iuriſdictionis, & ducatus muneribus definiunt; quas regias artes indicauit Homerus de ſuo Agamemnone canens, *erat & iuſtus rex, & Fortiſſimus Imperator*, & Latinus Poëta. 6

Rex erat Æneas nobis quo iuſtior alter
Nec pietate fuit, nec bellò maior & armis.

Et quidem *principio*, vt ait Iuſtinus lib. 1. *rerum gentium, nationumque Imperium penes Reges erat*; minutis quibuſdam nationibus arbitror, & exiguis populis, qui ex ſingularum familiarum propagatione ſuccreuerant, potentior inter gentiles imperabat patris familias magis quam regis dominatione, & nomine. Vt recenti adhuc à diluuio ſolo ſuum Moabitis, Amonitis, Chananeis, Heueis, Pherezeis, alijs regem præſediſſe legimus. Hanc eandem regnorum faciem ex ſacrorum oraculorum luce nobis in Syria ſpectatam, vbique terrarum per nationum exordia fuiſſe, credere, & ratio, & Hiſtoriarum monumenta cogunt. 7

Erat certè orbi per quam importuna, & incommoda illa gubernationis forma, latrocinijs, deprædationibus, bellis, vaſtationibus perpetuò obnoxia, lapithis, Centauris, Tiphois, Scinibus, Procuſthis, Gerionibus, Cacis, alijſque aſſiduè monſtris fœcundiſſima, donec Deorum beneficio, & ſatu Heroes Dioniſij, Hercules, Theſei, Iaſones, Minoes, Cadmi, Amphiones cæterique hemithei, vt Poetæ canunt extiterunt, malorum auerrunci, legum & pacis latores, & iuſtitiæ vindices, & patroni. Hi imperia regnaque maiora per prouincias conſtituerunt vrbes condiderunt, 8

colo-

colonias inter barbaros, & feros homines deduxerunt, vnde pagi, vici, tuguria, ſinguli per loca viri, & familiæ leges acciperent, mores in melius reformarent ius peterent. Sed hi omnes iniuriam propulſare non facere à violentijs, & iniuſtis bellis defendere, non vim, iniuſtumve bellum inferre conſueuerant. Ideòque primis illis temporibus, vt Iuſtin. lib. 1. refert, potius Imperij limites tueri, quã proferre mos erat. *Atqui poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia, ac pudore ambitio, & vis incedebant, prouenere dominationes, multoſque apud populos æternum manſere.* Tacit. lib. 1. annal. cap. 4. Primus namque Ninus, vel Bellus Rex Aſiriorum *veterem gentium morem noua Imperij cupiditate mutauit*, bellaque non ſolum finitimis, ſed etiam longè diſſitis populis intulit, alijque Reges alias apud Nationes, Vrbes, & Prouincias ſubijcere cœperunt, & vt Salluſtij verbis lib. 1. de coniurat. Catilin. vtar: *Libidinem dominandi cauſam belli habere, maximam gloriam in maximo Imperio putare.* Licitum, honeſtumque prætendentes eos, qui potentia, viribuſque pollerent, imbecillioribus imperitare. & eorum res raptũ ire. Nam vt Liuius lib. 5. refert: Gallorum Rex Brenus, cum Romanorum agros deuaſtaret: *Se in armis ius ferre, & omnia virorum fortium eſſe iactabat, nihilque nouum, nihil iniquum facere, ſed Romanos ipſos imitari, & legem ſequi vetuſtiſſimam, quæ dat potentiori facultates inferioris, vt in animalibus videre eſt, in quibus validiora imbecillioribus dominantur.* Commemorat Plutarch. in Camilli vita, & Ioſephus deditionem ſuadens Hieroſolymitanis aiebat: *Legem conſtitutam eſſe, quæ inter feras, homineſque vigeat, cedendum potentioribus eſſe, & illos rerum ſummam, apicemque tenere, qui armis plus poſſent*, refert Ioſephus lib. 5. cap. 26.

Hac itaque ferarũ lege vſi & dominandi libidine ſtimulati Cyrus Medorum Imperium ad Perſas tranſtulit, Alexander Perſas ſubiecit, Romani orbis imperio potiti ſunt Gothi, Vandali, aliæq. barbaræ gentes Italiam, Galliã, Hiſpaniãque ſubiecere, Turchæ Orientale Imperium occuparũt; & vt Claudiani carmine vtar, Panegy. 3. ad Stilichonẽ:

Sic

Sic male ſublimes fregit Spartanus Athenas,
Atque idem Thebis cecidit, ſic Medus ademit:
Aſsirio, Medoque tulit moderamina Perſes,
Subiecit Perſem Macedo ceſſurus & ipſe
Romanis.

Natura namque comparatum eſt, vt potentia,& opibus, quas per fas, nefaſque inuaſere, Reſpublicæ ipſæ intereāt, luxuria, ſuperbia, auaritia,& otio eneruatæ, *& creſcentibus cum ipſa magnitudine Imperij vitijs,* vt Flor. ait lib. 2. cap.19. *nam cætera Regna,* Claudian. inquit. 10

Luxuries, vitijſque ſuperbia vertit.

Et Silius Italic.

-------------- Idem aſpice late
Florentes quondam luxus quas verterit vrbes.

Et Catullus.

Otium, & Reges ſimul, & beatas
perdidit vrbes.

Nam vt Salluſt. de Romanis ſcribit: *qui labores, pericula, duras, atque aſperas res facile tollerauerant, his otium diuitiæ optandæ alijs, oneri, miſeriæque fuere*: atque ita Imperium ſemper ad optimum à minus bono transfertur.

Libido itaque dominandi, & Imperij, diuitiarumque cupiditas bellum induxit, quod ex concupiſcentijs ortum, vt Diuus Iacobus in epiſt. cap.4. monet, omnia rapinis, cædibuſque turbat, ſanguine, flagitiſque polluit, ciuitates diruit, Reſpublicas euertit, imperia transfert. 11

Quippe vbi fas verſum, atque nefas tot bella per orbem
Tam multa ſcelerum facies.

Vt Latinus Poeta Georgic. 1. Nam vt Paulus Oroſius lib. 1. cap. 1. quid aliud bella dicenda ſunt, quam in alterutrũ mala: mala ſcilicet huiuſmodi, quæ fuerunt, vel quæ nunc ſunt: & in quantum ſunt, aut manifeſta peccata ſunt, aut occultæ punitiones peccatorum, & inter diuina flagella connumeratur, vt refert Petrus Gregorius lib. 31. ſintagmat. cap.22. Quo bellandi genere nihil crudelius, nihil iniuſtius:

iuſtius:& vt Diuus Auguſtin.lib.22.cótra Manicheum, cap. 74. & 75. relatus in cap.quid culpatur 4. 23. quæſt. 1. docet: *Nocendi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominãdi, & ſi quæ ſimilia hæc ſunt, quæ in bellis iure culpantur.* In quibus adquiſita, vel potius ablata capientium non fiunt, ſed dominis reſtitui neceſſario debent, cap. ſicut 29. de iur. iurando, D. Thom. de regimine Princip. lib. 3. cap. 11.

12 Sunt tamen, vt Liuius lib. 5. ſcribit, *belli, ſunt pacis iura*, & vt Tacitus lib. 4. hiſtor. *fas armorum, & ius hoſtium.* Nam ſicut iniuſta bella contra ius legemque naturæ, ita iuſta, & legitima à ſummis Principibus, iuſtitiæ vindicibus, opreſſorum defenſoribus, orbis pacatoribus, indicta ex gentium iure introducta ſunt, vt ſupra diximus, l. ex hoc iure 10. D. de iuſtitia & iure. Ideòque neceſſaria, honeſta, & licita Chriſtianis eſſe, ſi legitimè, iuſtèque inferantur, conſtat ex diuinis literis: vbi bella ipſius Dei monitu, ductu, & præſenti auxilio geſta videmus à ſanctiſſimis, Deoque probatiſſimis viris Abrabam, Moiſe, Dauid, Ioſue, Iedeo, & Iuda Machabeo portentis, miraculiſque expeditiones ipſas domino probante, & vt Ioſue cap. 10. *Steteruntque Sol, & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis*, & inferius, *non fuit poſtea, & ante tam longa dies obediente Deo voci hominis, & pugnante pro Iſrael.* Vnde Diuus Auguſtin. in cap.

13 noli 23. quæſt. 1. *noli exiſtimare*, inquit, *neminem Deo placere poſſe, qui in armis bellicis militat, in his erat Sanctus Dauid cui Dominus tàm magnum perhibuit teſtimonium; in his etiam plurimi illius temporis Iuſti.* & in dict. cap. quid culpatur, non bella iuſta, ſed iniuſta culpari, docet, & non eſſe delictum militare, & bellum gerere, ſed laudabile, & honeſtum etiam Dei cultoribus, idem Sanctus docet in cap. militare 5. cap. adhuc 6. dicta quæſtione 1. conſtatque ex cap. 1. & ſequentib. 23. quæſt. 2. Docet Diuus Ambroſius lib. 1. officio. cap. 33. Diuus Bernardus in ſermone ad milit. templi. Vnde & Machabeorum lib. 2. capit. 15. Hieremiam Prophetam gladium Iudæ tradidiſſe, legimus, dicens: *Accipe ſanctum gladium, munus à Deo, in quo deijcies aduerſarios*

ries populi mei Iſrael. Et ſanctiſſimns Ioannes vox illa diuina, quæ viam Domino parabat, militibus eam ingredi volentibus non iubet militiam deponere, ſed eam iniuſtè, & ſancte exercere Luc. cap. 3. Inde tot expeditiones contra 14
Turcas, & alios Chriſtianæ religionis hoſtes à Summis Pontificibus decretæ. Inde Chriſtianorum Principum arma toties Cœleſtibus miraculis, & manifeſto auxilio inuicta; inde Imperator Conſtantinus hoſtes deuicit Crucis ſigno diuinitus oſtenſo; quod in Labaro, vexilliſque conſtituit: cecinit Prudent. aduerſus Symmachum.

Chriſtus purpureum, gemmanti textus in auro,
Signabat labarum, clypeorum inſignia Chriſtus,
Scripſerat, ardebat ſummis Crux addita criſtis.

Indeque Reges noſtri DIVVM IACOBVM SANCTISSIMVM HISPANIÆ APOSTOLVM, ET PATRONVM FORTISSIMVM, candidis armis, candido vexillo, purpuranti Crucis ſigno diſtincto plurimis in bellis ſpectarunt, phalanges hoſtium fundentem, exercitus fugantem. Error itaque eſt in fide, affirmare vniuerſaliter, bellum eſſe illicitum, vt affirmarunt Hæreſiarchæ, quos refert Caſtro aduerſus hæreſes verbo *bellum*, & contra quos diſputat latè Molina de iuſtitia & iure, tract. 2. quæſt. 99. quorum error damnatus eſt à Summ. Pontif. Leon X. in Bulla, quæ habetur tertio Conciliorum tom. poſt Lateranenſ. Concil.

Prima iuſti belli lex eſt, vt illius finis, & ſcopus Reipub. 15
pax, & ſecuritas ſit, Cicer. lib. 1. officio, & vt D. Auguſtin. in cap. noli 23. quæſt. 1. *Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas: non enim pax quæritur, vt bellum exerceatur, ſed bellum geritur, vt pax adquiratur.* Pacis itaque ſtudio debent exercitus produci, phalanges armari; vt mali coerceantur, & boni, iuſtique ſubleuentur, cap. apud veros 6. 23. quæſt. 1. Bald. conſil. 432. Nam qui cupiditate diuitiarum, & alienis theſauris inhiantes auaritia, & ambitione bellum mouent, miſeros ſibi, & Reipub. caſus afferunt; & vt Iuuenal. Satyra 10.

Multos tamen obruit olim gloria paucorum;
Et laudis, titulique cupido.

Et ſicut de Craſo ſcribit Florus lib. 3. cap. 11. *Aduerſa, & Dijs, & hominibus cupiditas Conſulis Craſi, dum Parthico inhiat auro; ſtrage vndecim legionum, & ipſius capite mulctata eſt.*

16 Secunda lex belli eſt, vt publica auctoritate inferatur à Principe, vel Republica non recognoſcente ſuperiorem, d. cap. quid culpatur 23. quæſt. 1. cap. 1. 23. quæſt. 2. D. Thom. ſecunda ſecundæ quæſt. 4. art. 1. Couar. in regul. peccatum 2. par. §. 9. Soto de iuſtitia & iure lib. 5. quæſt. 3. art. 5. Molina de iuſtitia & iure tracta. 2. diſput. 100. Bartol. in l. hoſtes, D. de capti. Oldrad. conſil. 70. Nam ciuitates, vel prouinciæ Regi, Imperatorive ſubiectæ priuatorum loco ſunt, l. bona 15. l. eum, qui 16. D. de verbor. ſignific. Ideòque iure agere apud ſuperiores, ſicut priuatus quilibet, debent. argum. textus in l. nihil intereſt 15 D. ad Senatuſconſultum Maced. l. 1. §. ſi tamen, D. de ædilitio edict. l. ob pecuniam 81. D. de furt. de cuius textus conciliatione cum l. 3. §. vlt. D. ad l. Iul. pecul. videndi ſunt Alcia. lib. 1. diſputat. cap. 3. Petrus Gregor. lib. 32. ſintag. cap. 19. Duaren. lib. 1. diſput. cap. 26. Pet. Fab. lib. 1. ſemeſt. cap. 22. Forner. lib. 2. ſelectar. cap. 22. Cuiac. lib. 1. reſponſor. Papinian. in d. l. ob pecuniam. Latè & eruditè in teſſera legum in Binio, ſiue duplici iactu, meus ex neceſſitudine, ex amore, ex ipſius in me beneficijs, D. Laurentius Ramirez de Prado, in ſupremo Regij patrimonij ſenatu cõſiliarius, diuini, humanique iuris peritiſſimus, omnibus titulis maior ſummis honoribus ex meritis, & publicis votis digniſſi-
17 mus. Qua ratione Vlpian. & Pompon. in l. hoſtes 24. D. de capt. & in l. hoſtes 118. D. de verb. ſigni. hoſtes eos eſſe definiunt, *quibus publicè Populus Rom. bellum indixit, vel ipſi Populo Romano.* Publicè autem in his legibus ſicut in l. in tantum 9. §. ſacræ, l. ſacra 9. D. de rer. diuiſio. intelligi debet *per Pontif. publica auctoritate.* Conſtat namque Populum Rom. bella per Fæciales decreuiſſe, & indixiſſe. *Hos Faciales,* vt Plutar. in vita Camil. *quietiſſimus, & iuſtiſſimus Rex*

inſti-

inſtituit Numa pacis cuſtodes; cognitores, arbitroſque cauſarum belli indicendi legitimarum: eadem pœnæ de illis & Dioniſ. Halicarnaſ. lib. 2. addens, eos ſelectos fuiſſe ex præſtantiſſimis familijs; inter quos primus Princepſque habebatur ille, quem *Patrempatratum* appellabant, eo quòd filios haberet, quibus proſpiceret;& Patrem ſuperſtitem, cum quo deliberaret. Fæciales itaque de cauſa belli cognoſcebant, Liuius decad. 4. lib. 1. & ſi iuſtam inueniebant, bellum indicebant ſolemni formula verborum, & res ab hoſtibus repetentes, & Deorum iras illis deprecantes, haſtamque in hoſtium fines manu torquentes, vt refert Feſt. Pomp. lib. 2. & 8. Aul. Gell. lib. 10 noct. Attic. cap. 27. & lib. 26. cap. 11. Amian. Marcellin. lib. 19. Quam haſtam ſumi ſolere de columna quæ in Ara templi Bellonæ erat, cecinit 18
Ouid. lib. 16. Faſtor.

Hinc ſolet haſta manu belli prænuntia mitti
In Regem, & gentes, cum placet arma capi.

Ad quem morem reſpicit Statius lib. 12. Thebaid.

Ite alacres, tantæque precor confidite cauſa,
Dixit, & emiſſa præceps iter inchoat haſta.

Quibus itaque bellum hoc ritu publica authoritate indictum fuerat, eos hoſtes eſſe docent Conſulti in d. l. hoſtes vt appareat, ius belli locum habere, & ab illis capta poſtliminij iure indigere, vt in poteſtatem dominorum reuertantur: nam cæteri, quibus publica authoritate bellum non indicitur, latrones, vel piratæ appellantur, à quibus qui capiuntur, eorum ſerui non fiunt, nec poſtliminij iure indigent, d. l. hoſtes 24. l. latrones 27. l. poſtliminium 19. §. à piratis, D. de capt. qua ſimiliter ratione Proculus rectè docuit, inter nos, & fæderatos populos poſtliminij ius non eſſe; cum tales populi libertatem ſuam, & dominium rerum ſuarum apud nos æquè, atque apud ſe retineant. l. non dubito 7. D. de captiuis.

Nec ijs aduerſatur l. mulier 6. D. de cap. vbi mulier in 19
opus ſalinarum data, & conſequenter pœnæ ſerua effecta l. ſunt quidam 17. l. in metallum 36. D. de pœn. ſi à latrunculis exteræ gentis capta ſit, & iure commercij vendita,

atque redempta, iure poſtliminij in ſuam cauſam reuertitur, & pœnæ reſtituitur. Exteram enim gentem Conſultus appellat eam, cum qua nec hoſpitium, nec amicitiam, nec fœdus amicitiæ cauſa habemus: qui quidem populi licet hoſtes non ſint, tamen, quod ex rebus noſtris capiunt, illorum proprium efficitur, l. poſtliminij 5. §. in pace. D. de capti. Vnde cum mulier, de qua in d. l. 6. à latrunculis exteræ gentis capta proponatur, eorum ſerua effecta eſt, ideoque poſtliminij ius neceſſarium fuit, vt pœnæ tamquam antiquo domino reſtituerunt, quaſi non tam à latrunculis, quàm ab extera gente, ex qua illi erant, capta proponeretur.

20 Tertia lex belli iuſti conſiſtit in vindicatione, vel propulſatione iniuriæ: Quoties enim vim, vel iniuriam inferendam propulſamus, & Rempublic. defendimus; vel illatam vindicamus, iniuſtèque ablatas, vel occupatas res repetimus, iuſtiſsima belli cauſa cenſetur, cap. dominus 22. quæſt. 2. D. Auguſtin. in Ioſue, tit. 5. quæſt. 10. D. Tho. 22. quæſt. 40. art. 1. Couuar. in d. regu. peccatorum num. 3. Quamuis enim priuatis iniuriæ vindicatio ſit illicita, Reipublicæ tamen honeſta, & permiſſa eſt, quia illius incolumitas plerumque magis in dignitate, & maieſtate, quam in opibus, exercitibuſque conſiſtit. Fama namque ſtare Imperia conſtat; ideoque bellum aduerſus Germanos ſuſceptum ſub extremis iam Auguſti temporibus, commemorat Tacit. lib. 1. annal. *abolendæ magis infamia ob amiſſum cum Quintillio Varrone exercitum, quam cupidine proferendi Imperij, aut dignum ob præmium.*

21 Denique ſubditorum punitio, & rebellium populorum ſubiugatio, inferendi belli iuſta cauſa eſt dict. cap. quid culpatur 23. quæſtion. 1. 2. Regum. cap. 20. Couuar. vbi ſup. num. 4. Molin. de iuſt. & iur. tract. 2. diſput. 104.

22 Ex quibus decidenda eſt ardua quæſtio varie hinc, indeque diſputata: an aduerſus Infideles ex eo ſolo, quod Infideles ſint, iuſtè poſsit bellum geri? Non enim rerum ſuarum dominium, aut gentium Imperium ex eo Re-

ges

ges amittunt, quod infidelitatis tenebris excæcati Diuinæ legis clariſſimum lumen non videant, cum in Diuinis litteris, & Reges appellentur, & Regnum à Deo accepiſſe dicantur, vt conſtat ex lib. 2. Paralipomen. cap. 36. & ex lib. 1. Eſdras capit. 1. in illis verbis: *Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli:* & Iſaias cap. 45. *Hæc dicet Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubijciam ante faciem eius gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & porta non claudentur.* Deus enim terrarum, Cœlique Dominus, & Regum Rex maximus, regna ipſe concedit, & ſecundum Diuinam ſuam prouidentiam Imperia transfert: & vt ipſe apud Hierem. cap. 27. loquitur: *Ego feci terram, & homines, & iumenta, quæ ſunt ſuper faciem terræ in fortitudine mea magna, & in brachio meo extenſo, & dedi eam ei, qui placuit in occulis meis; & nunc itaque ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babilonis ſerui mei; inſuper, & beſtias agri dedi ei, vt ſeruiant illi, & ſeruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius, & ipſius.* Et Prouerbiorum cap. 8. *Per me* inquit Dominus, *Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt: Per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.* Vnde apparet, cum infideles Principes etiam 23
Regnum à Deo acceperint, & Imperium in ſibi ſubditos iure habeant, aduerſus eos nulla alia exiſtente iuſta cauſa, bellum non eſſe licitum, aut permiſſum, capit. diſpar. 23. quæſtion. 8. leg. Chriſtianus, Cod. de Pagan. D. Thom. 2.2. quæſtio. 20. artic. 1. Deinde, quia cum, vt ex ſupra dictis conſtat, iuſtum bellum, vel defenſiuum ſit, vel vendicatiuum, vel punitiuum, neutrum horum contra infideles locum habet; Non defenſiuum, vel vindicatiuum, quia illorum infidelitas nullam nobis vel intulit, vel infert iniuriam, vel offenſam; Non punitiuum, quia illud in ſubditos tantum exercetur. Ad Eccleſiam autem non pertinere punitionem infidelitatis in illos, qui nunquam fidem Chriſti ſuſceperunt, docet D. Thom. 2. 2.

quæſt. 12. art. 2. Ideòque hanc ſententiam defendunt, & contra infideles bellum iuſtum non eſſe, niſi alia iuſta cauſa præter infidelitatem interueniat, affirmant D. Thom. d. quæſt. 12. art. 2. Caietan. quæſt. 66. art. 8. Domin. Sot. in quartum ſentent. diſtinct. 15. quæſtion. vnic. art. 10. Molin. de iuſt. & iur. tract. 2. diſput. 206. Couu. in d. reg. peccat. 2. par. §. 10. apud quos videre licet, circunſtantias quæ concurrere debent, vt bellum licitè infidelibus poſſit inferri.

24 Si itaque bellum legitimè, & iuſtè illatum proponatur, ea, quæ fugatis hoſtium copijs, exercitibuſque deuictis capimus, iure gentium ſtatim noſtra fiunt, vt conſtat ex l. 1. §. 1. D. de adquir. poſſeſ. l. naturalem 5. §. fin. l. transfugam 51. D. de adquir. rer. domin. l. hoſtes 24. l. ſi quid bello. 28. D. de capt. §. item ea, Inſtit. de rer. diuiſ. l. 20. tit. 28. partit. 3. docent Couar. vbi ſup. §. 9. & 11. Menchaca lib. 1. de ſucceſ. creat. §. 1. num. 43. Connan. lib. 3. comment. cap. 3. Donel. lib. 3. comment. cap. 21. Vacon. lib. 1. declarat. cap. 21. Duar. in d. l. 1. §. 1.

25 Sed difficultatem meritò illud facere videtur, quod ager ab hoſtibus captus publicari dicitur, id eſt publicus effici, in l. ſi captiuus 20. §. 1. D. de capt. & captiuorum bona non occupantium fieri, ſed in fiſcum, vel publicum ærarium redigi debere, apparet ex l. Diuus 31. D. de iure fiſc. Ideoque, cum ille tantum lege Iulia peculatus teneatur, qui pecuniam ſacram, religioſam, vel publicam ſubripuit, l. 1. & tot. tit. D. ad l. Iul. peculat. conſtat, eum, qui ex præda aliquid ſubtraxit, illa lege condemnari, l. penult. D. ad l. Iul. pecul. igitur præda non priuatorum, ſed publica efficitur.

26 Dicendum tamen eſt, veriſſimum eſſe, capta ab hoſtibus capientium fieri, vt in dictis iuribus traditum eſt, ſed cum bella publice à Principe, vel Republica, eiuſque expenſis gerantur, ea, quæ capta ſunt, non à priuato quolibet milite, ſed ab ipſo Principe, vel Republica capta videntur, cuius nomine, & ſtipendijs omnis exercitus mili-

tat,

tat. argum. leg. 3. § cum igitur, D. de vi, & vi arm. cuique ipſe ſummus belli Imperator, aut dux operam nauat. Præda itaque ab hoſtibus capta capientis, id eſt Reipub. efficiebatur, & in publicum per Quæſtores redigi ſolebat; captiuiſque & ſpolijs venditis pecunia in ærarium deferebatur, vt conſtat ex Liuio lib. 5. 25. & 38. & ex Plaut. in captiu. actu 1. ſcæn. 1.

Aduerte animum: ſcis tu iſtos captiuos duos,
Heri quos emi de præda, de Quæſtoribus:
His indito catenas ſingularias.

Eleganter igitur Modeſtinus noſter iſtius Iuris conſcius ſcripſit in d. l. penult. D. ad l. Iul. pecu. eum, qui aliquid ex præda ſubtraxerit, lege Iulia pecul. teneri, quia pecuniam, vel rem publicam ſubtraxiſſe manifeſtum eſt, Cice. in orat. in Verrem Conſtatque ex Valer. lib. 5. cap. 3. & ex Zonara. tom. 2. Annal. & alijs, qui referunt, plures Imperatores, quod de præda hoſtium aliquid detraxiſſent, lege peculatûs damnatos?

Vnde apparet, rectè Conſultum, in l. transfugam. 51. 27
§. 1. D. de acquir. rer. dom. cum ſcriberet, hoſtiles res occupantium fieri, non de quibuslibet rebus loqui, ſed de his, quæ apud nos aliquo caſu ſunt, quæ cum nullius ſint, & nec publico bello, nec ſtipendijs Reipub. aut illius nomine capiantur, non publicæ ſunt, ſed occupanti acquiruntur ex generali ratione textus in l. 3. D. de acquir. rer. dom. Ideoque Celſus non ita loquutus fuit, vt capientium fieri diceret, vt in l. naturalem 5. in fin. D. de adquir. rer. domin. ſed occupantium; quod dici, ſolet de illis rebus, quæ dominum non habent; non de illis, quæ bello dominis auferuntur. Idque etiam apparet ex eo, quod 28
in illa lege tractauerat anteà Conſultus, non de homine capto in bello, ſed de illo, qui ad nos trãsfugerat; quem docet, iure belli recipi, & retineri poſſe: quia talis receptio, & retentio iure belli non prohibetur: quomodo illum textum interpretantur Cuiac. lib. 4. obſeru. cap. 9.

H 3 Petr.

Petr. Fab. lib. 2. ſemeſtr. cap. 3. ius enim belli pro poſtliminio accipi apud Conſultum non poteſt, niſi ad ſeruum transfugam verba Conſulti reſtringamus, vt fecit Giphan. in ead. l. quia in transfugis poſtliminij ius locum non habuit, l. item ei 14. D. ex quib. cau. maior. l. poſtliminium 19. §. transfugæ, D. de captiu. l. ſi quis fortè, C. de poſtlimin. reuerſ.

29 Ex publica autem præda, ſicut ex publicis agris aliqua pars militibus aſſignari ſolebat, l. item ſi 15. §. item ſi fortè, D. rei vindicatione, l. Lucius, D. de euiction. l. in agris 16. D. de adquir. rer. domin. Hodie tamen quomodo ſpoliorum, rerumque ab hoſtib. captarum diuiſio fieri debeat, traditum eſt in tit. 26. partit. 2.

30 Quod autem de præda diximus, ita demum locum habet, ſi res hoſtium fuerint; nam ſi res noſtræ ab hoſtibus ablatæ fortitudine noſtrorum militum recuperatæ ſint, ad veteres dominos pertinent, ſi nondum in præſidia hoſtium perlatæ fuerint; quia nondum hoſtium effectæ ſunt, l. poſtliminij 5. §. 1. l. poſtliminium 19. §. poſtliminio, D. de captiu. l. 26. titulo 26. partit. 2. docent Interpretes communiter teſte Iaſone num. 11. Rip. num. 5. in l. 1. D. de adquirend. poſſeſſ. Couuar. in regul. peccatum 2. part. numer. 2. & 7. argument. legis Pomponius, D. de acquir. rer. domin. leg. ab omnibus, Cod. de poſtlimin. reuer. ſed, & ſi iam in præſidia hoſtium res noſtræ peruenerint, & illorum fuerint effectæ, militum tamen opera recuperatæ nobis reſtituuntur, leg. ſi captiuus, §. 1. leg. ſi quid bello, D. de captiu. Duaren. in dict. l. 1. Donel. lib. 4. comment. capit. 21. Molin. de iuſt. & iure tractat. 2. diſput. 118. quod ad eas tantum res reſtringi debet, in quibus poſtliminium locum habet, vt eo iure eas recuperemus, de quibus in l. 2. & ſequent. D. de captiu.

31 Ex ijs deducitur in legis Corneliæ fictione, quæ inducit, captiuum deceſſiſſe eo inſtanti, quo captus eſt, vt liber, & Ciuis Romanus decedat, leg. cum hic ſtatus 32.

§. ſi

§. ſi ambo, D. de donation. inter l.pater 10. leg. in omnibus 18. D. de captiuis non eſſe neceſſariam Emanuelis Acoſtæ interpretationem in capite ſi pater 2. parte, §. teſtatore mortuo, num. 15. exiſtimantis, cum eo tempore, quo quis capitur, ſeruus iam ſit, dict. leg. naturalem 5. D. de adquir. rer. domin. §. item ea, Institut. de rer. diuiſion. non fingere legem Corneliam deceſſiſſe captiuum, cum captus eſt, ſed antè captiuitatem præambula hora: nam cùm captus ab hoſtibus, antequam in præſidia perducatur, maneat ciuis, dict. leg. poſtliminij 5. §. vltim. dict. leg. poſtliminium 19. §. poſtliminio, D. de captiu. dict. leg. 26. tit. 26. partit. 2. rectè lex finxit, eo tempore deceſsiſſe, quo captus eſt, dict. leg. pater, cum ſupra citatis: quia tunc adhuc liber, & ciuis remanet. Tenent Bart. in l. ſi is, qui pro emptore, D. de vſucapion. num. 7. & 53. Cuman. & Chriſtophor. de Caſtell. quos refert Iaſo. ibidem num. 94. & latius dicemus infra tract. 3.

CAP. VI.

De perſonis, per quas poſſeſſio adquiratur, & primam de furioſo, infante, & pupillo, ad ſ. adipiſcimur, huius legis.

LIbro 54. ad edictum tractauit Paulus poſſeſsionis, & 1 vſucapionis materiam, vt colligitur ex hac l. noſtra, l. 3. l. & ſi nolit 7. infra hoc tit. l. 2. & 4. D. vſucap. l. 2. D. pro empto. l. 2. D. pro dona. l. 2. D. pro de relict. quæ omnes ex illo lib. de ſumptæ ſunt. Cum igitur de poſſeſsione, & illius natura generalia quædam propoſuerit in princip. legis, & §. 1. nunc de perſonis, quæ poſſidere poſſunt, agere incipit Conſultus: quem ordinem,

& in vſucapionis tractatu obſeruauit, vt conſtat ex d. l. 4. in princip. D. de vſucapion. & primò quidem in hoc § docet, per noſmetipſos poſſeſsionem adquirere; quod & de dominio dictum eſt, in l. adquiruntur 10. D. de adquirend. rer. dom. princ. Inſtit. per quas perſon. in §. item acquirimus, & ſequentibus, de illis perſonis, per quas poſſeſsio nobis quæritur, tractaturus.

2 Cum igitur conſtet; per noſmetipſos nobis adquirere, certi, & indubitati iuris eſſe, l. ſtipulatio iſta 38. §. alteri, ff. de verbor. oblig. non enumerat Paul. eas perſonas, quæ poſsint ſibi adquirere, ſed illas, quæ propter aliquod impedimentum, poſſeſsionem quærere non valeant. Nos itaque eum ſequuti, de ſingulis videamus.

Ibi: *Furioſus.*

3 Furioſi nulla voluntas, nullum iudicium, nullus animus eſt, l. qui ſeruum 47. D. de adquir. hered. l. ſi cum dotem 22. §. ſi maritus, D. ſolut. matr. l. furioſi 40. D. de reg. iur. ideoque abſentis, ignorantis; & dormientis loco habetur, hoc §. noſtro, l. 2. § furioſus, D. de iur. codicil. l. 4. D. de diuort. l. ſed ſi vnius 17. §. filius famil. D. de iniur. l. ſi à furioſo 24. de obliga. & actio. l. vbi non voce 24. in fin. de reg. iur. l. 4. tit. 11. par. 5. l. 13. tit. 1. part. 6. Donel. lib. 7. comment. cap. 9. Petr. Faber in l. 5. D. de regul. iur. Hotman. lib. 4. obſeru. cap. 9. D. Antonius Pichardo lib. 3. inſtit. ad tit. de heredit. quæ ab inteſtat. in §. ſui autem num. 6. Cùm itaque poſſeſsio non ſolum facti, ſed etiam animi ſit, l. 1. §. Scæuola, D. ſi is, qui teſt. liber eſſe; & ad illius adquiſitionem, retentionem, vel amiſsionem animus, & affectus interuenire debeãt, ſine quibus corporis factum nullius momenti, eſt l. 3. in princ. & §. in amittenda, l. quemadmodum 8. l. licet, C. eod. l. 6. tit. 30. partit. 3. rectè Paul. in præſenti docet, furioſum poſſeſsionem adqui-

adquirere non poſſe, quia affectum poſſidendi non habet, licet maxime corpore ſuo rem contingat, ſicuti ſi quis dormienti aliquid in manu ponat. Vnde & eum poſſidere negauit Celſus in l. quod meo 18. §. ſi furioſo inf. hoc tit.

Qua ratione ſimiliter nec amittere poſſeſſionem furioſus poteſt, dum in furore eſt quia vt elegãter dicebat Procul. in l. ſi is qui 27. infra hoc titulo, *non poteſt deſinere animo poſſidere*. Ideòque nec latitare intelligitur, nec ex hac cauſa bona eius venire ſolent, l. Fulcinius 7. §. adeò autem, D. ex quibus cau. in poſſeſ. eatur. Denique nullum actum 4
gerere valet, ſi animus in eo deſideretur: Non poteſt enim 5
contrahere, l. 1. §. vltim. D. de oblgat. & actio. Non teſtamentum, aut codicillos conficere, l. filius famil. 16. §. 1. D. de teſtament. d. l. 2 §. furioſus, D. de iur. codicil. Non vxorem ducere, l. furor 8. D. de ſponſal. l. oratione 26. in fine, D. de rit. nupt. l. patre 8. D de his, qui ſunt ſui: Non nuptã repudiare, l. 4. D. de diuort. d. l. ſi cum dotem 22 §. ſi maritus, D. ſolut. matr. Non magiſtratum gerere, l. cum prætor 12. §. non autem, D. de iudic. l. iudex 46. eodem titulo, licet ſtatum, & dignitatem retineat, l. nec mandante 8. §. 1. D. de tutor. & curat. d. l. iudex 46. Non delictum committere, l. congruit 13. § vltimo, cum l. ſeq. D. de offic. præſid. l. 3. §. 1. D. de iniur. l. infans 12. D. ad l. Cornel. de ſicar. Illarum itaque tantum rerum, vel negotiorum capa- 6
ces ſunt furioſi, in quibus, nec præſentia, nec ſcientia opus eſt, l. ſi à furioſo 12. D. de reb. cred. l. ſi à furioſo 24. l. furioſus 46. D. de oblig. & act. l. furioſus 63. D. de adquir. hered. d. l. filius famil. 16. § 1. D. de teſtament. l. cum furioſus 39. D. de iudic. in quo textu loquitur Papinian. de illo, qui non perpetuo furioſus erat (vt ex ſpecie ipſius reſponſi colligitur) nam alioqui perpetuo furioſus natura impeditur iudex eſſe, d. l. cum prætor 12. D. de iudic. Non mirũ itaque ſi furioſi factum nihil ad poſſeſſionem adquirendã, vel amittendam proſit, cum ſine affectu, & animo ſit, d. l. 3. §. 1. D. de iniur. adeò vt animalium ratione carentium, vel inanimatatum rerum facto, aut caſui comparetur, l. ſed & ſi, 5. §. & ideo, D. ad l. Aquil.

Verum

7 Verum his aduerſari videtur, quod ad poſſeſſionem retinẽdam etiam animus exigitur, d.l.3.§ ſaltus, l.clam, §.1. l.peregre infra hoc titulo: vnde cum furioſum poſſeſsionem retinere, & vſucapionem continuare, ſcriptum ſit in l.4.§.furioſus, l.nunquam 31.§.ſi vi, aut clam l.iuſto 44. §.eum, qui D. de vſucap. ſimiliter, & adquirere poſſeſſionem dicendum videbatur. Reſpondetur tamen, illud accidere, non quia furioſus animum ad retinendam, vel inchoandam poſſeſſionem habeat, ſed quia non habet animum ad amittendam, d.l. ſi is, qui 27. infra hoc titulo: atque ita vſucapionem continuat, non propter poſſibilitatem ad poſſeſſionem retinendam, ſed propter ad amittendam impoſſibilitatem: cum neceſſe ſit, vt poſſeſſor animo poſſidere deſinat, furioſus autem non poſsit animo deſinere poſſidere, d. l. ſi is, qui: quia nec ſentire poteſt, ideoque nec conſentire, aut diſſentire, l.ſi tibi 8.§. varius, D. de opti. lega. Non enim minus requiritur conſenſus ad diſſen-
8 tiendum, quam ad conſentiendum. Pro qua ſententia non inſubtiliter expendi poteſt illud, quòd liberta à matrimonio patroni diſcedere non valet, niſi patronus velit eam dimittere, l.vlt. §.1. D. de diuort. & voluntatem matrimonij retinendi amiſerit; Patrono itaque inuito nuptias illa nõ poteſt contrahere, l. in eo 45 §.deinde, D. de ritu nupt. Docet tamen Conſultus in d §. deinde, ſi patronus furioſus ſit, libertam ab eo diuertere non poſſe: *quia inuitus eſt, qui non ſentit.* Similiter igitur, & in noſtro caſu retinendæ poſſeſſionis voluntatem retinere, videtur furioſus: quia nec amiſſioni illius conſentire poteſt, nec inuitus poſſeſſionem amittere; quod quidem iura non permittunt, niſi in ea, quæ ab alio occupatur, quam apprehendere non poſſumus.

9 Sed inquies, ſi ſupra dicta iuris ratio efficit, vt poſſeſſionem furioſus retineat, quid eſt, quod Papinian. in dicta leg.iuſto 44. §. eum, qui, ad vtilitatis cauſam confugit, & illud ideò receptum docet: *ne languor animi etiam damnum in bonis adferat?* Reſpondetur verò, languorem animi efficere, vt furioſus quaſi perpetuo dormiens ſit,

&

& pro mortuo habeatur, vt in hoc §. adipiſcimur: ideoque vtilitas in eo conſiſtit, vt quemadmodum morte vſucapio non interrumpitur, dict. l. nunquam, §. vacuum dicta leg. iuſto, §. nondum, ita nec furore interrumpatur, dicta l. 4. §. furioſus, d. l. nunquam, §. ſi vir, D. de vſucapionibus.

Ex quo fit, vt cum furioſi nullum ſit iudicium, nulla voluntas; nec quidem curatoris auctoritate poſſeſſionem adquirere poſſit, cum nihil ſit, quod curatoris auctoritas ſuppleat, vt ſupplet in infante, leg quamuis 32 §. infans infra hoc titulo: ideoque in noſtro textu pupillus à furioſo ſeparatur, quia ipſe poteſt auctoritate tutoris interueniente poſſidere: & quoties de auctoritate præſtanda tractatur, furioſus à pupillo diſtinguitur, l. Marcellus 25. D. de fideiuſſor. quia ille nullum negotium gerere poteſt; pupillus tutore auctore omnia agere poteſt, l. in negotijs 5. D. de regulis iuris. Vnde furioſum nec cum tutoris auctoritate poſſidere poſſe docuerunt, Bart. & Alexand. quos refert Iaſo. in præſenti num. 16. Cuiac. in hoc §. noſtro ad tit. D. de adquir. poſſeſ. & in l. in degotijs, D. de reg. iur. vbi Pet. Faber, Donel. lib 5. comment. cap. 11. Hotman. lib. 3. obſeru. cap. 6. 10

Qua ſimiliter ratione conſtitutum eſt, vt nec hereditatem adire furioſus poſſit curatore auctore, nec curator eius nomine, l. furioſus 63. D. de adquir. hered. l. 1. §. furioſi, D. de ſucceſſor. edict. niſi ſuus heres patri exiſtat, d. l. furioſus 63. quia hoc caſu ignoranti hereditas quæritur, §. ſui autem Inſtit. de hered. quæ ab inteſt. l. vlt. §. ſin verò perpetuo, C. de curatore furioſi: ſed nec bonorum poſſeſſionem edictalem petere, aut per curatorem obtinere valet, ſed tantum decretalem, quæ quidem non tribuit bona directo, aut perpetuo iure, ſed interim dum in furore eſt, vt inde ſe alat furioſus. 11

Quod ſi reſipuerit, debet hereditatem adire, vel bonorum poſſeſſionem edictalem petere: ſi autem in furore deceſſerit, hereditas pertinet ad eos, ad quos pertineret, ſi furioſus bona non obtinuiſſet: quibus curator cauere debet de hereditate reſtituenda, 12

ſi fu-

ſi furioſus in ea valetudine vitam finierit, l. heres 51. D. de petitio. heredit. l. Licinnius 48. in fine, D. de leg. 2. l. 1. D. de bono. poſſeſ. furioſo, &c. l. 2. §. ſi quis ex liberis, D. ad Senatuſconſultum Tertyl. Explicant eleganter Cuiac. lib. 2. reſponſ. Papinian. in d. l. heres 51. Anton. Fab. in 2. tom. ratio in eod. text. Ex noua tamen Iuſtinian. conſtitutione in l. vlt. C. de curato. furioſi, non decretalem, ſed edictalem bonorum poſſeſſionem furioſus poteſt per procuratorem adquirere, ſecundum formam in eo textu aſſignatam quam tranſcribere ſuperfluum eſſet. Docent Hotman. lib 4. obſeruat. cap. 6. Pet. Fab. & Rebard. in d. l. in negotijs. Franc. Dauid-Arg. in not. iur. tracta. de repud. vel
13 adquirend. heredit. pag. 280. Per filium autem vel ſeruum heredes inſtitutos, & curatoris iuſu adeuntes poſſe hereditatem furioſo quæri ſcribit Conſult. in d. l. furioſus 63. D. de adquirend. heredit. vbi Bart. & Doctores Pet. Fab. & Rebuc. vbi ſupra, Cuiac. d. lib. 2. reſponſ. Papinian. in d. l. heres Bronch. enantioph. centur. 3. aſſert. 44. à quibus & recepta opinione diſcedit Anton. Fab. in d. l. heres 51. D. de petit. hered. ſed in hac parte antiquorum, & Cuiac. ſententiam veriorem exiſtimamus.

Ibi: *Pupillus ſine tutoris auctoritate.*

14 Pupillus ille dicitur, qui cum ſui iuris ſit, minor eſt quatuordecim annis, ſi maſculus; ſi fæmina minor duodecim. princ. Inſtit. quib. mod. tut. fini. vbi notant Interpretes. Pupillorum autem alij ſunt *infantes*, alij *maiores infantibus, aut qui fari poſſunt*, vt Conſulti loquuntur, l. pupillus 9. D. de adquirend. hered. l. 1. §. ſufficit, D. de adminiſtr. tutor. l. ſeruus 7. § impubes, D. de bonor. poſſeſ. Infantes ſunt, qui ſeptimum annum non egrediuntur, d. l. 1. §. ſufficit, l. in ſponſalibus 14. D. de ſponſa. l. ſi infanti. 18. C. de iur. delib. Explicant Menoch. de arbitr. lib. 2. cap. 57. num.

9. & 17. Donel. lib. 7. comment. cap. 9. Cuiac. de præſcriptio. cap. 25. Vultei. in Iuriſprud. lib. 1. tit. 4. num. 24. Petr. Fab. in d. l. in negotijs: licet Anton. Fab. in Iuriſprud. tit. 12. p. incip. 6. illatio. 8. exiſtimet, iure antiquo infantiæ tempus certum non fuiſſe diffinitum.

15 Infans igitur, vel infantiæ proximus, quamuis nec velle, nec nolle intelligatur, l. 3. §. proinde, D. ad Senatuſconſultum Macedo. l. qui iuraſſe 26. D. de iure iurand. l. fin. D. de iur. & fact. igno. l. pupillus 189. D. de regulis iuris, & furioſo comparetur, l. pupillus 9. D. de adquir. hered. d. l. infans, D. ad l. Cornel. de ſicar. tamen cum tutoris auctoritate poſſeſſionem adquirere poteſt, quaſi iudicium infantis auctoritas ſuppleat tutoris, l. quamuis 32. §. infans infra hoc titulo, quod vtilitatis cauſa receptum eſſe Paulus ſcribit: *Cum alioqui nullus ſenſus ſit infantis accipiendi poſſeſſionem.* Nam vt ex Diuo Auguſtino lib. 19. de Ciuitate Dei, refert Cuiac. in l. 3. C. hoc tit. *Infans licet dominus ſit omnium, quæ iure eius ſunt, nihil poſſidet mente ſopita:* quia poſſeſſio nec adquiritur, nec retinetur ſine animo. Vnde etiã fauorabiliter ei præſtitum eſt, vt pro herede gerendo adquirat hereditatem, l. ſeruo inuito 65. §. ſi pupillo, D. ad Senatuſconſultum Trebel. quamuis adeundæ cauſam non intelligat, d. l. pupillus 9. & pro herede gerere, ſicut poſſidere, & factum requirat, & animum, l. pro herede 20. l. gerit 88. D. de adquir. hered.

16 Nec obſtat, l. donatarum 3. C. hoc titulo, dum poſſeſſionem rerum infanti donatarum corpore quæri ſcribit, quia alioqui nec per tutorem infanti potuiſſet poſſeſſio adquiri. Quæ ratio indicare videtur, in priori caſu, poſſeſſionem infanti fuiſſe adquiſitam ſine tutoris interuentu. Nam omiſſa interpretatione Bart. & aliorum in d. l. quamuis, §. infans, & Duaren. in præſenti, dicendum eſt, Imperatorem loquutum fuiſſe de poſſeſſione infanti adquiſita cum tutoris auctoritate, & ideò reſcripſiſſe, poſſeſsionem tutore auctore infantem poſſe nanciſci; nam alioqui, ſi ipſe non poſſet tutore auctore adquirere poſſeſſionem, nec poſſet tutor poſſeſſionem, illius nomine apprehenſam, illi quærere:

rere: atque ita illum textum interpretantur Cuiac. lib. 54. Paul. ad edict. & ad tit. de adquir. poſſeſ. in præſenti Donel. lib. 5. comment. cap. 11.

17 Pupillus autem etiam ſine tutoris auctoritate poſſeſſionem adquirere poteſt, vt docet Paulus in hoc §. & in d. l. quamuis 32. §. pupillus, infra hoc titulo: quia pupillus, qui infantiam iam tranſgreſſus eſt, & pubertati proximus inuenitur, quamuis rectum iudicium non habeat, dicta l. 3. §. proinde, D. ad Senatuſconſultum Maced. l. 1. C. de falſa monet. intelligere tamen, & ſentire rectè poteſt, l. excipiuntur 24. D. ad Senatuſconſultum Sillania. Ideòque Conſult. in noſtro textu cum de pupillo generaliter tractaſſet, vt illum ab infante diſcernat, ait, poſſe adquirere poſſeſsionem, ſi intelligat, quid agat; nec tutoris auctoritate ei opus eſſe: quia res facti infirmari iure Ciuili non poteſt: quam rationem Conſult. adiecit, vt diſcrimen inter poſſeſſionem, & hereditatem indicaret, & tacitæ obie-
18 ctioni reſponderet. Nam pupillus hereditatem quamuis lucroſam ſine tutoris auctoritate nó poteſt adire, l. obligari 9. §. auctoritatem, D. de auctor. tuto. princ. Inſtit. eod. l. more 8. D. de adquir. her. l. cum in vna 17. § fin. D. de appellat. D. Anton. Pichard. ad tit. Inſt. de auct. tutorum in principio num. 13. vbi Balduinus, Miſinger. Giſanius, & Heigius, Donel. lib. 3. comment. cap. 13. Anton. Fab. in iuriſprudentia, tit. 21. pri. 1. illa. 10. quia hereditas iuris eſt, l. hereditas 50. D. de petit. heredit. poſſeſsionem autem adquirere valet, quia & facti eſt, & ipſi damnoſa eſſe non poteſt, §. retinendæ, verſic. commodum Inſtit. de interdict. Meliorem autem ſuam conditionem pupillus etiam, ſine tutoris auctoritate facere poteſt, d. princ. Inſtit. de auctor. tut. Non enim ſufficeret, rem facti eſſe, ſi eius adquiſitio damnum pupillo adferre poſſet: nam in pactis factum verſatur, l. ſi vnus 27 §. pactus ne peteret, D. de pact. & tamen pactū pupillo damnoſum non valet, l. contra 28. D. de pact.

19 Vnde eſt vt pupillus nec naturalem quidem poſſeſſionem, id eſt, iniuſtam (vt ſupra latius in diuiſione explicuimus, vel minus propriam, quam fructuarius, & ſimiles te-

nent: amittere poſsit, quia nullam poteſt rem alienare ſi-
ne tutoris auctoritate, l.pupillus 11. D.de adquirend. rer.
dom. quamuis enim poſsit de fundo exire,& naturalem,vel
corporalem inſiſtentiam amittere, l. poſſeſsionem 29. in-
fra hoc titulo: tamen poſſeſsionem retinet animo, quia
quantumuis nolit rem poſsidere; ad rerum tamen amiſsio-
nem, illius animum iura pro non animo habent. Perdit
itaque naturalem inſiſtentiam,in qua ius nullam habet po-
teſtatem; cum non poſsit efficere, vt qui de fundo exijt, in
eo adhuc ſit, l.in bello,§.facti,D.de captiu. Non perdit au-
tem poſſeſsionem, quam ius illi animo conſeruat; dum
eum animi impotem ad amittendum aliquid iudicat. Po- 20
teſt tamen textus in d. l. pupillus 11. D. de adquirend. rer.
dom. intelligi non de aliqua poſſeſsionis ſpecie,ſed de ip-
ſa poſſeſsione generaliter: quaſi Conſult. dicat, adeò re-
rum eſſe, pupillum nullam rem alienare poſſe, vt non ſo-
lum dominium, quod iuris, & ciuile eſt, ſed nec poſſeſsio-
nem,quæ facti,& naturalis dicitur,poſsit amittere:& hanc
fuiſſe Marciani ſententiam exiſtimamus, vt ingenioſè ani-
maduertiſſe videtur D. Gregor. Lopez Madera, dict. lib.
animad. cap.27. num.6.

CAP. VII.

De donatione inter virum, & vxorem, & an ex ea poſſeſſio adquiratur: ad §. ſi vir vxori.

Conſtante matrimonio donationes inter coniuges 1
factas iure ciuili moribus introducto improba-
tas, conſtat ex leg. illud 5. § ac ne illa, leg. ſi libe-
ris 27. D. de pactis dotal. leg. profectitia 5. §. ſi quis cer-
tam, D. de iure dotium, lege ſi ſponſus 5. §.final. D. de do-
nat. inter l. 4. C. eodem, l. 4. titulo 11. partita quarta.
Cuius iuris rationes illas Conſulti tradunt, ne vel ſe mu-
tuo ſpoliarent amore, lege 1. D. de donat. inter. vel
venalis eſſet inter coniuges concordia, & pretio conci-
liari videretur, l. 3. eodem titulo, dict. l. ſi liberis 27. D.

de pactis dota. Tradit & aliam rationem magis Philoſophicam Plutarc. in connubialib. præcept. & in problemati. Roman. cap.6. Explicant Connan. lib.8.comment.cap. 11. Donel. lib.9.cap.10. Cuiac. lib. 1. diffinitio.Papinian. in d. l.ſi liberis, & ad noſtrum tit. in præſenti Anton. Fab. in 2. tom. ratio in l. nec vllam 13. §. 1. D. de petit. hered. Hotman.lib.3. obſeruat. cap. 4. Anton. Gom. in l.50. Tauri, & tribus ſequentib.

2 Meritò itaque Paul. cum de illis perſonis, quæ poſſeſſionem poſſunt per ſe adquirere, tractet, hunc §. præcedenti ſubiecit: cum dubitari potuiſſet, an poſſeſſionem rei à marito donatæ vxor adquireret, & reſpondet Conſult. adquirere; idque duplici ratione: Prima quia ius ciuile tales donationes infirmat, d. l. 1. cum ſupra citatis: poſſeſſio autem cum res facti ſit, infirmari iure ciuili non poteſt, d. l. in bello, §. facti, D. de cap. l. denique, D. ex quib. cauſa. maio. Secunda, quia eo demum caſu adquiſitio donationis prohibetur, quo alter coniugum ex ea pauperior efficitur,

3 l.ſi ſponſus 5. §.ſi quis, D. de donat. inter. In præſenti autem ex tali adquiſitione poſſeſſionis nihil maritus amittit, aut ex ea pauperior fit, cum iam poſſeſſio eius non fuerit, ex quo noluit poſſidere, l.3. § in amittenda infra hoc tit. quas rationes licet non expreſſerint, poſſeſſionem tamen hoc caſu vxori quæſitam, docent Conſulti in l. quòd vxor 16. infra hoc titulo, l.ſi donatæ 36. D. de donation. int. l. 1. in fine, D. pro donat, l.ſi id quod 5. D. pro derelict. l. nec vllam 13. §. 1. verſic. item in titulo. D. de petit. heredit. l. 1. §. deijcitur, D. de vi & vi arm. Bart. in l.ſi is, qui pro emptore num. 27. Connan. lib.3. comment. cap.10. Vacon. lib. 2. declarat. cap.33. Donel. lib.5. comment. cap.4. Duaren. Cuiac. & Giphan. in præſenti Ant. Fab. d. 2. tom. rational. in d. l. nec vllam.

4 Nec Pauli, aliorumque prudentum ſententiæ aduerſatur Vlpian. reſponſum in l. inter virum 46. D. de donat. inter. ait enim Conſult. nec poſſeſſionis vllam donationem inter coniuges eſſe, id eſt, donationem nullam eſſe & inualidam, non ſolum ſi dominium donatum fuerit, ſed

etiam

etiam, ſi poſſeſſio: quod & Paul. fatetur, & nos fatemur; ſed tamen affirmamus, licet ipſa donatio nulla ſit, & ideo pro donato titulus locum non habeat, d. l. quod vxor. 16. d. l. nec vllam, §. 1. poſſeſſio tamen transfertur propter rationes à Paul. in præſenti traditas. Nec mouemur 5
alio eiuſdem Vlpiani reſponſo, in l. 3. §. ſciendum, D. de donat. int. vbi aſſerit: *Ita interdictam inter virum, & vxorem donationem, vt ipſo iure nihil valeat, quod actum eſt*: ideoque nec traditionem quidquam valere: Hæc enim omnia ad translationem dominij de qua agitur, & ipſius donationis effectum referri debent, ad quæ prohibitio iuris, & poteſtas pertinet; non verò ad poſſeſſionem, quæ ex facto pendet, & in qua rationes ſupra traditæ illius adquiſitionem ſuadent; cum res facti infirmari iure ciuili non poſſit, & quamuis poſſeſſio mulieri non adquireretur, maritus ſtatim poſſeſſionem amitteret, ex quo noluit poſſidere; atque ita non adquiſitio mulieri facta eum poſſeſſione priuat, ſed ipſius animus poſſidere nolentis.

Denique ſuperioribus ſolet obijci textus in l. ſi eum 6
26. D. de donat. inter: vbi ſiquis iuſſerit venditorem, rem venditam donationis cauſa vxori tradere, docet Conſultus, vxorem rem ſibi traditam iure ciuili non poſsidere. Sed facile ſatisfacies, ſi dixeris, vxorem, licet naturaliter, & iniuſtè poſsideat, d. l. 1. §. deijcitur, D. de vi, & vi ar. vtpote ex cauſa à iure ciuili improbata, ciuiliter tamen, aut iure ciuili eadem ratione non poſsidere: vt Paul. in d. l. ſi eum 26. ſcribit: cùm ius ciuile talem donationem infirmet; ideòque non pro donato, ſed pro poſſeſſore vxor poſſideat, d. l. nec vllam 13. §. 1. D. de petit. hæred. l. quod vxor. 16. infra hoc tit. Explicant Alexand. in præſenti num. 13. Connan. lib. 3. comment. cap. 10. Vacon. lib. 2. declarat. cap. 33. Cuiac. lib. 9. obſer. cap. 33. Hotman. lib. 9. obſeru. cap. 1. Donel. lib. 5. comment. cap. 6. Duaren. lib. 1. diſput. cap. 18.

Verùm huic interpretationi obſtat, quòd vſucapio ciui- 7
lem exigit poſſeſsionem; nec naturali, aut iniuſta conten-

ta eſt, l. improba. 7. C. hoc titul. l. emptor. 9. C. de præſcript. long. temp. Donel. lib. 5. comment. cap. 14. Anton. Gom. in l. 45. Taur. num. 105. vnde cum vxor rem ſibi à marito donatam vſucapere poſſit, vt docet Conſult. in l. 3. D. pro donat. dicendum videtur, eam non ſolum naturaliter, ſed etiam iure ciuili poſſidere. Aduertendum tamen eſt, Ponpon. tractare in dict. l. 3. non de re propria ipſius mariti, ſed de aliena ab ipſo marito donata, in qua cum pauperior donator non efficiatur, ius ciuile donationem non improbauit, dict. l. ſi ſponſus 5. §. ſiquis, D. de donat. inter. ideoque iure ciuili vxor poſſidet, & rectè poteſt vſucapere rem, vt docuit Conſul. in l. ſed ſi conſtante 25. D. de donation. inter.

8 Obijci tamen adhuc illud poteſt, quod aut mulier ſciebat, rem alienam eſſe; & deficiente bona fide vſucapere non potuit, l. 2. D. pro empt. aut mariti eam eſſe crediderat, & donationem valere, ſibi perſuaſſerat; quo caſu, cum in iure erret, vſucapiendi ius non habet, l. iuris 4. D. de iu-
9 ris, & fact. ign. l. nunquam 31. D. de vſucapion. Sed reiecta interpretatione Accurſ. Bart. & aliorum in d. leg. 3. D. pro donat. reſpondetur, mulierem credidiſſe rem mariti eſſe; & ſimul exiſtimaſſe donationem valere. Vnde nec malam fidem habuit, cum à domino ſe accepiſſe cenſuerit, nec in iure errauit, cum validam eſſe donationem, crediderit: quam validam fuiſſe verum eſt, ex cauſa à nobis ſupra expoſita ex dict. leg. ſed & ſi conſtante 25. D. de donat. inter; atque ita hanc obiectionem diluunt Caſtrenſ. in dict. leg. 3. Anton. Faber lib. 7. Coniecturarum capite 13.

CAP.

CAP. VIII.

De poſſeſſione ignoranti per ſeruum ex cauſa peculiari quærenda; & differentia inter ſeruum, & procuratorem in adquiſitione vſucapionis. Ad §. item adquirimus.

PRopoſuit Paulus in præcedentibus primam partem tractatus perſonarum, pertinentem ad eas perſonas, quæ ſibi poſſeſſionem adquirunt, nunc ex hoc §. tractare incipit de illis, per quas alij poſſeſſio adquiratur. Docetque per ſeruos, & filios familias poſſeſſionem domino, patriue adquiri ex peculiari cauſa, etiam ignorantibus. Duo itaque Paul. docet, primum ſeruum, vel filium adquirere domino, patriue poſſeſſionem: ſecundum ex cauſa peculiari ignorantibus per ſeruum, & filium poſſeſſionem quæri. 1 2

Quoad primum igitur, ſeruus ratione dominij, ac poteſtatis (ex qua cum perſonam ipſe non habeat, & nullus ſit, l. 3. §. vltim. D. de capit. minu. l. 1. D. de iur. deliber. l. quod attinet 32. l. ſeruitutem 209. D. de regul. iur. nihil habere, aut poſſidere poteſt, l. rectè Labeo 13. D. ex quib. cau. maio. l. pater famil. 182. D. de verb. ſignif. (omnia domino adquirit. l. placet, D. de adquir. hered. l. etiam inuitis 32. D. de adquir. rer. domin. l. ſeruus vetante, 62. D. de verb. oblig. conſequenterque etiam poſſeſſionem, l. adquiruntur 10. §. non ſolum, D. de adqui. rer. dom. l. quod ſeruus 24. infra hoc tit. *Nec enim poteſt videri aliquid poſſidere, cum ipſe ab alio poſſideatur,* l. ſic eueniet 27. D. ad l. Iuliam de adul. l. homo liber. 54. §. vltim. D. de adquir. rer. dom. l. qui in ſeruitute 118. D. de regul. iuris. 3

Filius verò licet non ratione incapacitatis, cum perſonam in iure ciuili habeat, l. nam Ciuium 4. D. de his qui ſunt ſui, nec in dominio patris, ſed in poteſtate ſit, l. poteſtatis 205. D. de verb ſignific. ideoque ad honores, & dignitates admittatur, l. ſi filius fam. 3. C. ne filius pro pat. 4

l.filios 5. C. de decurio. lib. 10. & ex omnibus cauſis obligetur, l. tam ex contract.b. 57. D.de iudic. l filius fam. 39. D. de oblig. & actio. ratione tamen patriæ poteſtatis, & identitatis perſonæ, l. in ſuis, D.de liber. & poſt. l. ne cum filio famil. 16. D. de furt. l. vltim. C. de impub: parentibus omnia adquirit, l. placet 79. D. de adquir. hered. l. 1. D. ſi à parent. quis fuer. man. ſimiliterque, & poſſeſſionem, dict. l. adquiruntur 10. §. non ſolum, D. de adquir. rer. dom. hoc §. noſtr. l. 4. infra hoc tit. Docent Donel. lib. 9. comment. cap. 6. Connan. lib. 2. cap. 3. Cuiac. lib. 25. obſeru. cap. 5. Petr. Fab. in l. non videtur 51.D.de reg. iur.

5 Quoad ſecundum verò pertinet; cum peculium ſit puſilla pecunia, vel puſillum patrimonium, quod ſeruus vel filius famil. domini, vel patris voluntate, & eius conceſſione habet ſeparatum à rationibus dominicis, vel
6 paternis, l. depoſiti. 5. §. fin. ff. de pecul. Explicant Forcat. dialog. 59. Corraſ. lib. 1. miſcelan. cap. 13. Reuard. lib. 5. variar. cap. 17. quidquid ex cauſa peculiari ſeruus, vel filius apprehendunt, eius ſtatim poſſeſſionem domino, patriue etiam ignorantibus adquirunt, hoc §. noſtr. l. 3. §. ſaltus, verſic. cœterum, l.quamuis 32. in fin. l. peregre. 44. §. quæſitum, infra hoc tit. l. Labeo 8. l.iuſto. 44.§. fin. ff.de vſucap. l.2. §.Celſus, D. pro emptore. Donel. lib. 5. comment. cap. 8. Duar. & Giphan. in præſenti, vbi & Cuiac. & lib. 23. quæſtion. Papinian. in d. l. peregre. §. quæſitum, Connan. lib. 3. comment. cap. 8. Vacon. lib. declar. cap. 34. quod equidem iure ſingulari receptum eſt, & vtilitate commertiorum, & negociationis inductum. *Ne cogerentur domini per momenta ſpecies, & cauſas peculiorum inquirere* (vt eleganter Papinian. docuit in l. peregre. §. quæſitum) ſed per eos, quos in poteſtate habent, res ſuas expedirent, nec diſtringerentur aſſidua inquiſitione peculij. Hæc itaque inducendi iſtius iuris cauſa
7 fuit. Ratio autem, qua induceretur, illa eſt, quam Paulus in præſenti tradit: nam quamuis ſcientia, & voluntas in adquirente poſſeſſionem exigatur, ideoque res, quas ſerui

ui apprehendunt noſtro animo, & illorum corpore; poſſideamus, d. l. 3. §. ſaltus, verſic. cæterum: tamen in peculiaribus, quas ſeruorum animo, & corpore adquirimus, d. verſicul. cæterum, in illis verbis: *Nam videmus eas eorumdem animo, & corpore poſsidere*, etiam animum noſtrum quodammodò interueniſſe dici poteſt; quia, *voluntate noſtra*, vt Paul. loquitur, *intelliguntur poſsidere, qui eis peculium habere permiſimus.* Sed quia ex hoc iure ſingulari poſſet quis ita colligere: ſi ius ſpeciale, & ſingulare eſt, vt ex cauſa peculiari ſine animo noſtro nobis poſſeſsio adquiratur, ergo generali, & communi iure, animo ſolo poſſeſſio adquiritur. Reſpondet Papinian. in d. §. quæſitum, falſam eſſe hanc collectionem, nec *eo pertinere ſpeciem iſtam, vt animo videatur adquiri poſſeſsio. Nam ſi non ex cauſa peculiari quæratur aliquid, ſcientiam quidem domini eſſe neceſſariam, ſed corpore ſerui quæri poſſeſsionem.* Ideoque non animo ſolo, ſed corpore etiam regulariter poſſeſsionem adquiri, quod vtrumque, & in noſtra ſpecie quodammodo interueniſſe ex hoc §. noſtro, & ex dict. verſic. cæterum colligi poteſt. 8

Ex noſtro itaque §. in illis verbis: *Et quidem earum rerum, quas peculiariter tenent etiam ignorantes*, iuncta ratione illa: *quia noſtro voluntate, intelligantur poſsidere, qui eis peculium habere permiſerimus*, & ex dict. verſic. cæterum, & ex dict. §. quæſitum, præſertimque ex ipſa iuris ratione ſupra à nobis tradita apparet, extra cauſam peculiarem domino, vel patri ignorantibus poſſeſsionem non adquiri, ſed illorum ſcientiam eſſe neceſſariam. Verùm ex aduerſo per ſeruum, & filium ex quacumque cauſa poſſeſsionem ignorantibus quæri, nec parentis, dominiue ſcientiam riquiri probari videtur. Primo ex textu in l. quod ſeruus 24. infra hoc titul. vbi Iabolenus docet non iniuſtam poſſeſſionem, ſed iuſtam per ſeruum ignorantem dominum adipiſci. Nam de cauſa peculiari verba illa Conſulti intelligi non poſſe ſuadetur ex eo, quòd ad comprobandam ſuam ſententiam vtitur Iabolenus comparatione adquiſitionis ex cauſa peculiari; anteà igitur extra cau- 9 10

ſam peculiarem fuerat loquutus, & tamen ignoranti do-
11 mino iuſtam poſſeſſionem ſeruum adquirere docuerat. Secundo ex l. ſi me in vacuam 34. §. ſeruus infra hoc tit. vbi generaliter ſcriptum extat per ſeruum ignoranti poſſeſſio-
12 nem adquiri. Tertio ex l. numquam 31. §. ſi ſeruus, D. de vſucap. quo loci per ſeruum, & filium ſiue ſuo, ſiue peculiari nomine, adquiſitam rem, ignorantem dominum, & poſ-
13 ſidere, & vſucapere docet Paulus. Quibus rationibus per motus Iacob. Cuiac. lib. 24. obſerua. cap. 9. & ad noſt. tit. in præſenti, & in d. l. quod ſeruus, exiſtimauit, etiam extra cauſam peculiarem ignorantibus poſſeſſionem quæri, contra expreſſa Iuriſconſultorum reſponſa in noſtro textu, & in d. l. 3. verſic. cæterum, & in d. l. peregre. §. quæſitum. Sed vir doctiſſimus à priori poſteà ſententia diſcedens veram, quam defendimus, tuetur lib. 22. quæſtion. Papin. in d. l. peregre. §. quæſitum, & in l. iuſto 44. §. nondum, D. de vſucapionib.

14 Nec aduerſantur contrariæ partis obſtacula, nam in d. l. quod ſeruus 24. manifeſtum eſt, de cauſa peculiari loqui Iabolenum, cum ex eo comprobet, iniuſtam poſſeſſionem ignoranti domino adquiri non poſſe: quia talis poſſeſsio in peculio ſerui non eſt; ſicut omne id quod ex maleficijs ſeruus apprehendit, ad domini poſſeſsionem non pertinet: quia nec ad peculium poteſt pertinere. Ac ſi dixiſſet Conſultus iuſtam tantum poſſeſsionem ignoranti domino ſeruum adquirere; quia iuſta tantum poſſeſsio in peculio eſt: ex cauſa autem peculiari ſolummodo, ſeruus ignorandi domino poſſeſsionem adquirit.

15 Vlpiani verò reſponſum in d. l. ſi me in vacuam, §. vltimo, dum poſſeſsionem ignoranti domino ſeruum adquirere ſuadet, de eo ſeruo accipi debet, cui voluntate domini res, quas ipſe dominus emerat, tradita eſt, vt præcedenti, §. conueniat. Docet itaque Conſultus, non obſtante in hac ſpecie, errore vel ignorãtia domini per ſeruum poſſeſsionem illum adipiſci: quia non domini, ſed ſerui animus attenditur, d. l. 2. §. Celſus, D. pro empt. ſicut & in procuratore accidere docuerat. Atque ita hunc textum

interpretatur Cuiac. loco ſupra cita. Giphanius autem in 16
præſenti exiſtimat, eum intelligi debere de cauſa peculiari, quod Conſulti velut manifeſtum præſupponere ſolent, quoties de poſſeſſione ignoranti quærenda tractant; nec ſemper illud exprimere neceſſarium putant, ſed ex alijs locis, & iuris ratione ſubintelligendum relinquunt; vt in l. ſi ſeruo, 28. l. ſi is, qui pro emptore 15. verſic. quòd ſi ſeruus D. de vſucap.

Denique Paulus in l. nunquam 31. §. ſi ſeruus, de ſer- 17
uo, vel filio loquitur, qui rem apprehendit, vel peculiari nomine, vel meo; id eſt nomine domini, & iuſſu eius. Ideoque rectè ex vtraque cauſa poſſeſsionem ignoranti adquiri docuit Conſultus: quia talem rem dominus ignorans poſſidere videtur, ſicut illam, quam per procuratorem adquirit, l. poſſeſſio, 49 §. vltim. infra hoc tit. l. ſi emptan. 47. D. de vſucapion. aliàs l. 2. D. pro ſolut. l. 1. C. hoc tit. Atque ita Pauli reſponſum in d. §. ſi ſeruus, ex Cuiacij ſententia explicare poteris; niſi cum Giphanio in præſenti verbum illud *ignorans* ad cauſam tantum peculiarem, de qua Conſultus mentionem fecerat, referre malis.

Sed cum per ſeruum, & filium non ſolum poſſeſsio, ſed 18
etiam vſucapio ignorantibus patri, & domino quæratur, & conſequenter furioſo, infanti, hereditati, & captiuo, vt Paul. in præſenti, verſ. igitur, docet. conſtatque ex l. Labeo 8. l. ſi is, qui pro emptore 15. verſ. quod ſi ſeruus, l. ſi ſeruo 27. l. nunquam 31. §. ſi ſeruus, l. iuſto 44. §. nondum, & §. vltimo, D. de vſucapion. d. l. 2. §. Celſus, D. pro empt. l. in bello. 12. §. facti, l. ſi poſtliminio 29. D. de captiu. dubitari merito poteſt, qua ratione diuerſum in procuratore ſit, qui licet ignoranti poſſeſſionem adquirat, l. nec vllam 13. §. ſiquis abſentis, D. de petit. hered. l. 1. C. hoc titul. vſucapionem tamen non niſi ſcienti quærit, l. poſſeſſio. 49. §. vltim. infra hoc tit. d. l. ſi emptam 47. D. de vſucapion.

Verum Cuiacius lib. 24. obſerua. cap. 8. exiſtimat, il- 19
lud ea ratione procedere, quia vt ignorantes vſucapia-

mus; in ſeruis vtilitatis cauſa iure ſingulari receptum eſt, d. l. ſi emptam 47. vnde ad conſequentias non eſt producendum, nec ad procuratorem extendi debet, argument.
21 leg. ius ſingulare, D. de legib. Obijci tamen illud Cuiacio poteſt, quod poſſeſſionis adquiſitio ignoranti domino per ſeruos iure ſingulari contingit, d.l. peregre. §. quæſitum, hoc tit. quæ tamen ſimiliter, & in procuratoribus recepta eſt. l. 1. C. hoc tit. Qua igitur ratione in vſucapione contrarium obſeruatur? in qua per ſeruum adquirenda vel filium, ſcientiam patris, vel domini non exigimus: ſi autem procurator illam adquirere velit, ſcientiam domini eſſe neceſſariam affirmamus; cum tamen tam poſſeſſio, quam vſucapio iure ſingulari, vt diximus, ignoranti per ſeruum adquiratur, vnde ſequi neceſſario videbatur, vt vel ius illud ſingulare in poſſeſſionis adquiſitione ad procuratorem non extenderetur, vel vt etiam in vſucapio-
22 ne deberet extendi. Dicendum itaque eſt, iure illo ſingulari admiſſo in ſeruorum, filiorumque perſonis, vt ignorantibus poſſeſſionem, quæ animum adquirentis requirebat, quærerent, ſtatim iuris communis regulis effectum eſſe, vt per eos vſucapionem ignorantes adquiramus:
21 quia ea, quæ iuris ſunt, per illos, quos in poteſtate habemus, ignorantes, & inuiti adquirimus, l. etiam inuitis 32. D. de adqui. rer. dom. l. ſeruus vetante 62. D. de verbor. obligat. Vſucapio autem iuris ciuilis eſt, cum ſit adiectio dominij iure ciuili introducta, l. 1. D. de vſucap. princ.
23 Inſt. eodem. Procurator verò licet iure ſingulari poſſeſſionem, ignorantibus adquirere, & per hanc dominium, ſi cum poſſeſſione coniunctum fuerit, §. ex his. Inſtit. per quas perſon. quia miniſterium in his tantum præſtare videtur, l. & licet 15. D. de conſt. pecun. l. quod meo 18. in fine princ. infra hoc tit. Cuiac. lib. 19. Pauli ad edict. in d. l. & licet, & lib. 18. obſerua. cap. 2. Donel. lib. 8. commen-
24 tar. cap. 5. Bronchro. centur. 3. aſſertio. 91. Ea tamen quæ ciuiliter adquiruntur, veluti dominium, & vſucapio nobis per procuratorem non poſſunt adquiri. l. ea, quæ ciuiliter, D. de adquir. rer. dom. atque, ita fit, vt poſſeſſionem nobis

nobis ignorantibus procurator iure ſingulari adquirat, d.l. 1.C.hoc titulo, vſucapionem,quæ iuris eſt & quam ſeruus, vel filius iure communi adquirunt, domino adquirere non poſsint, niſi eius ſcientia præceſſerit; quia tunc ipſe dominus adquirere videtur,d.l. poſſeſsio 49. §. vltim. Vbi hanc rationem eleganter inſinuauit Papinianus, cum vſucapionis adquiſitione per procuratorem ignoranti denegata, adijciat actionem, quæ magis Iuris Ciuilis eſt, ne quidem ſcienti contingere. Nec quod Paul. in d. l. ſi emptam 47. 25
ſcribit, procuratorem vſucapionem ignorãti non adquirere:quia tantum in peculiaribus receptum eſt,vt ignorantes vſucapiamus,pro Cuiacij interpretatione facit:eo enim ipſo,quod ius ſingulare conſtituit,poſſeſſionem in illis rebus ignorantibus adquiri,ſequuta eſt in neceſſariam conſequẽtiam vſucapio, propter rationem ſupra dictam. Ideòque recepta eo iure videtur,quo & poſſeſsio, ſine qua non potuiſſet conſiſtere, l. ſine poſſeſsione 25. l. iuſto 44. §. vltimo, D. de vſucap. recepta eſt: licet ex iuris Ciuilis regulis adquiſitio procedat illius, vt ſupra diximus.

CAP. IX.

De adquiſitione poſſeſſionis per liberum hominem,alienum ſeruum, & fructuarium: ad §. ſed & per eum, & tres ſequentes.

HOminem liberum,quamuis in commercio non ſit, l. 1
liberi 4. l.ſi in emptione 34. §. liberum, l. liberi 80. D. de contrah.empt.& illius dominium habere non poſsimus, l. inter ſtipulantem 83. §. ſacram, l. homo liber 103. D. de verbor. obligat. eum tamen poſsidere nos rectè poſſe, & per eum poſſeſsionem adquirere, docet in præſenti Paul. Eſt tamen adhibenda diſtinctio: nam ſi li- 2
berum hominem, illius conditionem ignorantes bona fide habeamus, verè illum poſsidemus, l. ſi ſeruus 34. D.de ſtipulat. ſeru. quod ſi ſcientes, eum liberum mala fide apprehendamus, vel ſi eum vinxerimus, non poſsidemus. l.

deti-

detinemus tantum, l. cum heredes 23. in fine, l. qui vniuerſas 30. §. 1. infra hoc tit. l. ſi liber 13. D. ad exhibendum; vt eleganter aduertunt Cuiac. & Giphan. in præſenti, Anton. Faber in 2. tom. ratio. in d. l. ſi liber. Nec aduerſatur textus in l. 1. §. idem Viuian. D. de vi, & vi arm. vbi in homine mala fide vincto datur vera poſſeſsio: loquitur nãque Conſult. non de libero homine, ſed de ſeruo, quem etiam mala fide rectè poſsidere poſſumus, ſicut cæteras res alienas, cum in commercio ſit.

3 Ex ſuperiore autem diſtinctione deſcendit, vt per liberum hominem eo tantum caſu poſſeſsionem adquiramus, quo eũ bona fide poſsidemus, l. qui bona fide 23. §. 1. l. quæſitum 40. D. de adquiren. rer. dom. idque ex duabus tantũ cauſis; ex re noſtra, & ex operis illius, l. adquiruntur 10. §. idem placet, l. liber homo 19. l. ſi ſeruus 21. l. qui bona fide 23. l. homo liber 54. D. de adquir. rer. domin. §. ex his. Inſt.
4 per quas perſo. Ex quibus autem cauſis per eum non adquirimus (ſcilicet ſi vel mala fide poſſideamus, vel ex re noſtra, vel ex operis ſuis adquiſitio non fuerit) dominium ipſe ſibi nanciſcitur, ſi voluntatem habeat ſibi adquirendi, & non quaſi ex neceſsitate ſeruili rem apprehenderit: nam ſi eo animo liber homo fuerit, vt non ſibi, ſed domino voluerit adquirere; nec domino deficiente iure, nec ſibi deficiente voluntate potuit adquirere, l. liber homo 59. D. de hered. inſtit. l. liber homo 19. l. ſi ſeruus 21. in fine, d.
5 l. homo liber 54. D. de adquir. rer. domin. In hereditate autem illud amplius exigitur, ad hoc vt liber homo ſibi eam poſsit adipiſci: nempè vt ſciens conditionem ſuam ſponte, & ſuo arbitrio adeat hereditatem, d. l. liber homo, d. l. homo liber: nam in aditione hereditatis requiritur, vt quis de ſuo ſtatu certus ſit, l. is, qui putat 15. & duabus ſequent. l. heres 32. D. de adquir. hered. de qua quæſtione videndi Duaren. ad titul. de adquirend. rer. domin. cap. 4. Connan. lib. 3. comment. cap. 17. à num. 15. Donel. lib. 9. cap. 6. Cuiac. lib. 11. obſeruat. cap. 12. Giphan. in d. l. liber homo, & d. l. homo liber, Nicola. à Salis ibid. Benedict. Pinel. ſelecta. lib. 1. cap. 12.

In poſſeſsione autem diuerſum eſt, quamlibet homo, ſi 6
poſſeſſori adquirere non potuerit, vel quia non eſt ex operis, aut ex re poſſeſſoris, vel quia mala fide ipſe poſsidetur, eam ſibi adipiſci non valebit, hoc §. noſtro: cum non poſſit aliquid poſsidere, qui ab alio poſsideatur, d.l. homo liber 54. in fine, D. de adquirend. rer. domin. Nec nouum eſt, vt aliqua res in nullius dominio, vel poſſeſsione ſit, vt apparet ex l. arboribus 12.§. vltimo. l.quid ergo 70.D.de vſufruct. §. per procuratorem infra hac lege, l. 3.§. Nerua, l.quod ſeruus 24. infra hoc titulo, l. Celſus 5.D. ad exhib. l. 2.D.pro de relict.

Ad §. *per communem.*

Cum ſeruus communis omnium ſit proprius dominorum, non quaſi ſingulorum totus, ſed pro partibus indiuiſis, quæ intellectu magis percipiantur, quam corpore, l. ſeruus 5. D. de ſtipulat.ſeru.l.Mæuius 66. §.duorum, D. de legat. 2.id, quod adquirit,ſiue poſſeſsio ſit,ſiue dominium, ad omnes pertinet pro portionibus dominicis,d.l.ſeruus 5. l. communis ſeruus 45. D. de adquirend. rer. dom. poteſt tamen, & vnuſquiſque dominorum in ſolidum per eum, & dominium, & poſſeſsionem adquirere, ſi hoc agat ſeruus, vt vni tantum adquirat, l. per ſeruum 37.§.ſicut, D. de adquirend. rer. domin. l.proinde 7. § 1, l. ſi ex re 28. §. ſicut vni, l.ſi liber 33. D. de ſtipul. ſeru. l.3. C.per quas perſon. §. ſeruus communis. Inſtit. de ſtipul. ſeruor. 7

Ad §. *per eum quo.*

Per ſeruum, in quo vſumfructum quis habet, poteſt poſſeſsionem adquirere, vt Paul. in præſenti docet, & Papinian. in l. poſſeſsio 49. infra hoc titulo; videlicet ſi eam ex re fructuarij, vel ex operis ſuis ſeruus apprehenderit: quod enim placet de fructuario, idem & de bonæ fidei poſſeſſore, & è contra §. non ſolum Inſtit. per quas perſo. d.l. adqui- 8

quiruntur 10.§.de his, l. ſi ſeruus 43. §. vlt.l.quod fructua-
rius 49. D.de adquir.rer.dom.l.ſed & ſi 25. §.penult. D. de
9 vſufr. Nec obſtat, quod fructuarius, cum proprietarij no-
mine rem teneat, poſſeſſionem ſerui non habet, dict. l.ad-
quiruntur 10. in fine, l. 1. §.quod ait prætor, D. quod le-
gator, l. 3.§.vlt. D. vnde vi: ideòque poſſeſſionem per ſer-
uum adquirere non poſſe, cum eum non poſſideat, conſe-
quens videbatur, d. l. ſi ſeruus 21. d. l. homo liber 54. in
fine, D. de adquir.rer. dom. l.cum heredes 23. §. vlt. infra
hoc titulo: nam reſpondetur, non ſemper neceſſariam eſ-
ſe poſſeſſionem in re, per quam adquirimus; cum per fi-
lium poſſeſſionem quæramus, patriæ poteſtatis iure, non
10 poſſeſſionis cauſa, l. 4. infra hoc titulo. Cui equidem ra-
tioni deciſionis Conſulti duas alias ex Papiniano in d. l.
poſſeſsio 49. adijcere poſſumus. Primam, quia vſusfructua-
rius aliquo modo poſſidet, cum rem naturaliter teneat, l.
naturaliter 13. infra hoc tit. & vſusfructus ius quaſi poſſi-
deat, l.ait prætor, §.1.D.ex quibus cau. maior. l.3.§. vlt. D.
de vi, & vi arm. Secundam, quia ea, quæ ſunt iuris, veluti
obligatio, & dominium, per ſeruum fructuario (ſi ex re il-
lius, vel ex operis ſuis fuerint) adquiruntur, d.l. acquirun-
tur 10.§.de his, l.per ſeruum 38.§. fructuarius, l.quod fru-
ctuarius 49. D.de adquir.rer.dom. l.1. §.ſi fructuarius, l. ſi
ex re 28. in princip. D. de ſtipulat. ſeruo. Vnde cum poſ-
ſeſſio, licet iuris non ſit, ſed facti, plurimum tamen à iure
mutuetur, rectè ei poteſt per ſeruum adquiri, vt ingenio-
ſe ratiocinatur Papin. in d.l.poſſeſsio 49. infra hoc titulo,
& explicant Cuiac. lib.2. diffinitio. Papinian. in d. l. poſ-
ſeſsio 49 & Giphan.ad tit.de adquirend.poſſeſ. in præſen-
ti, & in d. l. poſſeſsio.

11 Illa tamen inter ſeruum fructuarium, ſeruum alienum,
& hominem liberum bona fide poſſeſſum differentia eſt:
quod fructuarius ſeruus omne, quod fructuario non ad-
quirit, domino proprietatis poteſt quærere, ſiue poſſeſsio-
nem apprehendat, ſiue dominium nanciſcatur, d.l.per ſer-
uum 37 §.fructuarius, d.l.quod fructuarius 49. l. ſeruus 43.
§. 1. D. de adquir. rer. dom. quia ab ipſo proprietatis do-

mino

mino, cuius nomine fructuarius ſeruum tenet, ipſemet ſeruus poſſidetur d. l. quod meo 18. infra hoc titulo. At verò ſeruus alienus bona fide poſſeſſus ab alio, nec dominiū, nec poſſeſſionem domino adquirere poteſt, cum eum dominus non poſſideat, d. l. ſi ſeruus 21. D. de adquir. rer domin. homo autem liber bona fide poſſeſſus quod poſſeſſori non quærit, ſibi adquirere poteſt, vt conſtat ex d. l. ſi ſeruus 21. excepta poſſeſſionis cauſa: poſſidere etenim non poteſt, cum ab alio poſſideatur, d. l. homo liber 54. in fine: de qua quæſt. & dict. leg. ſi ſeruus interpretatione tractauimus ſupra, §. 2. num. 7. 12

Ad §. cæterum, & ſequentes vſque ad §. per ſeruum, qui in fuga.

Explicuimus in §. adipiſcimur, furioſum non poſſe adquirere ſibi poſſeſſionem; pupillum autem ſi iam intellectū habeat, & maior infante ſit, rectè poſſe etiam ſine tutoris auctoritate. Nunc itaque Paul. poſtquam in præcedentibus §§. numerauit perſonas, per quas poſſeſſionem poſſumus adquirere, tractare incipit, quid in his perſonis ad acquiſitionem per illas celebrandam requiratur, docetque, tales etiam eas debere eſſe, vt intellectum poſſidendi habeant: ideòque per furioſum poſſeſſionem adquirere non poſſe: per pupillum, vel impuberem, vel ancillam rectè poſſe, cum intellectum, & animum habeant. 13

Quamuis enim ratio illa dubitandi eſſe poterat, quod per has perſonas noſtro animo, & illarum corpore poſſidemus, l. 3. §. ſaltus, verſic. cæterum, l. ſi rem 47. in fine, infra hoc titulo; vnde videbatur dicendum, eorum affectum, vel intellectū non eſſe neceſſarium: reſpondetur tamen, id ex eo deſcendere, quod poſſeſſio non minus eſt animi, quam facti, l. 1. §. Scæuola, D. ſi is, qui teſtament. & ideò illorum, per quos poſſidemus, non ſolum corpus, ſed etiam animus, & voluntas ad adquiſitionem requiritur, d. l. 3. §. 14

ſaltus,

ſaltus, infra hoc titulo, l. 2. §. ſi ſeruus, D. pro empt. vt rectè explicuere Cuiac. & Giphan. in præſenti.

CAP. X.

De ſeruo fugitiuo, & vtrum domino poſſeſſionē adquirat, vel ſuā, & aliarum rerum poſſeſſionem domino interuertere poſſit. Ad §. per ſeruum, qui in fuga.

1 DIuerſas in hoc textu, ſibique inuicem pugnantes Cóſultorum ſententias, circa poſſeſſionem per ſeruum fugitiuum adquirendam, Paulus refert. Vnde colligere facile licet, quam ſubtilis, quàm difficilis ſit quæſtio, quæ tractatur. Prima itaque Neruæ filij ſententia eſt, qui exiſtimabat, per ſeruum, qui in fuga degit, nihil poſſidere dominum poſſe: nam quamuis reſponſum à Prudentibus fuerit, talem ſeruum à domino & poſſideri, & vſucapi, quamdiu nemo alius nactus fuerit huius ſerui poſſeſſioné: hoc tamen vtilitatis cauſa receptum tantum in vſucapione fuiſſe: ideòque ad adquiſitionem non eſſe producēdum.

2 Iulianus tamen, & Caſſius contra exiſtimarunt, cenſueruntque, per ſeruum, qui in fuga ſit, dominum poſſe poſſeſſionem adquirere, ſicut per eos, quos in Prouincia habet: quæ opinio à Paulo in præſenti recepta eſt, ideòque à nobis explicanda.

3 Fugitiuus ſeruus ille eſt, qui certo propoſito non redeundi dominum dereliquit, & ſe cœlat, atque ſubtrahit, l. quid ſit fugitiuus 17. D. de Ædilitio edict. hunc igitur ſeruum dominus poſſidet, vt in præſenti docemur, & in l. Pōponius 13. l. rem, quæ 14. l. ſi rem 47. infra hoc titulo, l. ſerui & filij 17. §. vlt. D. de furt. docent Bart. & Alexand. Caſtren. & alij in præſenti, Giphan. & Cuiac. ibidem, & in d. l. rem quæ: idem Cuiac. lib. 26. quæſtio. Papinian. in d. l. ſi rem, Donel. lib. 5. comment. cap. 12. Anton. Fab. in 2. tom. ratio. in l. ſi ſeruus 15. D. de Publicia. in rem actio. Cuiūs conſtituti iuris illam rationem Conſulti reddunt, quod ſeruus quemadmodum aliarum rerum poſſeſſione domi-

num

num priuare non poteſt, ita nec ſua quidem, d.l.rem, quæ infra hoc titulo, ne in poteſtate ſeruorum ſit, fugæ ſe tradendo dominorum ſe ſubtrahere poteſtati, d.l. Pomponius 13. infra hoc titulo, l. interdictum 16. §. ſerui, D. de Publica.& vectigal.

Sed tamen nec propoſita deciſio, nec deciſionis ratio ſatis tuta eſſe videtur: primo namque obſtat lex homo liber 54. in fine, D.de adquir. rer. domin. quo loci Conſultus affirmat, fugitiuum à domino non poſsideri, in illis verbis: *ſicut per fugitiuum, quem non poſsidet*: ſecundo difficultatem non leuiter facit Africani reſponſum in l.ancilla 60. D. de furt. & Imperatorum reſcriptum in l.1. C. de ſeruis fugitiuis, quibus locis ſcriptum extat, fugitiuum ſeruum furtum ſui ipſius domino facere. Vnde cum furtum, ſine contrectatione, & interuerſione poſſeſsionis non fiat, l.1. § Scæuola, D.ſi is, qui teſtam. lib. eſſe iuſ. fuer.&c.conſequens videtur, ſeruum in fuga agentem poſſeſsione ſua dominum priuare. Denique grauiter Pomponij, Gaij, & Marcia. reſponſis in d.l. Pomponius 13. d. l. rem, quæ 15. infra hoc titulo, d.l.interdum 16.§. ſerui de publicanis, aduerſatur Papiniani placitum, in d.l.ſi rem 47. infra hoc titulo. Nam cum Papinian. ſcribat, hominum, vel ſeruorum poſſeſsionem tamdiu veterem fieri, id eſt, domino conſeruari, quamdiu nemo alius eam inuaſerit, quia poteſt ſeruus propoſito redeundi domino poſſeſsionem ſui conſeruare, apertè demonſtrat, ſi propoſitum redeundi ſeruus non habuerit, vt in fugitiuo euenire diximus, ex d.l.quid ſit fugitiuus, D.de ædilit. edict. dominum poſſeſsionem amittere, cuius conſeruatio ſerui animo, & propoſito nititur, vt Papinian. ſentit, non dominicæ poteſtatis prærogatiua, aut fauore, vt Gaius, Pompon.& Marcianus docuere.

Verum enim vero noſtra, vel potius Pauli, & aliorum Prudentum ſententia his non ſubuertitur machinis: nam primæ difficultati facile reſpondetur, non de quolibet ſeruo fugitiuo loqui Conſultum in d. l.homo liber 54. §. vlt. ſed de eo, qui cum ab alio poſsideatur, vel pro libero ſe gerat, à nobis non poſsidetur: ideòque docere; per ſeruum

ab

ab alio poſſeſſum nihil poſſe dominum poſsidere, ſicut nec per fugitiuum, quem non poſsidet: ac ſi dixiſſet: ſic vti non per quemlibet fugitiuum, ſed per eum, quem non poſſidet. Secundæ vero obiectioni, reiecta interpretatione Bart. in præſenti non difficile ſatisfieri poteſt, ſi aduertamus; ſeruum fugitiuum propriè furtum ſui non facere, cum non poſsit eadem res & contrectata eſſe, & contrectator; ſed vtilitatis cauſa receptum eſſe, vt furtum ſui facere videatur, ad vſucapionem eius perpetuò impediendam, cùm rei furtiuæ æterna auctoritas fuerit, §. furtiuæ, Inſt. de vſucap. cum vulgat. ne ſeruorum fuga ex quacumque cauſa dominis damnoſa eſſet, vt Imperatores in dict. l. 1. reſcribunt.

6 Papiniani reſponſum in d. l. ſi rem adeò difficile eſt, vt Accurſ. in præſent. Alexand. num. 7. nihil aliud reſponderi poſſe exiſtiment, quam ex illo argumentum à contrario ſenſu contra alia iura ſumi non debere. Reſponderi tamen poteſt, quod, ni fallor, ipſa res eſt, Papinianum loqui non de ſeruo, qui à domino fugit, in quo non poterat ſapiens Conſult. dicere, propoſito redeundi domino conſeruare poſſeſſionem; cum fugitiuus propoſitum redeundi non habeat, d. l. quid ſit fugitiuus: ſed de ſeruo commodato, qui commodatario fuga ſe ſubripuit; in quo eleganter docet, differre ſeruum à rebus mobilibus, quarum poſſeſſionem dominus amittit, omiſſa à commodatario cuſtodia: quia poſſeſſionem per eum retinebat, l. qui vniuerſas 30. §. penul. infrà hoc titulo. At verò ſi ſeruus à commodatario fugerit, & conſequenter cuſtodia eius amiſſa fuerit; dominus tamen ſerui poſſeſſionem non amittit, quia poteſt propoſito redeundi domino poſſeſsionem ſui conſeruare; cum fortaſſis à commodatario ideò fugit, vt ad dominum ſuum rediret: quod ſi ea mente fugerit, vt vtroſq; derelinqueret, poſſeſsio tamen eius à domino retinetur xe generali altera ratione tradita in dict. l. tem, quæ 14. D. de adquirenda poſſeſsione: *quod quemadmodum aliarum rerum poſſeſsionem interuertere non poteſt, ita ne ſuam quidem poteſt*: quam ideò Papinian. non propoſuit, quia ſpeciali

caſui,

caſui, de quo tractabat, ſpecialis alia ratio magis conueniebat.

Conſtat itaque ex ſuperioribus ſeruorum fugam dominis nulla ex cauſa debere eſſe damnoſam, d. l. 1. C. de ſeruo fugitiuo. ideòque eos à dominus poſsideri; vt traditum etiam eſt in l. ſi à bonæ 21. §. vlt. cum l. ſequent. D. de rei vindic. l. Celſus 5. vltim. D. ad exhib. l. in acceſſione 8. D. de diuerſ. & tempor. præſcriptio. Nam vt Caſtr. in præſen. ſcribit, ſeruus fugitiuus poſſidetur ad ea, quæ tendunt in domini fauorem; ſed quoad ea, quæ tendunt in illius præiudicium, non habetur dominus pro poſſeſſore. Indeque deſcendit, quod Paul. ſecundo loco in præſenti docet, ſcilicet per ſeruum fugitiuum poſſeſſionem dominum adquirere, ſicut per eos, quos in Prouincia habet, conſtatque ex l. arboribus 12. §. de illo, D. de vſufruct. l. 2. §. ſi fugitiuus, D. vi bono. rapto. quod ita accipiendum eſt: ſi ſeruus, nec ab alio poſſideatur, nec ſe pro libero gerat, l. 3. §. ſi ſeruus, l. per eum 50. §. 1. infra hoc titulo, l. ſi cui 25. § vltimo, D. de libera. cau. Quam poſteriorem limitationem ideò Paul. in præſenti omiſit: quia eo ipſo, quod de fugitiuo loquebatur, ſatis intelligendam exiſtimauit, cum nec fugitiuus poſſit eſſe, qui ſe pro libero gerit; & eo ipſo, quod fugitiuum agat, & in fuga ſit, pro ſeruo agere credatur, l. quod autem 10. cum duabus ſequentibus, D. de lib. cauſ. 7

Sed hæc ſecunda Pauli aſſertio non minoribus difficultatibus, quam prima oppugnatur. Prima, ex l. ſi ſeruus 15. D de publicia. vbi Pompo. ſcribit: ſi ſeruus, qui in fuga eſt, rem à non domino emerit, competere domino publicianam: *licet poſſeſsionem rei per eum nullus non ſit.* Vnde ſequitur, poſſeſſionem rei à fugitiuo apprehenſæ domino non adquiri. Cui difficultati quamuis Ant. Fab. in 2. tom. ration. in d. l. ſi ſeruus 15. reſpondeat, diſſenſiſſe in hac quæſtione Conſultos, vt ex noſtro §. apparet, & Pomponium in d. l. ſi ſeruus, Neruæ ſententiam amplexum fuiſſe: reſponderi tamen poteſt cum Oſuald. in Donel. d. lib. 5. cap. 12. textum illum de naturali poſſeſſionis apprehen- 8

 ſione

ſione accipiendum eſſe, ita vt ſenſus Conſulti ſit, ex eo ſtatim tempore, quo res fugitiuo fuerit tradita, vſucapionem procedere, & domino publicianam competere, licet nondum poſſeſſionem illius rei per ſeruum nactus fuerit; quia hoc non obſtante, per eum poſſidet, & vſucapit. Ratio itaque illa Conſulti, *licet poſſeſſionem rei, &c.* non decidendi ratio eſt, ſed dubitandi.

9 Secundo aduerſari illud non leuiter videtur noſtræ ſententiæ; quod fugitiuus ſeruus peculium non poteſt habere, l. libera 48. D. de pecul. l. rogaſti 12. § fin. D de reb. cred. atqui extra cauſam peculiarem ignoranti, & abſenti domino poſſeſſio adquiri non poteſt, dicta l. peregre 44. §. quæſitum infra hoc titulo: ergo per ſeruum fugitiuum dominus poſſeſſionem adquirere non valet. Verum reſponderi poteſt, ſeruum fugitiuum non peculium amittere, ſed liberam peculij adminiſtrationem, dicta l. rogaſti 11. §. vltimo, d. l. libera 48. ne res alienando poſſet deteriorem domini conditionem efficere, l. ſi conuenerit 58. D. de pigner. act. d. l. libera in fine: adquirere verò rectè poteſt etiam ignoranti domino, cum peculium non ſit extinctũ, & ſeruorum fuga nulla ex cauſa dominis damnoſa eſſe debeat, d l. 1. C. de ſeruis fugit.

10 Omnibus quæſtionem hanc tractantibus ſemper difficile viſum eſt Vlpian. reſponſum in l. ſerui, & filij 17. §. vltimo, D. de furt. vbi idem Iulianus, qui in noſtro textu, non ſolum ad vſucapionem, ſed etiam ad rerum adquiſitionem, fugitiuum ſeruum à domino poſſideri affirmauerat, Neruæque ſe Antagoniſtam exhibuerat, in aliena caſtra transfugiſſe videtur, & ſententiam mutaſſe: cum ad vſucapionem tantum ſerui fugitiui poſſeſſionem domino proficere docuerit, vt Vlpian. in d. l. refert his verbis: *Quod enim videor poſsidere, ad vſucapionem tantum mihi proficere Iulianus ſcribit.*

11 Hanc interpretes proponunt ex dict. l. ſerui, & filij. difficultatem; ſed plurimis alijs implicitus, penè inexplicabilis eſt ille textus. Docet namque Conſultus in eo, furtum à ſeruo, dum in fuga eſt, domino factum fuiſſe,

quod

quod euenire non poſſe ex dicta l. rem, quæ 14. infra hoc titulo ſupra affirmauimus: cum dominum poſſeſſione rerum priuare minime poſſit. Deinde in principio eiuſdem, l. ſerui, & filij 17. ſcripſerat Vlpianus quamuis ſeruus, vel filius furtum faciat: actionem tamen patri, vel domino, contra eos non competere: adeò vt licet poſt furtum patratum emancipatus fuerit filius; ſeruus autem alienatus, vel manumiſſus, non tamen ideò magis furti actione teneantur: quia actio, quæ ab initio orta non fuit, ex poſtfacto naſci minimè potuit: poſteà tamen idem Conſult. in dicta. l. §. vltimo, pro re à ſeruo ſubtracta actionem domino concedit contra bonæ fidei poſſeſſorem. Vnde vel dicendum eſt, actionem contra ſeruum ortam fuiſſe, vel licet orta non fuerit, ex poſt facto tamen, cum incipit ſeruus in poſſeſſione alterius eſſe, ortum accipere: quod vtrumque cum dictis ab eod. Vlpiano in principio legis, pugnat.

Præterea ea ratione furti actionem domino Vlpianus 12
concedit, quia ſi ipſe ſeruus, qui in fuga eſt, furtum alteri feciſſet, dominus non teneretur, cum licet poſſidere ſeruum videatur, non tamen eum habeat in poteſtate. Conſtat autem, quod ſi ſeruus, qui in fuga eſt, damnum alicui dederit, non contra bonæ fidei poſſeſſorem, ſed contra dominum, legis Aquiliæ actio competit, l. ſi ſeruus ſeruum 27. §. ſerui, D. ad l. Aquil. Quapropter cum actio furti, non minus quam legis Aquiliæ noxalis ſit, l. 1. & 2. §. 1. l. ſi ſeruus communis 8. cum l. ſequent. D. de noxal. vel in hoc textu actio furti contrà dominum concedi debet, vel in d. §. ſerui, legis Aquiliæ actio denegari.

Denique difficillimum illud eſt, quod cum de ſeruo, qui 13
ab alio bona fide poſſidetur, Vlpianus tractet, & de actione furti contra bonæ fidei poſſeſſorem concedenda loquatur; ſcribit tamen, eum ſeruum à domino ad vſucapionem poſſideri; cum tamen conſtet ex noſtro textu, nec ad vſucapionem, nec vllo modo fugitiuum ſeruum, dominum poſſidere, ſi ab alio poſſideatur.

Primæ difficultati vtpote à ſe ipſis propoſitæ, & ani- 14

 mad-

maduerſæ ita interpretes ſatisfacere conantur : Cuiac. enim in præſenti docet, Vlpianum in dicta l. ſerui, §. vltimo probare voluiſſe, non adeò generaliter fugitiuum ſeruum à domino poſſideri, vt ea ratione actio furti illi eſſet deneganda, ideòque vt euinceret, non ad omnia poſſeſſionem ſerui fugitiui, domino conceſſam fuiſſe, eo argumento vſum eſſe, vt diceret, tantum ad vſucapionem proficere;non verò, vt aliàs ſimiles cauſas, & conſequenter adquiſitionem excluderet. Giphan. autem ad titulum de adquirend. poſſeſſione in hoc §.noſtro,aliter hũc iuris nodum ſoluit: reſpondet namque quod in dict. l. ſerui 17. §. vltimo, dicitur, tantum ad vſucapionem ſerui fugitiui poſſeſſionem domino proficere, non adeò ſtrictè accipiendum, vt non etiam idem verum ſit in alijs cauſis ſimilibus, ideſt,ad adquiſitionem pertinentibus, qualis eſt vſucapio, quia particulæ excluſiuæ, vel taxatiuæ *tantum, dumtaxat*, non ſolent excludere ſimiles caſus; quam interpretationem ſequitur Oſuald. in Donel. lib. 5. cap. 12. littera E.

15 Verùm vt in hac difficultate, cæteriſque à nobis propoſitis ſententiam noſtram proponamus, mentem Conſulti explicare operæpretium fuerit, qua percepta omnes ſimul difficultates interpretationem accipient. Seruus cum in fuga eſſet, rem domini ſubtraxit, dubitatumque eſt inter Prudentes, vtrum contra bonæ fidei poſſeſſorem illius ſerui, danda eſſet domino noxalis furti actio? Quæ eadem quæſtio tractata eſt in ſeruo communi, qui rem vnius ex dominis furatus eſt, l. cum ſeruus 41. D. de noxalibus, & in ſeruo, qui fructuario furtum fecit in l. is, qui vſumfructum 18. eodem titulo. Quæſtionem, vel dubitationem mouet; quod ille, qui noxali actione teneretur, ſi ſeruus alij furtum feciſſet, ipſe noxalem actionem habere non poſſit, l. apud antiquos 21. §. cumque generalis, C. de furtis: ideòque propter furtum à ſeruo communi factum vni ex dominis actio contra alterum illi denegatur in dicta l. cum ſeruus 41. D. de noxal. & in l.ſed ſi vnius 17. §.ſi ſeruus, D. de iniurijs. Sed decidendi ratione

ea

ea Conſultus vtitur, quod dominus ſerui nomine, qui in fuga eſt, ſi furtum alij feciſſet, noxali actione non teneretur: quia vt quis noxali actione teneatur, neceſſarium eſt, vt ſeruum habeat in poteſtate, id eſt: *Vt facultatem, & poteſtatem exhibendi eius habeat*, ita enim verbum illud in noxalibus actionibus accipiendum, docet Vlpianus in l. quoties 21.§.in poteſtate, D. de noxal. & Paulus l. poteſtatis 215. D. de verb. ſignificatione.

Licèt autem dominus ſeruum poſsidere videatur, facultatem tamen, vel poteſtatem exhibendi eius non habet, nec præſentis corporis copiam, d.l.quoties 21.§.in poteſtate, D. de noxalibus, l. Celſus, 5. §. vlt. D.ad exhibendum. Nec ad rem pertinet, quod *poſsidere ſeruum eo tempore quo in fuga eſt videor*: ideòque cum poſsidere, quaſi poſſe ſedere dictum ſit, copiam, facultatemque præſentis corporis continere poſſeſsionem fatendum fuerit: vnde & in noxalibus qui poſsidet, vel dolo fecit, quominus poſsideret, tenetur, l. bona fide 11.cum l. ſequent. l.noxalis,7. l. quoties 21. D. de noxal. quia dolus pro poſſeſsione eſt, l. quod ſi dolo 22. D. de rei vindicat.l. qui dolo 131. l. parem 150. l.ad ea 257. §.1. D. de regulis iuris. Quod enim videor poſsidere, non eo pertinere, vt copiam hominis habeam, vel facultatem reſtituēdi, dicta l. quoties 21.§. in poteſtate, dicta l. Celſus 5.§.vltimo: nec ad actionem noxalem contra me veluti contra poſſeſſorem concedendam, ſed ad vſucapionem tantum mihi proficere Iulianus ſcribit. Atque ita non excludit Iulianus adquiſitionem per ſeruum contigentem, & ſimiles alias cauſas, ſed excludit actionem noxalem, de qua quæſtio erat; illiuſque reſpectu docet, tantum ad vſucapionem fugitiui ſerui poſſeſsionem domino proficere: in quo rectè ſenſit Giphan. in præſenti, & ante eum Accurſius in d.l.ſerui, §. vltimo, verbo tantum in fine.

Ex quibus iam apparet, rationem illam Conſulti, quod dominus poſsidere fugitiuum videatur, ad vſucapionem, ad tempus, quo furtum factum eſt, & actio naſci debet, re- 17

ferendam: quo quidem tempore nondum fugitiuus ab alio poſſidebatur, vt ex eodem textu conſtat; ideòque rectè potuit à domino poſſideri: ſimulque diluitur vltima difficultas à nobis propoſita. Concludit igitur Vlpianus, ex ſententia Pomponij *competere furti actionem huic domino, cuius ſeruus in fuga ſit*, quia ſupra dicta iuris ratio non obſtat: aliã autem actionem concedit, quæ ſuadet bonæ fidei poſſeſſorem noxali actione teneri, l. bona fide, cum ſequentibus, D. de noxal.

18 Nec aduerſatur, quod ſcriptum eſt in dicta l. 27. §. ſerui autem, D. ad l. Aquiliam: ſpeciale enim eſt in actione legis Aquiliæ vt ſicut non datur, niſi domino, l. item Mella 11. §. legis, D. ad l. Aquiliam, ita non detur niſi contra dominum: vt in dicta l. ſi ſeruus, §. ſerui autem, docet Anton. Faber in ſecundo tomo Ratio. Cæteræ autem noxales actiones contra bonæ fidei poſſeſſores competunt, vt ex dicta leg. bona fide, probatur. Non etiam contrarium eſt, quod ex principio dict. leg. ſerui, & filij, propoſuimus: facit enim ſeruus furtum domino, cum vſum rei auferat, & poſſeſſionem interuertat, vt in principio eiuſdem legis cautum eſt: ſed tamen, ne ſeruorum fuga dominis ex aliqua cauſa damnoſa ſit, poſſeſſio domino conſeruatur, quaſi in his, quæ tendunt ad ipſius vtilitatem nunquam interuerſa, dicta leg. rem, quæ 14. infra hoc titulo, iuncta lege 1. C. de ſeruis fugitiuis: non verò vt quaſi poſſeſſor, & in poteſtate ſeruum habens, actionem conſequi non poſſit, quod maximè ipſi damnoſum eſſet. Nec natiuitas actionis impeditur: nam cum ea ratione inter dominum, & ſeruum actionem non naſci ſcripſerit Vlpian. in eod. tex. quia qui poteſt in ſeruum ſtatuere, non habet neceſſe aduerſus eum litigare, & hæc ratio in noſtro caſu ceſſet, dominus namque in ſeruum fugitiuum ſtatuere non poteſt, meritò actionem illi concedimus; ne alioqui ſerui fuga, & malitia domino damnum irrogaret, ſi actionem non haberet ad id, quod ſubtractum eſt, quodque eius intereſt, conſequendum.

Ve-

Verùm ita demum fugitiuum ſeruum à domino poſſideri, dictum iam ſupra eſt, ſi ab alio non poſſideatur; vt in hoc §. noſtro Paulus docet: eſt tamen & alia exceptio, vel limitátio, videlicet, ſi ſe pro libere gerat, & in poſſeſſione libertatis ſine dolo malo moratus fuerit, paratuſque iudicium liberale aduerſus dominum ſuſcipere; quo equidem caſu à domino non poſſidetur: nam ſi ex ſeruitute in libertatem proclamauerit,& iudicium liberale implorauerit, dominus eum poſſidebit, quouſque liber ſit pronuntiatus, l. 3. §. ſi ſeruus, l. per eum 50. §. 1. infra hoc titulo, lege ſi is, qui pro emptore 15. §. 1. D. de vſucapionib. l. quod autem 10. cum l. ſequent. D. de liber. cau. Nec obſtat, l. ſeruus 33. §. eum qui, D. de procurator. lege quis autem 12. D. ex quibus cau. maio. l. ordinata 24. in principio, lege ſi cui 25. §. vltimo, D. deliber. cau. lege lite 14. C. eodem. In quibus iuribus traditum eſt, poſt ordinatum liberale iudicium, ſeruum in poſſeſſione libertatis cõſtitui, ideòque à domino non poſſideri. Hoc enim ita accipiendum eſt, vt corpore à domino non poſſideatur, nam animo poſſidetur, dict. §. ſi ſeruus, docet Cuiacius lib. 54. Pauli ad edictum in dicta l. 3. §. ſi ſeruus, Giphanius in præſenti. Niſi cum Donel. lib. 5. commentariorum cap. 12. vel potius cum Accurſio in dicta l. lite 14. ita ea iura intelligamus: vt ſeruus non poſſideatur quoad illud, vt iudicium liberale rite peragatur, habeatque perſonam legitimam conſiſtendi in iudicio; quod euenire non poſſet, niſi in poſſeſſione libertatis quoad has cauſas eum haberemus. 17

CAP. XI.

Creditorem rei ſibi pignori traditæ veram poſſeſſionem habere. Ad §. per ſeruum corporaliter.

1 DOcet in præſenti Paulus debitorem, eundemque dominum per ſeruum corporaliter pignori datum poſſeſſionem non adquirere, quia ad vnam tantummodo cauſam talis ſeruus à domino poſſideri videatur, ad vſucapionem ſcilicet. Sed nec creditori per hunc ſeruum poſſeſſionem adquiri poſſe, quia nec ſtipulatione, nec alio modo per eum adquirat, quamuis illum poſſidere certum
2 ſit. Cenſet igitur Conſult. creditorem verè & propriè poſſidere, quod & omnis Conſultor. ſchola confirmat in l. quæcunque 13. §. 1. D. de publicia. l. ſi ſeruus 22. §. 1. D. de noxa. l. cum & ſortis 35. §. 1. D. de pign. actio. l. per ſeruum 37. in principio, D. de adquiren. rer. dom. l. qui pignoris 36. cum l. ſeq. infra hoc titulo, l. ſerui 16. D. de vſucap. quibus locis expreſſum videmus: *Creditorem poſſidere, penes creditorem eſſe poſſeſsionem; poſſeſsionem creditorem habere.*

3 Nec interpretatio illa admitti poteſt, vt poſſeſsionem hanc creditoris de naturali detentione, vel inſiſtentia accipiamus, vt in fructuario, Colono, & ſimilibus, qui non ſibi, ſed alijs poſsident; ideòque creditorem, ſicut & prædictas perſonas non poſsidere; ſed in prædio, vel poſſeſsione eſſe dicamus: vt exiſtimarunt Anton. Fab. in ration. ad Pandect. in l. ſciendum, §. creditor, D. qui ſat. dare cog. Cuiac. lib. 28. obſeruat. cap. 24. Balduin. de pignor. cap. 15. Petr. Surd. conſil. 266. num. 21. cum ſequentibus, volum. 2. Nunquam enim apud Conſultos ſcriptum reperias, creditorem *nullam poſſeſsionem habere, vel non poſsidere, qualiter qualiter poſsidere, poſſeſsioni incumbere, naturaliter rem tenere*: quod de cæteris perſonis paſsim dictum extat in l. officium 6. D. de rei vendic. l. communi 7. §. neque, D. com-

D. commu. diuid. l. naturaliter 12. l. quod ſeruus 24. hoc tit. l. non ſolum 33. §. cum hæc igitur, D. de vſucapion. l. 3. §. vlt. D. de vi & vi arm. l. 1. §. quod ait prætor. D. quor. legato. Colonum namque, fructuarium, ſeruum, & ſimiles ideò detentionem tantum habere, non autem poſsidere certum eſt: quia dominus eorum corpore verè, & ciuiliter poſsidet, l. 3 §. quod ſi ſeruus, l. quod meo 18. hoc tit. In creditore autem diuerſum eſt, cum rem, quam dominus pignori dedit, poſsidere deſinat, & creditor illius poſſeſsionem nanciſcatur, verèque, & propriè non alieno, ſed ſuo nomine poſsideat; ita vt neceſſe fuerit vtilitatis cauſa recipi, vt quamuis creditor quoad cæteras omnes cauſas poſsideat, debitor tamen quoad vſucapionem tantum intelligatur poſsidere; vt expreſsè in noſtro textu ſcriptum eſt, & expreſsius in l. ſerui 16. D. de vſucap.

Quod ſi creditor, vt illi putabant, naturalem tantum 4 inſiſtentiam haberet, & debitor per eum poſsideret, non rogaret vtique ab eo poſſeſsionem rei precario, ſicuti nec à Colono, aut ſeruo, cæteriſue perſonis vnquam rogatam legimus. Quid enim de nouo acciperet, qui verè, & propriè per eum poſsidebat? Atqui rogat precario; vt Iulianus, ſcribit, in l. qui pignoris 36. infra hoc tit. Veram igitur, & propriam poſſeſsionem non penes eum, ſed penes creditorem fuiſſe conſequens eſt. Præſertim cum ſi debitor ciuiliter per creditorem poſsideret, etiam ante precarij rogationem plurimum iuris haberet in hac poſſeſsione: quod tamen Iulianus, negat, dum in d. l. 36. ſcribit, plus iuris habere debitorem in hac poſſeſsione, poſtquam precario rogauit, quam ſi omnino non poſsideret: omnino igitur non poſsidebat, niſi precario à creditore poſſeſsionem rogaſſet.

His accedit, quod Marcianus, ſcribit in l. res pignoris 5 37. inf. hoc tit. ſi debitor, poſſeſsione rei creditori tradita eandem ab eo, vel vt colonus in agro, vel vt inquilinus in ædibus, conduxerit, creditorem per eum poſſeſsionem retinere. Quam? inſiſtentiam, vel detentionem? nemo dixerit. Sequitur ergo, veram poſſeſsionem creditorem animo

mo retinere, cuius nomine ipſe debitor naturaliter poſſeſſioni incumbit: quod ſatis confirmat Paul. in l. ſi pignus 37. D. de pign. actio. cum doceat, creditorem retinere poſſeſſionem pignoris debitori locati: quia debitoris, antequam locaſſet, non fuerat poſſeſſio; & quia creditori animus retinendi, & debitori conducenti non ſit animus poſſeſſionem adipiſcendi.

6 Præterea ſi debitorem poſſeſſionem habere; creditorem autem eius nomine rei incumbere certum eſſet, cùm conductio, vel precarium rei propriæ eſſe non poſſit, l. ei. aquo 22. D. de vſucapion. nec conductio, nec precarium à debitore factum conſiſteret, atqui conſiſtere in d. l. qui pignoris, & ſeq. probatur: fateri igitur neceſſario oportet, reſpectu alienæ poſſeſſionis conſtitiſſe, argum. l. ſi aliquam 28. infra hoc tit. cum reſpectu proprietatis non potuerit, quam poſſeſſione tantum in creditorem translata apud debitorem remanere certi iuris eſt, l. cum & ſortis 35. in fine, D. de pigner. action.

7 Sed ſi debitor per creditorem rem pignori traditam poſſideret, ſequeretur, vt cum ſeruus dominum poſſeſſione priuare non poſſit, l. rem. quæ. 15. l. Pomponius 13. in princip. infra hoc tit. ſi ſeruus debitoris pignoratam rem creditori ſubriperet, debitor eam, quaſi non ſubtracta poſſeſſione, adhuc habere perſeueraret per antiquam poſſeſſionem, non nouam apprehenſionem: atqui nouiter apprehendit, quaſi per creditorem poſſeſſione tradita, vel vt Conſult. ſcribit in l. non ſolum 33. §. ſi rem pignori, D. de vſucapion. *Non ſecus, ac ſi eam creditor debitori tradidiſſet.* Ergo poſſeſſionem creditor habuit, à quo per furtum ſerui in debitorem translata eſt: non debitor, qui eam quaſi traditam accepit. Præſertim cum, ſi non debitoris, ſed creditoris ſeruus ſubripuerit, poſſeſſionem non amitti, quia ſeruus in poſſidentis poteſtate ſit, ſcribat Iulianus in d. l. non ſolum, §. ſi rem pignori.

8 Ex quo etiam fit, vt debitor ipſe furtum pignoris creditori faciat, l. ſi quis 36. D. de noxal. l. 4. §. ſi rem, l. vlt.

D. de

D. de vſucap. l. ſi rem. 5. D. pro empt. quod euenire non poſſet, ſi veram poſſeſſionem creditor non haberet, quam creditor contrectaret, l. 1. D. de furt. l. 1. §. Scæuola D. ſi is, qui teſtam. præſertim cum reſpectu vſus furtum contrahi non potuerit, quem creditor non habet.

Denique creditori ad recuperandam poſſeſſionem amiſſam actio conceditur l. ſi is qui 11. §. 1. l. grege. 13. §. & in ſuperficiarijs D. de pignor. l. ſi cū venditor. 60. in pr. verſic. non idem D. de euiction. Concludimus igitur ex I. Conſultorum ſententia, & vera iuris ratione, creditorem non tantum naturaliter, ſed verè, & propriè poſſidere. Cum poſſeſſio ſit detentio rei corporalis cum animo ſibi poſſidendi coniuncta, & creditor licet affectum domini non habeat: ſibi tamen non domino poſſideat Quam noſtram ſententiam, tam circa poſſeſſionis diffinitionem, quam circa creditoris poſſeſſionem, gaudemus doctorum virorum probationem, & aſſenſum meruiſſe. Nec tamen ex ea ſequitur, duos eadem rem in ſolidum poſſidere contra regul. traditam in l. 3. §. ex contrario infra hoc titul. & in l. ſi vt certo §. duobus vehiculum D. commodati. Debitor namque vt ſupra dictum eſt, rem pignori traditam non poſſidet, ſed ex æquitate contra iuris rationem intelligitur, vel fingitur poſſidere, vt in noſtro §. ſcriptum eſt; & in d. l. qui pignoris, infra hoc titul & in d. l. ſerui 16. D. de vſucapion. ne in damnum ipſius creditoris, cuius intereſt, ius pignoris confirmari per adquiſitionem dominij, vſucapionis progreſſus per traditionem pignoris interrumperetur deficiente poſſeſſione; argument. l. denique D. ex quib. cau. maio. l. ſine poſſeſſione 25. ff. de vſucapion. quod nec nouum in iure nec inſolens eſt; cum hereditas non poſsideat. l. hereditas 61. D. de adquir. rer. domin. l. 1. §. Scæuola D. ſi is, qui teſtam. & tamen iure ſingulari receptum ſit, vt vſucapio à defuncto cœpta per hereditatem continuetur, l. nunquam 31. §. vacuum l. cœptam 40. l. iuſto. 44. §. nondum; D. de vſucapion. l. 2. §. etiam heredi, l. qui cum 6. §. vltim. D. de proempt.

Nec

11 Nec pro contraria opinione faciunt,quæ adduci ſolent fundamenta. Non text. in l. quæcumque,§. 1. ff.de Publicia.& in l.ſi ſeruus,§. 1. D.de noxa. Quibus locis creditorem, & eum, qui precario poſſeſsionem rogauit, affectu, vel opinione domini, non poſsidere docent Conſulti; Non enim inde ſequitur, eos verè, & propriè non poſsidere, cum nihil commune habeat proprietas cum poſſeſſione, l. naturaliter,§. nihil commune,l. ſiquis vi. §. differentia, infra hoc tit. & ad veram poſſeſsionem non animus domini, vel dominantis, ſed affectus ſibi poſsidendi

12 requiratur; vt ſupra in diffinitione docuimus. Quare igitur (dubitabit aliquis) affectus, vel opinio domini in dictis iuribus requiritur? Et in promptu reſponſum eſt,nam in d. l. quæcumque, de publiciana actione concedenda tractatur, quæ cùm illis præſtita ſit, qui rei, quam vſucapiebant, poſſeſsionem amiſerunt, l. 1. l. vltim. & toto tit. D. de publicia. illi, qui affectum domini non habet, cum vſucapio non currat, nec publiciana conceditur: dictæ autem l. ſi ſeruus, penè eadem eſt ratio; nam & actionem noxalem contra dominum, vel qui opinione domini rem poſsidet, competere conſtat ex l. 1. & ex l. bona fide 11. cum l. ſeq. D. de noxal.

13 Maior fortaſsis alicui videatur, quæ obijci ſolet, difficultas ex l. ſciendum. §. creditor, D. de qui ſatisdare cogant. vbi nec creditorem,nec fructuarium poſſeſſores eſſe, docet Conſultus: ſed cùm de ſatisdatione, *iudicio ſiſti* in illa l. tractetur; quam euitare illi tantùm poſſunt, qui vel in vrbe, vel in agro res ſoli poſsident; vel quia tunc ſatis cautum ſit actori, etiam ſi reus iudicium fugerit; vel quia poſſeſsione immobilium tollit ſuſpicionem fugæ,vt docêt Bart. & Doctores in d. l. merito poſſeſsionis verbum, non de quacumque poſſeſsione in eo textu,ſed de eà,quæ cum proprietate coniuncta eſt, & iure dominij conſiſtit, erit accipiendum. Ideòque poſtquam Conſultus ſcripſit, proprietatis dominum non vſufructuarium quoad hanc cauſam poſſeſſorem intelligi; adijcit, nec creditorem poſſeſſorem eſſe, ſcilicet, vt ſatisdationem euitet, licet poſſeſſionem

ſionem ſibi traditam habeat, id eſt,à debitore translatam; atque ita hunc textum interpretantur Accur. Bart. & Doctor. ibidem, Anton.Fab.in ration.in eod.text. Bronchorſt. centur. 3. aſſertio. 89.

Nec contrariæ partis aſſertoribus fauet tex. in l. debitor. 40. §. vltim. D. de pign. act. tantum enim docet Conſultus, ſoluta pecunia à debitore, creditorem ad nihil aliud teneri, quàm vt pignoris poſſeſſionem, quæ corporalis penes eum fuit, reſtituat: ideo autem dixit: *quæ corporalis*, vt demonſtraret, non conuentione, ſed corporaliter pignus conſtitutum, vt in noſtro textu, etiam expreſſum eſt; non verò, vt nudam tantum inſiſtentiam creditorem habere ſignificaret. Idque adeò verum eſt, vt in l. 3. in fine, D. ad exhibend. cum actione ad exhibendum omnes conueniri poſſe, Conſultus docuiſſet, qui naturaliter rei incumbunt; creditorem ea actione teneri, ſeparatim docuit, vt demonſtraret, cæterorum numero eum non fuiſſe comprehenſum. 14

Non etiam pro contraria ſententia facit text. in l. cum notiſſimi, C. de præſcript. trigint. vel quadragint. annor. vbi poſſeſſio apud debitorem conſtituta dicitur: id enim reſpectu vſucapionis, vel præſcriptionis intelligitur, non verò quoad alias cauſas: quinimò, & in eo textu poſſidet creditor ad hoc, vt anteriori creditori præferatur. 15

Denique nec illud noſtræ aduerſatur ſententiæ, quod creditor nullum ex hac poſſeſſione commodum habere videatur. Nam licet, quoad vſucapionem, & omnes effectus concernentes dominium, vel adquiſitionem, poſſeſſio illi non proſit, vt in noſtro text. & in d. l. ſi ſeruus, §. 1. D. de noxal. & in d. l. quæcumque, §. 1. D. de publicia. d. l. ſciendum, §. creditor. l. 1. & 2. C. de pignorib. quoad alios autem effectus poſſeſſio hæc vera, & propria, & vtilis eſt: competit enim creditori interdictum poſſeſſorium ad retinendam, & recuperandam poſſeſſionem pignoris, vt docent Accurſ. in l. 1. D. de pign. actio. Alexan. & Iaſo. in præſenti Ange. in l. cum notiſſimi, C. de præſcrip. trig. vel quadrag. annor. Menoch. de retinen. rem. 3. num. 160. 16

Gra-

Gratianus diſputationum lib. 1. cap. 174. num. 18.

17 Reſtat, vt hanc ſententiam, quam, defendimus, non ſolum Iuriſconſultorum reſponſis comprobatam, ſed etiam doctiſſimorum interpretum authoritate confirmatam, manifeſtum faciamus. Eam igitur expreſsè tenent, & defendunt Antiquorum, & recentiorum interpretum præſtantiſsimi. Acurſius ex cuius vnius Gloſsis omnia omnium commentaria prodiere in l. 1. D. de pign. act. differentias inter pignus prætorium, & conuentionale ennumerans ita ſcribit. *Item in alio: quia in conuentionali pignore habet creditor naturalem, & ciuilem poſſeſsionem vt infra de adquir. poſſeſsio, l. quod pignori, & de vſucap. l. ſerui nomine; quamuis quidam dicant quod ſolum detentionem habet, in pratorio autem, &c.* & in l. cum notiſſimi, C. de præſcription. 30. vel 40. anno. latè hanc ſententiam proſequutus, ſcribit: *Sed nos dicimus quod ciuiliter, & naturaliter poſſidet creditor, vt de adquir. rer. dom. l. per ſeruum in princip.* & inferius adijcit: *Item nec obſtat quod vſucapit debitor: quia quandoque procedit vſucapio ſine poſſeſſione, vt D. de vſucap. l. rerum, & l. nunquam, §. vacuum*; quod etiam docet in d. l. per ſeruum, & alijs multis locis, Bart. in l. ſerui 16. de vſucap. notat ad vſucapionem tantum, & ſatiſdationem iudicio ſiſti euitaudam debitorem poſſidere, & in l. 1. §. per ſeruum ſcribit, *Nota quod creditor poſsidet ſeruum*, nec poſſunt verba hæc de naturali detentione intelligi, hoc enim quis notaſſet? Præſertim cum ipſe Bartolus in l. cum notiſſimi, C. de præſcrip. 30. vel 40. ann. ſuam explicans ſententiam, ita pronuntiet. *Quæro vtrum creditor poſſideat pignus? Gloſ. hic diſputat. veritas eſt quod poſsideat præter quam quo ad præſcriptionem, l. ſerui nomine, D. de vſucapion.* & Alexand. in adit. lib. 1. *Et videtur (inquit, quod ſi loquamur reſpectu ipſius pignoris creditor poſsidet ciuiliter, & naturaliter, quod patet quia ei competit ſeruiana ſeu hypothecaria ad poſſeſsionem auocan. l. ſi cum venditor, D. de euictionib. ſecus ſi reſpectu dominij, &c.* Iaſon in d. l. ſciendum, §. poſſeſſor, D. qui ſatiſdar. cog. num. 4. ita ſcribit. *Tertio nota in verbo creditor, quod licet creditor quoad multa dicatur poſsidere de quibus hic in gloſ. tamen non quantum ad hoc vt re-*

leue-

leuetur ab honere ſatiſdandi. Idem ius in l. 1. §. per ſeruum, D. de adquir. poſſ. num. 2. ibi not. 1. quod per ſeruum pignori datum non quæritur domino poſſeſſio, quia l um nō poſſidet niſi quoad vſucapionem, & infrà num. 5. Ciuilem, & naturalem poſſeſſionem creditori tribuit his verbis vlt. not. ex iſto textu in fin. quod creditor dicitur poſſidere pignus. Intellige naturaliter, & Ciuiliter vt eſt in gloſ. in l. cum notiſſimi, §. 1. C. de præſcrip. 30. vel 40. ann. & in l. per ſeruum qui pignori in princ. ſup. tit. 1. & in l. fin. de eo in princ. l. ijſdem ferè verbis idipſum affirmant, Alexan. in præſ. num. 5. & in d. §. ſed cum illud, Paul. de Caſtr. in præſ. num. 3. & in d. l. ſerui. num. 2. Rip. in cap. ſæpe. de reſtit. ſpoliat. Menoch. de retinen. remed. 3. num. 159. & duobus ſequent. & de recuper. rem. 9. num. 192. & ſequent. Neguſan. de pigno. 3 par. memb. 1. à num. 29. Gilchen. de præſcriptio. 3 par. cap. 12. num. 8. & 28. Coller. de proceſ. execut. 3. par. cap. 12. num. 87. Nata 535. num. 5. Giphan. in præſ. Cuiac. à contraria diſcedens in præſ. & manifeſtius lib. 44. Digeſt. Iulia. in d. l. per ſeruum in princ. D. de adquir. rer. dom. Ant. Faber. decad. 75. errore 1. & in 1. tom. rationalis, in d. l. quæcũq; 1. & nouiſſimè in 3. tom. rat. in l cum. & fortis 35. §. 1. & in l. ſi pignus 37. D. de pign. act. Bronchorſt. centu. 3. aſſert. 89.

CAP. XII.

Per ſeruum hereditarium, an eiuſdem hereditatis, vel aliarum rerum poſſeſſio adquiri poſſit? Ad §. veteres, §. ſi ex parte, §. idem dicendum.

MAxima circa veterum Prudentum regulam in hoc §. traditam, & in l. per hereditarium 18. D. de adquirend. rerum dom. l. heres 43. D. de adquir. 1

here-

heredit. inter Doctores controuerſia eſt; vt conſtat ex Iaſon. in præſent. vtrum ea in poſſeſſionis tantum, an etiam in iuris adquiſitione intelligenda ſit; & ſimiliter, an de ſeruo hereditario, ante aditam hereditatem? an verò poſt
2 aditam loquatur? Verum tota hæc tractatio breuiter cum Giphan. ad hunc tit. in l. qui abſenti 38. §. vltim. & Cuiac. lib. 54. Pauli ad edict. in hoc §. & lib. 30. Digeſto. Iulia. in d. l. hæres 43. ita explicanda eſt, vt dicamus, hereditarium ſeruum ante aditam hereditatem nec ipſam, nec ipſius hereditatis ius, vel poſſeſſionem heredi adquirere poſſe, d. l. per hereditarium 18. D. de adquir. rer. domin. d. l. heres 43. D. de adquir. heredit. in quibus locis loqui Conſultum de ſeruo hereditario ante aditam hereditatem, ex eo conſtat, quia de ipſa adquirenda per ſeruum tractat, quod in iam adita, & adquiſita locum habere
3 non poſſet. Ratio autem huius iuris illa eſt, quòd cum per hereditatem ſeruus hereditarius heredi quæratur, abſurdum eſſet, vt hereditas per ſeruum quæreretur, argum. tex. in l. quod per manus 20. D. de iure codicill. docet Cuiac. loco ſupra cit. Deinde quia cum hereditas vniuerſitas quædam, indiuidua ſit, l. quædam, §. 1. D. de edendo, l. Pomponius 8. in fine, D. de rei vindic. etiam ſeruum hereditarium comprehendit, & in ſe continet. Vnde ſi ſeruus hereditarius vel totum hereditatis corpus, vel aliquã partem poſſet adquirere, ſe ipſum adquirere videretur, eſſetque, & adquirens, & res adquiſita, quod admitti ſine abſurdo non poteſt.

4 Poſt aditam hereditatem, ſicuti de iure adquirendo agere non poſſumus, quod iam adquiſitum eſt; ita conuenienter de poſſeſſione adquirenda tractamus, quæ per aditionem ad heredem non pertinuit, l. cum heredes 23. infra hoc tit. atque ideo noſter tex. de ſeruo hereditario, poſtquam iam hereditas adita fuit, accipi debet: præſertim cum nondum adita hereditate de eius poſſeſſione adquirenda inepte tractatur. Nec ad rem facit, quod hereditas per aditionem extinguatur, l. 1. in princip. D. de ſeparatio. Indeque hereditarius ſeruus poſt aditam hereditatem non

rectè

recte poſſit appellari: nam in iure noſtro etiam ea, quæ iam adita eſt, hereditas appellatur; & poſt aditionem ſerui, & cæteræ res, hereditariæ nuncupantur, vt apparet ex tit. D. de petit.heredit.& ex tit.D de heredit. vel actio. vend. Docet igitur Paul. in noſtro text. ex regula veteri non poſſe adquiri poſſeſſionem eiuſdem hereditatis per ſeruum hereditarium. Ratio illa eſt, quam ſupra tradidimus: quia in vniuerſali titulo hereditatis ſeruus etiam continetur: vnde, cum illius corporis pars ſit, ſui ipſius poſſeſſionem videretur adquirere. Ex qua ratione efficitur, vt ſi plures 6
ſerui legati, vel donati ſint, vel alio particulari titulo conceſſi; poſsit legatarius, vel donatarius per quemlibet eorum, cæterorum poſſeſſionem adquirere, vt in noſtro textu docemur, & in l.prædia.48. infra hoc titul. quia nullum corpus conſtituunt, neç vniuerſitatis alicuius partes ſunt, vt ſe ipſos adquirere videantur.

Deſcendit etiam ex ſupradictæ regulæ ratione, vt ſi alio 7
quouis titulo, non hereditario, ſeruum habeam, poſsim per eum hereditariarũ rerum poſſeſſionem quærere: Ideò ſi ſeruus teſtatori venditus, vel ex ſtipulatione, alia ve cauſa debitus, nondumque traditus heredi poſteà tradatur, poſſe per eum heredem poſſeſsionem hereditatis adquirere docet Iulian.in l.qui abſenti 38. §.vltim. infra hoc tit. quia non ſeruus in hereditate, ſed actio ad illum conſequendum relicta fuit; nam vt latè ſupra in §. 1. docuimus, dominium traditionibus non pactis, aut conuentionibus adquiritur, l. traditionibus, C.de pact. Vnde nec teſtatori ex ſolo contractu fuerat acquiſitum, & conſequenter nec relictum in hereditate.

Adeo autem id, quod propoſuimus, verum eſt, vt ſi ſer- 8
uus pro parte hereditarius ſit, pro parte alio particulari titulo ad heredem pertineat, poſsit heres pro ea parte, qua non eſt hereditarius, poſſeſsionem, de qua quærimus, per eum adquirere; vt elegantibus exemplis demonſtrat Paulus in §. ſi ex parte, & §. idem dicendum, in ſeruo vni ex heredibus prælegato, qui quidem diformiter capitur, ſcilicet, pro qua parte ipſe heres eſt, iure heredita-

rio: pro coheredum portionibus, iure legati, l. cum qui 18.§.vltim.D.de his, quib.vt indig.l. in quartam, D. ad l. Falcid.& iu ſeruo cōmuni teſtatoris,& heredis; per quos, licet ex parte ſint hereditarij: pro parte tamen, qua alter ex legati cauſa adquiritur, alter autem proprius heredis eſt, poterit eidem heredi poſſeſsio rerum hereditariarum adquiri, non obſtante ſuperiori regula veterum.

9 Extra res autem hereditarias, & hereditati, & heredi ſeruus hereditarius poteſt adquirere ea, quæ iuris ſunt l. hereditas 61. D.de adquir.rer.dom.& poſſeſsionem, ſi eam ex cauſa peculiari apprehendat, § item adquirimus ſupra,
10 vbi diximus. Ita demum autem ſeruus hereditarius per ſtipulationem heredi adquiret, ſi non nominatim Titio l. ſi vnus 25. §. fin. D. de pact.l.ſeruus hereditarius 16.D.de ſtipul. ſeruor. ſed ſub nomine heredis fuerit ſtipulatus, veluti: *heredi centum dabis, vel promittis, heredi?* l.ſi ex rer. 28. §. vlt. l.ſeruus 35. D. de ſtipul. ſeruo. quia certum eſt, heredem illius dominum fore, l.heres quandoque, D.de adquir. heredit. Non autem certum eſt, Titium futurum heredem. Ideoque primo caſu domino ſtipulatur; ſecundo non item: docent Cuiac. lib. 27. quæſtio. Papin.in l. ſi ſeruus 18. §. ſeruus, D.de ſtipul. ſeruor. Anton. Fab. in ration. in d. l. ſi vnus, §.finali.

CAP. XIII.

Ad poſſeſsionem adquirendam per ſeruum, vel procuratorem, ipſorum voluntatem eſſe neceſſariam. Ad §.hæc, quæ de ſeruis, & §. per procuratorem.

1 SVpra in §. item adquirimus, de poſſeſsionis adquiſitione per ſeruum, & procuratorem tractauimus, & rationem differentiæ propoſuimus, qua effectum eſt, vt ſer-

vt ſeruus ex cauſa peculiari, & poſſeſsionem, & vſucapio-
nem ignoranti domino adquirat.l.3.§.ſaltus l.quamuis 32.
in fine, infra hoc tit. l. ſi is, qui pro emptore, D. de vſu-
capion.procurator verò non niſi poſſeſsionem,leg. poſſeſ-
ſio 49.§.vltim.infra hoc titul.leg.1. C.eod.Donellus lib.5.
commentar.cap.8.& in dict.leg.1.Cuiacius lib.18.obſerua-
tio cap.2.Bronchorſt. Centur.3. aſſertio.91. Sicut autem 2
ſeruus non ex alia cauſa, quàm ex peculiari ignaro domi-
no adquirit, leg. peregre. 44. §. quæſitum infra hoc titul.
ita, & procurator non aliter poſſeſsionem, & dominium
ignoranti adquirere poteſt, quàm ſi ex mandato vel ſpe-
ciali in eam rem, vel generali, poſſeſsionem apprehen-
dat. Nam licet ad alienandum vel ſpeciale mandatum,
vel generale cum libera adminiſtratione requiratur, leg.
procurator.58. leg.mandato generali.60. leg. procurator.
63. D. de procurator. §. venditæ. Inſtitut. de rer. diuiſio.
leg. ſolum 11. §.vltimo, D. de pignorat. actio. leg. iuſiu-
randum 17. §. vltimo, D. de iure iuran. leg. fundi. 33. in-
fra hoc titul. Socinus conſil. 139. lib. 2. Angelus conſil.
375. Tiraquellus de iure conſtituti. limitatio. 63.num. 11.
Gilchenius de præſcription. parte 2. memb. 3. cap. 6.
num. 11. ad adquirendum tamen, generale mandatum
etiam ſine libera ſufficit, vt docet Iaſon, & Fulgoſius,
Cumanus, & Alexander in præſenti. Nec ſufficit ad
poſſeſsionem per procuratorem ignoranti adquiren-
dam, quod mandatum præceſſerit, niſi etiam meo no-
mine res tradita ſit, leg. procurator. 13. D. de adquir.
rerum domin. l. communis 42. §. 1. infra hoc tit. Quod-
cumque igitur ex ijs defecerit, ſcientia domini erit ne-
ceſſaria. Ideoque ſi res mandato meo empta proponatur, 3
non autem ſit tradita meo nomine, ad me non aliter per-
tinebit, quaſi tradita mihi à procuratore fuerit, l. res ex
mandatu 59 D. de adquir. rer.domin. Si vero res meo no-
mine tradita fuerit, id eſt, hac mente, vt mea efficere-
tur; ſed mandatum *in eam rem*, non interuenerit, an-
tea mea non efficietur, quàm ratihabitio fuerit ſequuta

 l. ſi

l. ſi ego 24. D. de negot. geſt. qua diſtinctione iura hæc, quæ alioqui pugnare inter ſe viderentur, conciliant Giphanius ad tit. de adquir. rerum dominio in dict. l. ſi procurator, Cuiacius lib. 24. Paul. ad edict. in dict. leg. ſi ego, Antonius Fab. de erroribus. pragmat. decad. 47. error. 3. num. 9.

4 In eo etiam, & ſeruus, & procurator æquali iure cenſentur, quod tam vnus, quam alter ita demum nobis poſſeſſionem adquirunt, ſi eo animo ſint, vt velint nobis adquirere: ideòque ſi vel ſibi, vel Titio adquiſituri, rem nacti fuerint, non erit nobis adquiſita poſſeſſio. vt in noſtris §§. ſcriptum eſt, & in l. per ſeruum 37. §. fin. D. de adquir. rer. domin.

5 Verùm enimuero aduerſo pugnare Marte videtur Vlpianus, in l. qui mihi 13. D. de donation. Docet enim, quòd ſi ſeruus, vel procurator rem ſibi meo nomine traditam ea mente acceperit quaſi ſibi, vel Titio adquiſiturus, nihil eum in ſua, vel in Titij perſona agere, ſed mihi adquirere. Accurſius, & Doctores in dict. leg. per ſeruum, §. fin. ita hunc diſſenſum interpretantur, vt verba illa, *nihil agitur*, in dict. § fin. appoſita, non abſolutè intelligenda exiſtiment, ſed ſecundum intentionem, vel mentem ſerui, vel procuratoris; vt nihil in illorum perſonis, quibus adquirere volebat, agatur, ſed mihi potius adquirat, vt ab Vlpiano ſcriptum retulimus, in dict. leg. qui mihi, quam interpretationem ſequuntur Cuiacius lib. 44. Digeſtor. Iuliani, in dict. leg. per ſeruum, §. fina. Giphanius ad titul. Digeſt. de donatio. in dict. leg qui mihi.

6 Sed Interpretes, dum Iulianum Vlpiano conciliare nituntur, & noſtrorum iurium deciſſioni, & rationi iuris vtrumque aduerſarium conſtituere videntur: cum ſecundum eorum ſententiam etiam, vbi ſerui, vel procuratoris voluntas contraria eſt, domino tamen adquiratur. Quod cum illi vidiſſent, adquiſitionem dominij, ab adquiſitione poſſeſſionis ſepararunt, ita vt dominium ex tradentis voluntа-

luntate adquiratur, non attenta mente ſerui, vel procuratoris: poſſeſsio autem non niſi ſecundum eorum voluntatem; atque ita Iuris Conſultorum reſponſa, in dict. leg. qui mihi, & in dict. l. per ſeruum, §. fin. in adquiſitione dominij; noſtra autem iura in §. hæc, quæ de ſeruis,& §.per procuratorem, in poſſeſsione intelligenda docuerunt Cumanus, Alexander, & Iaſo. in hoc §. per procuratorem, Duaren. ibidem, Cuiacius, in d.l.1. C. de adquir. poſſeſ.

Cum tamen in dict. leg. qui mihi, & in dict. leg. per ſeruum, §. fin. idem, quod in ſeruo, etiam in procuratore traditum inueniamus, vt non Titio, vel ſibi ſecundum ipſius voluntatem, ſed contra eam domino adquirat, & procurator non poſsit adquirere dominium, niſi per poſſeſsionem, l.9. §. vlt. D. de adquirend. rer. dominio, dicendum videtur, etiam in adquiſitione poſſeſsionis ſerui, vel procuratoris voluntatem non attendi. Qua ratione inducti aliquando exiſtimabamus, Vlpianum li. 7. diſputationum contra Iulianum, diſputaſſe illiuſque, rei veſtigium remanere, in dict. leg. qui mihi; vt ſcripſimus latius, Epiſtolicar. exercitatio. ad Antonium Fab. lib. epiſtol. 5. exercitatio. 9. Nunc autem reſponderi poſſe exiſtimamus, quoties ego iubeo procuratori meo rem tradi, & præſens ſum, eum, licet ſibi, vel alij adquirere velit, nihil agere in ſua, vel alterius perſona, ſed mihi adquirere, & poſſeſsionem, & dominium: quia cùm ego præſens ſim, non illi, ſed mihi tradita res videtur, §. ſi iuſſerim infra l. donationes, 31. §.1. D. de donatio. l. quod ſtatu liber. 41. in fin.D. de donatio. cauſ. mort. l. ſi procuratori 79. D. de verbor. oblig. ideoque non illius voluntas, ſed meus, & tradentis animus attenditur; atque ita accipienda eſſe I. C. reſponſa in d.l. qui mihi, & in d. §. fin. Elegans enim hæc differentia eſt inter poſſeſsionem per procuratorem, vel ſeruum adquirendam, abſente domino; & eam, quæ illo præſente, & iubente illis tradita eſt: quod altero caſu per procuratorem adquiritur poſſeſſio; altero per propriam perſonam, mediante illo actu

7 (margin, beside "Cum tamen in dict. leg. qui mihi")
8 (margin, beside "epiſtol. 5. exercitatio. 9. Nunc autem reſponderi poſ-")
9 (margin, beside "§. fin. Elegans enim hæc differentia")

ficto; vt ex §. ſequenti colligitur, & ingenioſè obſeruauit Antonius Fab. de error. pragmat.decad. 75. error.9.Ideoque illo caſu eorum animus ſpectatur, hoc non item, cum ex domini voluntate, & animo pendeat adquiſitio.

CAP. XIV.

Quibus caſibus ad poſſeſſionis adquiſitionem, rei præſentia requiratur, ad §. ſi iuſſerim.

1 CVM poſſeſſio facti ſit, & naturali apprehenſione adquiratur, (vt ſupra latè dictum eſt,) licet propter commercij, & negotiorum facilitatem plures modi ficti, quibus poſſeſſio quæratur, recepti fuerint: in omnibus tamen præſentiam ipſius rei, cuius poſſeſſionem nanciſci volumus, interuenire neceſſarium eſt, l. clauibus 74. D. de contrah. emption. l. quod meo 18. §. ſi venditorem, infra hoc tit. l.qua ratione 9. §. item ſi quis, D.de adquirendo rerum domin. l. eius rei 46. iuncta l.ſequent. D. de rei vindicatione, l. quædam mulier 77. D. eodem, l. abſenti 10. D. de donation. l. 7. tit. 30. partita 3. Doctores hic, Anton. Gom. in l.45. Taur. num.61. l.ſi pecuniam
2 D. de ſolutionibus. Nam cum fictio non aliter induci ſoleat quam ſi per naturam, & ius id fieri poſſit quod fictione efficiatur, l.ſi is cuius 14. in fin. iuncta l. præcedenti,D. de interrogat. in iur. faciend. l. filio 23. D. de liber. & poſth. l. vlt. C. de ſentent.paſſis,§.maiorem Inſtit.de adoptionibus, non aliter facta apprehenſio interueniſſe præſuponitur, quam ſi vera interuenire potuiſſet. Vnde fictionem quam vocant breuis manus, de qua in leg. ſingularia, D. ſi certum petatur, l. 3. §. ſi quis, D. de donationibus inter. non aliter locum habere, quam inter præſentes, verius eſt vt ex hoc §. apparet, & ex l. falſus 43. §. ſi is

ſi is qui, D. de furt. licet Bartol. in dict. leg. ſingularia, verſiculo ſumus expediti, 2. column. contrarium exiſtimet. Similiter licet nouatio, cum nouationis vim obtinet, ad moram purgandam rem præſentem non exigat, leg. 3
parui refert 17. D. de condictione furtiu. Cum tamen inefficax nouatio eſt; vt oblationis iure moram purget præſentiam rei flagitat, l. qui decem 71. §. cum Stichum, D. de ſolutionibus, l. quoties 14. §. 1. l. ſi rem 31. D. de nouationibus, l. eum qui 56. §. vlt. D. de verb. oblig. quia, & in oblatione veram præſentiam rei exigeremus, l. qui 10. §. idem reſpondit, D. de ſolutionibus.

Rectè itaque in noſtro textu docet Paulus ſi iuſſerim 4
venditorem procuratori meo rem tradere, vel debitorem nummos alij tradere, mihi, & rem, & nummos traditos videri. Nam quod ab alio me præſente meo nomine datur, propè eſt vt à me ipſo datum intelligatur, l. quod ſtatu liber. 41. D. de donat. cauſ. mort. leg. donationes 31. §. 1. D. de donation. & quod me præſente meo nomine fit, à me factum videtur. Nec enim ſemper neceſſe eſt corpore, & actu rem apprehendere, ſed ſufficit oculis, & affectu. Ideòque licet per procuratorem domino actio non adquiratur ſine ceſſione, l. poſſeſſio 49. §. fin. infra hoc tit. id tamen neceſſarium non eſt, ſi dominus ipſe præſens fuerit, l. ſi procuratori 79. D. de verb. oblig. vbi Bartol. Immola, Alexand. Caſtrenſ. Iaſon, & Alciatus, idem Iaſ. & Zaſius hîc. Deinde ex noſtro §. & hac doctrina inferunt Do- 5
ctores, quod ſi vnus ex teſtibus deponat pecuniam me Titio numeraſſe, alter verò præſente Titio me Seio numeraſſe, non eſſe eos contrarios ſed concordes, Iaſ. hic num. 5. Zaſius num. 9.

Nec his aduerſantur plurimi iuris loci, in quibus 6
ſine traditione & præſentia, proprietas, & poſſeſſio rei transfertur, l. ſed, & ſi res 7. §. 1. l. ſiue autem 9. §. 1. D. de Publiciana, leg. certi condictio. 9. §. vltimo, D. de rebus credit. l. ſi rem 62. in princip. D. de euictionibus, l. ſi ſeruus 21. in fine, l. qua ratione 9. § interdum, D. de

adquirendo rerum domin. §. interdum, Inſtit. de rerum diuiſſione. Quibus motus Iacobus Cuiac. lib. 4. obſeru. cap. 3. exiſtimat præſentiam rei non eſſe neceſſariam, cōtra textum in d. l. hæc ſi præſens, & rationem iuris ſupra traditam.

7 Verùm diſtinctione illa, hanc diſcordiam componendam exiſtimamus, quam tetigiſſe videntur Dynus in cap. pro poſſeſſore de Regul. iur. Bartol. in leg. certi condictio. 9. §. vltimo, & plenius explicauit Anton. Faber de erroribus pragmatic. decad. 75. error. 6. Nam ſi aliqua traditio, ſiue vera, ſiue ficta à domino facta non præceſſit, neceſſaria eſt præſentia rei, non ſolum ad translationem dominij, ſed etiam ad translationem poſſeſſionis, dict. leg. eius 46. & ſequit. D. de rei vindicatione, l. clauibus 74. D. de contrah. emptione, hoc §. ſi iuſſerim, l. quod meo
8 18. §. ſi per venditorem, infra hoc tit. Quod ſi aliqua traditio, vel vera, vel ficta præceſſit, ſiue naturalem tantum detentionem, ſiue veram poſſeſſionem tranſtulerit, & quāuis in aliam cauſam vel contractum facta ſit, quam in eum de quo agitur, ſufficit nuda voluntas ſine aliqua traditione, vt ex nouo contractu, noua poſſeſſio, & per eam dominium transferatur, dict. leg. qua ratione 9. §. interdum, §. interdum Inſtit. de rer. diuiſſione, dicta leg. certi condictio. 9. §. vltim. D. de reb. cred. dict. l. ſed & ſi res. 7. §. 1. D. de publicia. cum ſupra citatis, l. 47. in principio, tit. 28. part. 3. Bart. Alber. Angel. Paul. & communiter Doctores in d. l. certi condictio. §. vlt. Alberic. & Angel. in d. leg. hæc ſi res præſens, Anton. Gomez in l. 45. Tauri num. 69.

9 Quod procedere, cenſemus etiam ſi præcedens poſſeſſio non habeatur à vero domino, per textum in l. non ſolum 33. §. quod vulgò, D. de vſucapionibus, vbi Bart. Paul. & communiter Doctores, quos refert Gomez in d. l. 45. num. 71. verſic. item adde; licet contrarium ſentiat Anton. Faber dicta decad. 75. error. 6.

10 Ex quibus deducit Anton. Fab. dictâ decad. 75. error. 1. & 6. & per totam, non valere conſtitutum rei abſentis, nec

nec ex eo transferri poſſeſſionem. Sed contraria ſententia vſu, & praxi recepta eſt, & communi Doctorum calculo comprobata, vt conſtat ex Bartol. in l.quod meo 2. colum. Alexand. 4. colum. Cumanus, Caſtrenſ. Hoſtienſis, Ioan. Andreas. Abbas in cap.fin. de præcar. quam defendit Anton. Gomez vbi ſupra num.79.

Denique notandum, per hos actus fictos non poſſe procuratorem, vel tutorem transferre poſſeſſionem, vel adquirere, quia ipſi non poſſident, vt ex doctrina Bartol. & Doctorum hic conſtat, & tenet Anton. Gomez in dicta l. 45. num.53. & 88. 11

CAP. XV.

Poſſeſſionem adquirere, an vniuerſitas collegium, vel municipes poſſint. Ad § municipes vltim. & l. 2. hoc titulo.

CVm municipium, ciuitas, vel vniuerſitas ſit nomen iuris, & corpus quoddam, vel perſona, l. 1. §. quibus, l.ſicut, §.final, D. quod cuiuſque vniuerſ. l. an vſusfructus, 56. D. de vſufruct. ſtricto iure poſſidere non poteſt, & ideò forum, aut baſilicam cæteraque loca publica non poſſidet, ſed promiſcue his vtitur: quia ad poſſeſſionem animus, & conſenſus requiritur, l. 3. §. in amittenda, l. quemadmodum 8. hoc titulo: municipes autem vel ciues, aut ciuitas vni conſentire non poſſunt, vt Paulus hîc docet vnde & Vlpianus in fragment. titulo, qui heredes inſtitui poſſint, ſcribit neque municipia, neque municipes heredes inſtitui poſſe: quia vniuerſi cernere hereditatem non poſſunt. Ideòque nec de dolo tenentur, quia dolo facere non poſſunt, l. ſed ex dolo 15. §. 1. D. de dolo. Vtilitatis tamen cauſa cum plurima circa poſſeſſionem, & vſucapionem recepta ſint, l. peregre 44. §. quæſitum infra hoc titulo, l. iuſto 44. §. nondum, D. de vſucapion. l. 1. C. hoc titulo, l. per procuratorem, eodem 1 2

etiam

etiam illud receptum conſtat, vt & poſſidere, & vſucapere municipes poſſint, idque eis, & per ſeruum, & per liberam perſonam adquiratur, l. 2. hoc titulo, non ſolum ex peculiari cauſa, vt Nerua ſentiebat, ſed etiam extra peculiarem, vt conſtat ex lege ſiue autem 9. §. vltimo cum leg. ſeq. D. de publicia. nec enim Publiciana, niſi fuiſſet
3 poſſeſſio adquiſita, competeret. Ex quo textu eleganter apparet hoc iure fuiſſe ſingulari receptum, cum hereditarius, & municipum ſeruus coniungantur. Nec ad rem facit quod ſeruum non poſſideant; cum poſſeſſio non ſemper ratione poſſeſſionis adquiratur, vt conſtat ex filio familias, procuratore, & ſeruo à nemine poſſeſſo, l. 4. l. ſi me in vacuam 34. §. vltimo, infra hoc titulo. Præſertim cum & eodem ſingulari iure poſſeſſionem ſerui municipes habeant.

4 Eadem etiam cauſa dubitatum eſt, an conditio hæc ſi iuraſſent municipibus iuncta, impoſſibilis eſſet in leg. municipibus 97. D. de conditionibus & demonſtrat. quia vniuerſi non poterant iurare: ſimiliterque an illis bonorum poſſeſſio præſtari, l. vnica, D. de libertat. vniuerſitat. aut hereditas ex Trebelliano reſtitui poſſit. In quibus omnibus receptum, & eos iurare poſſe per actores ſuos, vel ſeruos, dict. l. municipibus 97. & illis bonorum poſſeſſionem præſtari, vel hereditatem reſtitui debere, l. omnibus 26. D. ad Senatuſconſultum Trebellian. l. vnica, D. de
5 libert. vniuerſitat. Illud tamen obiter aduertendum eſt circa explicationem textus in dict. l. municipibus, in ea non caueri conditionem iuriſiurandi permiſſam eſſe, quod cum iuris regulis pugnaret, l. hæc ſcriptura 26. D. de conditionib. & demonſtrationib. l. quæ ſub conditione 8. D. de conditionibus inſtitut. ſed cum dubitari poſſit, an tanquam impoſſibilis pro non ſcripta haberetur, docet Conſultus non eſſe impoſſibilem, cum per actorem municipum impleri poſſit: non tamen affirmat implendam niſi eo modo quo iure ſtatutum eſt, d. l. quæ ſub conditione 8. §. quoties.

6 Ex quibus deſcendit vniuerſitatem, vel ciuitatem non

poſſe

poſſe propriè, & verè delinquere: quia delictum requirit propriam perſonam, & conſenſum, dict. l. ſi ex dolo, §. 1. ſed tamen impropriè per rectores, & gubernatores eius rectè poteſt, l. metum 9. § animaduertendum, D. de eo quod met. cauſ. quia factum à conſilio, vel rectoribus cenſetur à ciuitate factum, l. nulli, D. quod cuiuſque vniuerſ. l. quod maior, D. ad municipalem, facit authentica caſſa, C. de ſacroſanctis Eccleſijs, authent. nulla communitas, C. de Epiſcopis. Ita demum autem tanquam ciuitas, vel vniuerſitas deliquit ſi certo propoſito, & deliberato conſilio fecit, aut iuſſit fieri, aliàs vero non ipſa ciuitas, ſed ſingulares perſonæ deliquiſſe videntur, l. ſemper, §. in ſepulchro, D. quod vi, aut clam, vbi Bart. & Angel. idem Bartol. in l. aut facta §. final. D. de pœnis, Paulus de Caſtro in l. ſi quis id quod D. de iuriſdictione, Angel Albericus, & alij in d. l. metum 9. & plures quos refert Anton. Gomez tom. 3. cap. 1. num. 52. Godofredus à Bauo in practica, §. homicida num. 72.

Vnde eſt, vt circa ciuitatis punitionem diſtinguendum ſit, & ſi pœna ſit pecuniaria rectè ei poſſit imponi, l. 1. 7 §. final. D. quod cuiuſque vniuerſ. ſi vero corporalis pœna ſit ex delicto irroganda, & flagitium fuerit atrociſſimum in quo vnus poteſt pro alio puniri vt læſæ maieſtatis crimen diuinæ, aut humanæ, l. quiſquis, §. filij, D. ad legem Iuliam maieſt. cap. ſtatutum de hereticis lib. 6. cap. fœlicis de pœnis, ipſa criminaliter poteſt puniri dirutionis, vel ſubuerſionis ſupplicio, quamuis innocentes ciuitate carituti ſint, quia dirutio eſt mors ciuitatis, l. vſusfructus ciuitati, D. quibus mod. vſusfruct.

Quod ſi delictum ſimplex ſit, & commune, cum pœna mortis in eam veluti res inanimata non cadat, l. mor- 8 tuo 22. D. de fideiuſſoribus, & innocentes non debeant pro nocentibus puniri, alterabitur pœna, & in arbitrariam commutabitur, Bartol. in dict. leg. aut facta, §. final. Angelus conſilio 165. non tamen ideò quia ciuitas puniatur, & ipſius Rectores, & ciues immunes ſunt à ſupplicio; ſinguli enim pro modo flagitij condemnati, & pu-

niri debent, l. non ſolum, §. ſi mandato, D. de iniurijs, l. hæc verba, D. ad leg. Iuliam de adulterijs, l. 1. §. incidit, D. ad Turpillianum, l. non ideò minus, C. de accuſationibus, Bart. in d.l. aut facta, Caſtrenſ. in d.l. ſicut, & alij quos refert Anton. Gomez dicto tom. 3. cap. 1. num. 54. An verò in omnes animaduertendum ſit, an ſolum in auctores ſceleris, an ſortitione inter eos qui deliquerunt vtendum diſtinguit Hotmanus. & de vtriuſque generis pœnis exempla adducit quæſt. illuſtr. quæſt. 42. exiſtimans, ſi conſilio, & iuſſu magiſtratum, in eos ſolum animaduerti debere; ſi verò ipſius multitudinis impetu delictum fuerit patratum, ex regula l. penult. D. de pœnis, pœnam molliendã, & non de omnibus ſupplicium ſumendum: ſed ſortitione vel decimatione vindicandum. Quod ſi & imperio magiſtratum, & multitudinis vel ciuium conſenſu peccatum eſt de ipſa vniuerſitate ſupplicium ſumendum, dum pro modo delicti, & multitudine delinquentium pœna temperetur, vel legibus, priuilegijs, immunitatibus, aut iuriſdictione priuetur, vel denique ſubuertatur: latè Iulius Clarus in praxi criminal. quæſt. 16. num. 6. & ſequentib. Tiraquel. de pœn. temp. cauſ. 47. num. 1. & ſequent. Farinac. in pract. crimin. 3. tom. lib. 3. quæſt. 96. num. 1. & ſeq.

DE

DE FICTIONIBVS HEREDITATIS, POSTLIMINII, ET legis Corneliæ, & vtrum ad poſſeſſionis vel vſucapionis continuationem proficiant Tractatus Tertius.

Ad explicationem Iuriſconſulti Pauli reſponſi in l. ſi is, qui pro emptore 15. D. de vſucapionibus.

DIfficile Iuriſconſulti Pauli reſponſum in l. ſi is, qui pro emptore, D. de vſucapionibus explicãdum ſuſcepere Bartol. Paul. de Caſtro, Iaſon, & Alciatus in eadem lege, Connanus lib. 3. comment. cap. 14. Duarenus ad tit. D. de vſucap. c. 8. Hotmanus lib. 1. amicabiliũ quæſtionum cap. 27. Forcatulus dialogo 76. & ſequentibus, Angel. Matheacius de via & ratione iuris lib. 1. cap. 20. num. 13. Cuiacius ad tit. D. de vſucap. in d. l. Anton. Faber in Iuriſprudentia Papinianea lib. 1. tit. 11. principio 8. illatione 28. Poſt tot igitur Doctorum virorum ſcripta, ſuperfluus noſter labor videri poſſit; nam ſi tantum ab illis dicta repetamus, operis, & temporis iacturam facere non immeritò videbimur, cum ſatius multò fuerit ad ipſorum commentaria remittere, quam diligentia inutiliter abuti noſtra. Si tamen non prius dicta, & meliora promittimus iactantiæ culpam ſubire periculum eſt, cum inter tot breuia,

uia, & ſcopulos portum tenere ſperemus, vbi peritiſſimos magiſtros, aut nauem fregiſſe, aut fluctibus iactatos conſpicimus. Sed tamen dum facili methodo quæ prius ab alijs dicta fuerunt diſponam, ſuperflui, & innanis laboris notam effugiam: dum autem quæ nouiter à me excogitata propoſuero, veris & ſolidis iuris rationibus inniti demonſtrem, ab audaciæ crimine facile me vindicabo.

Verum cum Iuriſconſulti Pauli ſententia, & Marcelli contra Iulianum diſputatio in ipſiſmet iuris adytis ſint reconditæ Themidis nobis penetralia, & iuris ſunt myſteria reſeranda.

CAP. I.

Quid ſit fictio, & in quo à præſumptione differat.

3 QVæ vt ſuo ordine procedant primo loco quid fictio ſit videamus, eſt autem, vt Bartolus in præſenti num. 21. ſcribit, *in re certa, eius quod eſt poſſibile, contra veritatem, pro veritate à iure ficta aſſumptio*, vel expeditius ex ſententia Alciati in tractatu de præſumptionibus in præludijs prima parte num. 2. Menochij de præſumptionibus lib. 1. cap. 8. & Antonij Fabri lib. 19. cõiect. cap. 18. & de erroribus pragmat. dec. 3. error. 1. num. 9. *Fictio eſt iuris, in re poſſibile contra veritatem, ex iuſta, & neceſſaria cauſa vtilis conſtitutio*; diximus *iuris conſtitutio*, id eſt, Ciuilis iuris vel gentium, naturale enim fictiones non agnoſcũt, l. contractus 54. D. de obligationibus, & actionibus, l. frater à fratre 38. D. de condictione indebiti, vbi ſi vnionis inter patrem & filium, fictio ad naturalem obligationẽ patri adquirẽdam valuiſſet, eo ipſo inſtanti naturalis obligatio, & ortum, & finem accepiſſet, nec ab Africano potuiſſet Conſiderari, l. ſi quod dominus 64. D. de condictione indebiti, d. l. frater à fratre, §. contra, in quibus iuribus inter patrem, & filium, dominũ & ſeruum naturalis obligatio, ſecluſa omni iuris fictione, conſiſtit; tradunt Hot-

manus

manus in diſputatione ad d. lfrater à fratre, Anton. Faber lib. 20. coniect. cap. vlt. Schifordigerius ad Antonium Fabium lib. 3. tract. 5 quæſt. 4. Oſualdus in Donellum lib. 14. cap. 19. in notis lit. A. *In re poſsibili*; ſemper enim fictio 2
naturam, & veritatem imitatur, l. pater familias, §. vltimo, cum lege ſequenti. D. de adoptionibus: Ideòque Papinianus adoptionis fictionem, imaginem naturæ appellauit in l. filio quem 23. D. de liberis, & poſthumis, Bartol. in præſenti num. 22. ſemperque debet eſſe de poſſibili, licet ſit de falſo, l. confeſſionibus 13. in principio iuncta l. ſequẽti, §. vltimo, D. de interrogationibus, Antonius Faber de erroribus pragmaticorum decade 30. errore 2. num. 16. *Contra veritatem*, imaginarium enim aliquid aut fictum tũc eſt, cum fides facti ſimulatur non intercedente veritate, vt eleganter Modeſtinus in d. l. contractus 54. docet: ideòque fictiones nihil aliud eſſe quam mendacia ſcribunt Anton. Faber lib. 20. coniectur. cap. 16. Ioannes Altuſius lib. 1. Iuriſprudent. cap. 1. fingitur enim ſemper id quod non fuiſſe, verum, & indubitatum eſt.

Ex quo apparet, quantum inter præſumptionem, & fi- 3
ctionem interſit: *Præſumptio enim nihil aliud eſt, quam coniectura, ſeu diuinatio in rebus dubijs, collecta per rerum circunſtantias ex argumentis, vel iudicijs frequenter euenientibus*, vt Oldendorpius in topicis, tractatu de præſumptione, vel vt Cuiac. ad rubricam de probationibus, & præſumptionibus ſcribit: *Præſumptio eſt anticipatio quædam, de eo quod in re eſt, communi ſenſu percepta, ex eo quod plerumque intelligitur, quodque plerumque fit, quæ probationem omnem in eum transfert contra quem facit.* Fictio itaque in re certa veritatẽ 4
vel, fidem facti, d. l. contractus 54. præſumptio in re dubia ex coniecturis probationem ſupplet. Illa nunquam cum veritate: hæc plerumque concurrit Gloſſa in l. vnica, §. accedit, C. de rei vxoriæ actione, Alexand. conſilio 178. num. 7. Iaſo. in præſenti num. 168. Euerardus in centuria legali loco à fictione: nam vt eleganter Cuiac. ad titulum de eo quod metus cauſa in l. finali, *fingimus ea quæ non eſſe ſcimus; præſumimus ea quæ eſſe arbitramur, ductis probabilibus argu-*

men-

mentis. De præſumptionibus, & earum ſpeciebus, latè tractant Menochius, Alciatus, & Oldendorpius in tractatibus de hac materia Petrus Gregorius lib.48.ſintagmat.cap.11, Donellus lib.25. comment. cap. 3.

5 Poſtrema illa noſtræ diffinitionis verba, *ex iuſta & neceſſaria cauſa,* originem fictionum exprimunt, cum vt ſupra dicebamus, fictiones nihil aliud ſint quam commenta, aut mendacia: ius autem fidem, & veritatem, maxima humani animi bona, amplectatur, l. 1. D. de pactis, l. 1. D. de conſtituta pecunia: à mendacijs autem, & commentis maximè abhorreat, l. vltima, D. de rei vendicatione, nouella 18. de triente, & ſemiſſe cap. 10. §. illud quoque, Petrus Gregorius lib. 39. ſintagmata cap. 15. Anton. Faber Iuriſprudentiæ Papinianæ, titulo 4. principio 5. non aliter fictiones induxit quam vrgente neceſſitate, & æquitate ſuadente Anton. Faber lib. 19. coniect. cap. 16. & de erroribus pragmat. decade 3. errore 1. num. 9. Quoties enim æquitas, & vtilitas aliquid à iure ciuili conſtitui deſiderabāt, quod non aliter cæteris iuris principijs poterat eſſe conſonum, quam ſi factum aliquod intercceſsiſſet, non intercedente veritate, ius ciuile factum ſimulauit, d. l. contractus 54. D. de oblig. & action. perindeque obſeruari voluit, ac ſi verè, & naturaliter, id quod non euenit, contigiſſet. Sed exemplis quibuſdam præcipuarum iuris fictionum, quæ ad noſtrū hunc tractatum pertineant, propoſitis, omnia hæc quæ in diffinitione tradidimus, & clariora reddentur, & illuſtriora; ſimulque ad plurimas, & difficiles iuris quæſtiones patebit aditus.

CAP. II.

De fictione hereditatis, & illius cauſa, & effectibus.

1 CVM poſt mortem cuiuslibet, res omnes ab eo dum viueret adquiſitæ in nullius eſſent futuræ dominio, l. 1. §. 1. D. de rerum diuiſione, l. 3. in principio, D. de peculio, l. denique 13. §. quæſitum, D. quod vi aut clam: quia

quia nihil eſſe, eius qui nullus eſt, rerum natura dictabat, & conſequenter occupanti poſſent adquiri, l. 3. D. de adquir. rer. dom. §. feræ Inſt. de rerum diuiſione. Nec enim de illis viuens adhuc diſponere poterat, cum diſpoſitio in tempus inhabile, poſt mortem ſcilicet, conferretur, argumento l. quod ſponſæ 4. & ibi notatis, C. de donationibus ante nuptias, iuncta authentica ingreſſi, C. de ſacroſanctis Eccleſijs: eſſet autem iniquum, & Reipub. perniciosum, ſi ad res alieno ſudore partas, quilibet quantumuis defuncto extraneus, vel etiam inimicus occupationis iure eſſet admittendus. Quis enim adquirere, quis parta tueri curaret? Si nec moriens filijs bona relinquere, nec de illis poſſet pro arbitrio diſponere? *Stultum enim fuerit ac ſuperuacuum,* vt Senec. epiſt. 103. ſcribit, *vltra extremum diem curam tranſmittere, ſi cadunt bona noſtra nobiſcum: quia nihil ſit eius qui nullus eſt.* Præſertim cum occupationis iure in defuncti rebus, tanquam in nullius admiſſo, maximis diſcordijs ſocietas turbaretur humana, quam vt illæſam trãquillamque conſeruarent, diſtinctionem dominiorum naturalis ratio, & ius gentium induxerant, l. ex hoc iure 5. D. de iuſt. & iur. Morientis namque domum validiores per vim ingrederentur, filijſque, & domeſticis poſſeſſione expulſis, lectum infirmi circunſiſterent, lateri adhærerent, vt eo animam exhalante primi bona occupare poſſent, cædeſque, & vulnera vtrinque, & plerumque bella orirentur, quod quã triſte morienti quam filijs eius luctuoſum, quam eſſet Reipublicæ exitiabili nulli non patet. 2

3 Hac igitur tam æquitatis quàm vtilitatis publicæ ratione, liberum ſupremæ voluntatis arbitrium concedendum fore ſuadente, ſuperiore autem iuris naturalis principio diſpoſitioni obſtante, neceſſario & vtiliter ius ciuile fictionem induxit, qua efficeretur, vt res poſt mortem defuncti non in nullius, ſed in ipſius proprio dominio eſſe viderentur; continuata per hereditatem, in heredem, perſona defuncti, l. heres & hereditas 22. D. de vſucapionibus, finxit enim hereditatis quandam perſonam fictam, & imaginariam, quæ ſine vllo corpore, aut vera exiſtentia, iure 4

tamen eſſe intelligitur, l.hereditas 50. de petitione hereditatis, omniaque iura defuncti in quæ ſucceſſit continet, l. nihil eſt aliud 24.D. de verb.ſignifi. l.hereditas 62.D.de regulis iuris,perſonamque defuncti ſuſtinet,& pro domina habetur, l. non minus 31.§.1.D.de heredibus Inſt. l. liber homo 13. §.ſi ſeruus hereditarius, D.ad legem Aquiliam, l.ſi ante aditam 15.D.de interrogationibus,l.legatum 116. §. ſeruo, D. de leg. prima,l.hereditas 34.D.de adquirendo rerum dominio, lege noſtra, ibi: *Nam hereditatem in quibuſdam vice perſonæ fungi receptum eſt*, l. mortuo 22. D. de fideiuſſoribus, l.nouatio 24.in fine,D.de nouationibus,docent Bart. Iaſo. & cæteri Doctores ad rubricam, D. de adquir. hereditate, Donel. lib. 6. comment. cap. 2. Cuiac. lib. 5. quæſt. Papiniani in d. l. hereditas 50. D. de petitione hered. Anton. Faber Iuriſprudentiæ Papinianæ tit. 2. princ. 5. illatione 3. & de erroribus pragmaticorum decade 27. errore 1. doctiſſimus Antonius Pichardus eleganter, & dilucide, vt ſolet in commentarijs ad Inſtitutiones num.13. & duobus ſequentibus, Bronchorſt enantiophanon cent.
5 4. aſſertione 12. Herede autem, poſtea quandoque adeũte cum per aditionem omne id quod hereditatis fuerat,in heredem transfundatur, l.1.§.Scæuola, D.ſi is qui teſtamento liber eſſe iuſſus eſt, fictione hereditatis (vtpote iam ſuperflua) euacuata ſublataque,retro heres ab inſtanti mortis teſtatoris ſucceſſiſſe creditur, perſonamque eius, & dominium ſine interruptione continuaſſe videtur, l.heres 54. D. de adquirenda hereditate, l. ſi ex re 28.§.vltimo,D. de ſtipulatione ſeruorum, l.omnis 138, l.omnia 193. D.de regulis iuris, authentico de iure iurando à moriente præſtito in principio, l.prima, titulo 3. partita 6. & ibi Greg. gloſſa 2. tradunt Bart.& Doctores in d. l. heres 54. de adquirenda hereditate, Duaren. ad eundem titulum cap. 6. Donel. lib.7. comment. cap.10.Antonius Faber lib.8.coniect. cap.19.& de errorib. pragmat. decade 27.errore 1. n. 6. & ſequentibus, & in Iuriſprudentia Papinianea loco ſupra citato, & in rationalibus in l. ait Prætor 3. §. hæc verba, D. de negotijs geſtis.

Ex

Ex hoc principio fit, vt viuentis non ſit hereditas, cum 6
non antea perſona hæc ficta inducatur, quã mortuus fuerit is cuius perſonam actura eſt. Vnde rectè docet Pomponius in l.1. D. de hereditate. vel actione vendita, perinde in rerum natura non eſſe viuentis hereditatem, ac nullius, ideòque non minus inutilem eſſe venditionem. Si quis Titij viuentis hereditatem vendiderit, quam ſi alicuius hominis, qui nunquam fuerit, cuiuſque ipſe nomen mentitus eſt, in emptionem deducat hereditatem. Qua ratione etiam effectum eſt, vt nemo pro herede gerere poſſit, viuo eo in cuius bonis gerendum ſit, nec valeat mandatum de viuentis hereditate adeunda, l. neminem 27. l. ſi quis mihi bona 25. §. an nominatim, D. de adquir. hereditate, ſicuti nec qui ſuperſtitis bona repudiat, poſt mortem eius adire prohibetur hereditatem, l. qui ſuperſtitis 94. D. de adquirenda hereditate.

Nec obſtat quod futuræ res & quæ, licet nunc non ſint, 7
eſſe tamen ſperantur, vendi, pignorari legari, promittique poſſunt; veluti fructus, & partus futuri, item captus piſcium vel auium, l. nec emptio 8. l. ſi in emptione 34. § liberum, D. de contrahenda emptione, l. & quæ nondum 15. D. de pignoribus, l. quod in rerum 24. D. de legatis 1. l. etiam 17. D. de legatis 3. l. cum illud 25. §. 1. D. quando dies legat. cedat. l. interdum 73. l. inter ſtipulantem 83. §. ſacram, D. de verbor. obligat. Nam in his omnibus ſpeciebus tacitè ea conditio ineſt, quæ ſi exprimatur, nihil aduerſus bonos mores contineat, veluti ſi naſcentur, ſi fuerint, l. 1. §. vltimo, D. de conditionibus, & demonſtrationibus, d. l. cum illud 25. §. 1. D. quando dies lega. cedat.

At in hereditatis venditione, vel alio contractu conditio, quæ ineſſe videtur contra bonos mores eſt; cum mortis ſpem, & votum contineat: nefas autem ſit huiuſmodi caſus expectare dict. l. ſi in emptione 34. §. liberum, D. de contrahenda emptione: *Aduerſamque fortunam ſperare hominis liberi, nec ciuile, nec naturale ſit*, dicta leg. inter ſtipulantem 83. §. ſacram, verſic. ſed hæc, D. de verborum obligationibus. 8

9 Ideòque donationem partis bonorum proximæ cognatæ viuentis nullam fuiſſe reſpondet Papinianus, eique qui donauit hereditatem, ideò actionem denegandam ſcribit: *quia contra bonos mores, & ius gentium feſtinaſſet*, l. donati 29. cum l. ſequenti, D. de donationibus, & generaliter omnia pacta, & contractus omnes de futura ſucceſſione: quia contra bonos mores ſunt legibus prohibentur, l. vlt. D. de ſuis & legitimis, l. quod bonis 15 §. 1. D. ad l. Falcidiam, l. pactum quod dotali 15. l. fin. C. de pactis, l. pactum 3. C. de collationibus, l. ſi quando 35. §. illud, C. de inofficioſo, l. neque nos, C. de captiuis, & poſtl. ſiue de ſuccedendo ſint, ſiue non ſuccedendo, hereditas enim non priuatis pactionibus, ſed legibus publicis deferenda eſt: quando autem, hæc pacta valeant; præſertim ſi iuramento firmentur ex c. quamuis pactum 2. de pactis in 6. tractant, & latè diſputant Corraſius 6. miſcelanearum cap. 9. Petrus Gregorius lib. 41. ſyntag. cap. 3. Fachineus lib. 5. controuerſ. cap. 84 & ſequenti, Harmanus Piſtor lib. 4. quæſt. 1. & ſequentibus, Donellus ad legem vltimam, C. de pactis, Anton. Faber de erroribus pragmat. dec. 12. errore 3. & decad. 13. & 14. paſſim, decad. 41. errore 5. Couar. in cap. quamuis pactum de pactis in 6. parte 3. relectionis, Vazquez lib. 2. de ſucceſſionum creatione §. 18. & lib. 3. controuerſiarum vſufrequentium cap. 43. & ſequentibus, Anton. Gomez in leg. 22. Tauri.

10 Secundo ex eodem illo principio deſcendit vt hereditati, & conſequenter futuro heredi, omne id per ſeruos hereditarios adquiratur, quod defuncto fuiſſet, ſi viueret, adquiſitum, l. hereditas 61. l. in eo 33. in principio, & in §. vltimo, D. de adquirendo rerum dominio, l. ſi ex re 28. §. illud, D. de ſtipulatione ſeru. princ. Inſt. eodem, exceptis his, *in quibus factum perſonæ, operaue ſubſtantia deſideratur*, ſcilicet hereditate, vſufructu, & poſſeſſione; deſiderat enim aditio domini factum iubentis, l. ſi quis mihi bona 25. §. iuſſum, D. de adquirenda heredit. hereditas autem iubere non poteſt, d. l. hereditas 61. exigit vſusfructus conſtitutio veram perſonam quæ vtatur fruatur, d. l. hereditas, l. vſuſ-

l.vſusfructus 26. D. de ſtipu'atione ſeru. hanc autem hereditas non habet,l.hereditas 50.D.de petitione hereditatis flagitat poſſeſſionis adquiſitio corpus adquirentis, & animum, l.3.§.in amittenda, l.quemadmodum 8. D. de adquirendæ poſſeſſione,l.1.§.Scæuola, D.ſi is qui teſtamento liber.quibus hereditas deſtituitur: ideòque nec hereditatem, nec vſumfructum, nec poſſeſſionem ſeruos hereditati adquirere Iuriſconſulti, in dict.l.hereditas 61. d. l. vſusfructus 26. d. l. 1. §. Scæuola, eleganter docent.

CAP. III.

Quibus caſibus pro hereditate habeatur caſtrenſe peculium: quibus autem ad patrem iure priſtino pertineat.

PEculium Caſtrenſe proprium filiorum eſſe, & in eo heredem, & ſucceſſorem habere poſſe ſi teſtamentum fecerint filij, & ex eo adita fuerit hereditas: ſi autem inteſtati deceſſerint peculium caſtrenſe ad parentes pertinere conſtat ex l. 1. & 2. l. proponebatur 9. D. de caſtrenſi pecul. l. filius familias 18. D. ad l. Falcid. adeò vt ſi heredes adierint, peculium caſtrenſe per aditionem hereditas efficiatur, & ad heredes pertineat,d.l.filius familias 18. l. ſi ſeruus communis 18. D. de ſtipulat. ſeru. ſi autem non fuerit hereditas adita, peculium ab inteſtato, non tanquam hereditas ad patrem perueniat, l. 2. D. de caſtrenſe peculio, ſed antiquo dominij iure tanquam ſi nō eſſet ab eo vnquam profectum, l. proponebatur 9. verſic. cum nihil, l.filius familias 14. §. 1. in fin. l. de hereditate 19. §. pater, D. de caſtr. peculio. 1

Ex quibus ſequitur, vt ſi filius familias teſtamentum fecerit, & medio tempore, dum heredes inſtituti deliberant de adeunda hereditate, ſeruus caſtrenſis peculij aliquid fuerit ſtipu'atus, vel ſi legatum ei relictum ſit, alioue modo acquiſierit, in pendenti illud eſſe debeat; vt ſi heredes inſtituti adierint hereditatem, ipſis acquiſitum videatur: 2

ſi autem repudiauerint, ad patrem in cuius dominio retro fuiſſe ſeruus cenſetur, pertinuiſſe dicamus, vt ſcriptum eſt ab Vlpiano in d. l. proponebatur 9. & à Triphonino, in d. l. de hereditate 19. §. quid autem, D. de caſtrenſi peculio: nam vt in hac eadem quæſtione Vlpianus reſpondet in l. in eo 31. D. de acquirend. rerum dominio: *Si adita ſit hereditas, omnia vt in hereditarie; ſi non ſit adita, vt in ſeruo patris ſunt obſeruanda.*

3 Sed Papinianus in d. l. filius familias 14. §. 1. D. de caſtren. pecul. heredibus adeuntibus illis acquiſitum per ſeruum legatum cenſeri affirmat: repudiantibus verò medio tempore quæſita ad patrem ex iuris ratione pertinere negat; quæ tamen illi benigna interpretatione concedit.

4 Verum in l. ſi ſeruus communis 28. D. de ſtipulat. ſeru. nullam in hoc caſu ſuſpenſi vel pendentis iuris fictionem admittit, & non ſolum patri, ſed nec heredibus filij, ſi poſtea hereditatem adierint, dominium retro acquiſitum aſſerit: cum ſi communis ſeruus Mæuij, & caſtrenſis peculij, aliquid medio illo tempore, dum deliberant inſtituti heredes, fuerit ſtipulatus, nullum in hac adquiſitione dominiũ, nullam partem, heredibus poſtea adeuntibus concedat, ſed inſolidum Mæuio acquiri reſpondeat: *quia ſolus eo tempore dominus inuenitur*, ex deciſione text. in l. ſi Eros 11. D. de optio. vel elect. legata, l. Plaucius 49. D. ad l. Falcid. l. verum 63. §. ſi ſeruo, D. pro ſocio. l. qui bona fide 23. §. vltimo, D. de adquir. rer. domin. l. ſi alienus 19. D. de ſtipulat. ſeruor.

5 Quod & Triphonius ſenſiſſe videtur in d. l. de hereditate, §. quid autem in fine: cum enim vtrunque caſum tractaſſet, & ex ſtricta iuris ratione ſeruum medio tempore patris fuiſſe negauerit, in vtroque tamẽ caſu fauorabiliorem eſſe contrariam ſententiam fatetur.

6 Hæc difficultas tanti eſt, vt doctiſſimus vir Iacobus Cuiacius lib. 27. quæſtionum Papinian. in d. l. ſi ſeruus communis hanc quæſtionem ſubtiliſſimam, & inter ipſos Conſultos controuerſam agnoſcat, & Anton. Faber ingenij acumine præſtantiſſimus Interpretum in Iuriſprudentia

Papinianea titulo 11. princ.6. illat.12. & 17. pugnaſſe prudentes in hac iuris parte fateatur,& etiam Triboniani manus incuſſet. Verum vt rem breuiter comprehendamus,duo caſus diſtinguendi ſunt. Primus eſt cum filius inteſtatus deceſſit nullo teſtamento, vel inutiliter facto: ſecundus vero, cum teſtamentum fecit, & heredes inſtituit. Primo caſu dubium non eſt peculium ad patrem iure priſtino pertinere, perinde ac ſi nũquam ab eo fuiſſet profectum. Ideòque libertates ſeruis caſtrenſi pecul ij, à patre etiam in vita filij præſtitas valere, d. l. proponebatur 9. d. l. de hereditate, §. pater; adeò vt etiam bona caſtrenſis peculij ad heredes patris pertineant, d. l. proponebatur.

Nec obſtat textus in d. l. de hereditate, §. quid autem, ibi: *Non eſt ergo ratio reſpondendi competere libertatem eo tempore datam, quo non fuit in dominio patris*: hæc enim verba ad eum caſum referenda ſunt, quo teſtamentum filius fecit, in quo dominium non poſſe fingi retrofuiſſe penes patrem, probauerat Conſultus in toto §. illius principio: nõ autem ad eum in quo filius ab inteſtato deceſſit, de quo iam reſponderat, in verſic. facilior, affirmans valere libertatem à patre datam; dum faciliorem deliberationem eſſe ſcribit.

Secundus caſus vel ſecunda principalis quæſtio eſt cum teſtamento facto filius deceſſit, & heredes inſtituti deliberant. Et quidem quamuis caſtrenſe peculium aditione fiat hereditas, dum ex eo tempore, eoque facto retrofuiſſe præſupponitur, d.l.filius familias 18. D. ad l. Falcidiam, d. l. ſi ſeruus communis in principio, D. de ſtipulat. ſeru. tamen cum heredes inſtituti ſint à filio; neceſſario dicendum eſt,& ſi non verè hereditatem, imaginem tamen quãdam ſucceſſionis, vel hereditatis medium illud tempus præſtitiſſe, ne dominium caſtrenſium bonorum à patre in heredes filij tranſeat, quod eſſet abſurdum, vt Conſultus argumentatur in d. l. de hereditate, §. quid autem. Hæc igitur iuris ratio efficit, vt dominium cum deliberant heredes inſtituti, medio tempore patris fuiſſe dici non poſſit, nec illi ſeruum aliquid acquiſiſſe. Vnde neceſſario ad 7

pietatis paternæ benignam interpretationem recurrendũ, docuit Papinianus in d. l. filius familias 14. §. 1. D. de caſtrenſi peculio: quam fauorabiliorem ſententiam Triphoninus appellauit in d. l. de hereditate §. quid autem in fin. Ideòque rectè Vlpianus in d. l. in eo, D. de adquir. rer. domin. ſcripſit in hoc ſeruo caſtrenſis peculij: *Si adita ſit hereditas, omnia vt in hereditario, ſi non ſit adita, vt in ſeruo patris ſpectanda*, quod ita explicandum eſt, vt in primo caſu, quo adita fuit hereditas, omnia vt in hereditario ſeruo ex ipſa iuris ratione ſpectentur; in ſecundo autem in quo non fuit adita, omnia vt in ſeruo patris.

8 Nec ſibi ipſi, alijſue prudentibus aduerſatur Papinianus in d. l. ſi ſeruus communis, in principio, D. de ſtipulatione ſeruorum: quin potius ſubtiliter, & ex iuris arte docet adquiſita per ſeruum communem, ad Mæuium ſolum pertinere: quia ſolus medio illo tempore, dum deliberant heredes, dominus inueniatur. Ius enim patris, quod in pendenti eſt, obſtat quominus imago illa ſucceſſionis, hereditas ante aditionem eſſe poſſit: imago autem ſucceſſionis impedimento eſt, quominus dominium patris fuiſſe dicatur. Atque ita contingit vt iure patris imagini ſucceſſionis obſtante; imagine verò ſucceſſionis dominium patris impediente, medio illo tempore ſolus Mæuius dominus inueniatur, cui per ſeruum acquiri poſſit, & debeat, d. l. ſi alienus, D. de ſtipulatione ſeruorum, d. l. qui bona fide §. vltimo, D. de adquirendo rerum dominio, d. l. ſi Eros 11. D. de optione legata: nec retrotractio, quæ poſtea fit, aliquid operari poteſt in re iam acquiſita ſicut nec operatur in ſpecie textus in d. l. ſi Eros, iunct. l. legatũ 80. D. de leg. 2. Quod ſecus eſt, vbi medio illo tempore nulla perſona eſt cui acquiratur, vt in d. l. filius familias 14. §. 1. & in d. l. proponebatur 9. & in d. l de hereditate, § quid autem. Tũc enim acquiſitio in pendenti habetur, & vel heredibus, adeuntibus vel patri retrotractionis iure, & poteſtate adquiritur, atque ita totam hanc difficilem quæſtionem explicari poſſe exiſtimamus.

9 Ex qua non pigebit coniecturam noſtram proponere ad diffi-

difficile Papiniani reſponſum in l. pater 17. § pater à filio D. de caſtr. peculio, ſcribit Papinianus, patrem qui à filio milite vel qui militauerat heres inſtitutus fuerat, in caſtrenſi peculio, non poſſe quartam falcidiam retinere, ſed ad finem peculij cogendum perpetuo legata præſtare, ſi filius iure militari teſtamento intra annum miſſionis facto deceſſerit. Si vero poſt annum quam militare deſierat, iure communi teſtamento facto, diem ſuum obierit, ratione legis Falcidiæ quartam retineri poſſe Conſultus affirmat.

Huius textus tanta eſt difficultas vt eo adductus Anto. Faber in Iuriſprudentia tit. 11. prin 6. illatione 13. & 23. exiſtimauerit, etiam in teſtamento veterani, intra annum miſſionis facto Falcidiam ceſſare, aduerſus Iuris Conſultorum doctrinam in l. ſi certatum 17. §. fin. D. de teſtamento militis, l. ſi poſt miſſionem 17. l. ſi aduerani 40. l. ſimiles 92. D. ad l. Falcid. Quarum auctoritate à ſententia Anton. Fabri diſcedit Schiphordigerius d. lib. 3. tractatu 7. quæſtione 7. ſed ipſe nec difficultatem ſatis expendit, nec aliquod probabile reſpondit. Cuiac. lib. 2. diffinitionum Papiniani in d. l. pater 17. nec ſoluit nodum, nec indicat. Putamus reſponderi poſſe rectè Papinian. docuiſſe patrem à milite filio familias, vel qui militauerat, inſtitutum, ſi cauſa teſtamẽti omiſſa ab inteſtato peculium retineat, nulla quarta deducta, ad finem vſque peculij caſtrenſis legata præſtaturum. Obijciet aliquis: ergo teſtamentum factum ab eo, qui militauerat, hoc eſt veterano, iure militari valet, ſi quidem in eo Falcidiam ceſſare reſpondet Conſultus, nullamque conſtituit differentiam, an à milite, an à veterano pater fuerit inſtitutus. 10

Reſpondemus non ideò in hoc caſu, legem Falcid. ceſſare, quod iure militari teſtamentum valuerit, ſed reconditiori alia iuris ratione: lex enim Falcid. in hereditate locum tantum habet, & vbi non eſt hereditas, de illa nõ tractatur. Ideòque ad ſucceſſionem ab inteſtato extenſa fuit, quia non minus ab inteſtato quam ex teſtamento hereditas eſt, l. lege obuenire, D. de verborum ſignificatione, & 11

in

in captiui teſtamento Falcidia deducitur: quia lex Cornelia hereditatem facit, l. filius familias 18. D. ad l. Falcid. l. in bello 12. §. 1. D. de captiuis. Quod ſi filiusfamilias veteranus patre non inſtituto, ab inteſtato eum rogauerit vt peculium ſuum caſtrenſe alicui reſtituat, poſſe hoc indulgeri legis Falcidiæ beneficium docet Paulus in d. l. filiusfamilias 18. quia quamuis non aliàs peculium caſtrenſe filij hereditas fiat, quam ſi & teſtamentum filius confecerit, & ex eo hereditas fuerat adita, l. in eo 33. in principio, D. de adquir. rerum dominio, l. ſi ſeruus communis 18. D. de ſtipulatione ſeruorum. l. proponebatur 9. l. filius familias 14. §. 1. l. hereditate 19. §. pater, D. de caſtrenſi peculio, d. l. filius familias 18. D. ad l. Falcid. Tamen cum pater ab inteſtato rogatus eſt peculium reſtituere, quaſi ab inteſtato bona poſſidet, argumentoque eſt, quod ſi inſtitutus pater omiſiſſet hereditatem veluti ſi legitima hereditas ad eum perueniſſet, legata præſtaret, ex edicto ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti: ita enim ratiocinatur Paulus in d. l. filius familias 18.

11 Cum itaque vbi hereditas non eſt, lex Falcidia ceſſet, & in prædicto caſu, licet hereditas verè non ſit, ex æquitate tamen Falcidiæ beneficium indulgeatur: quia exemplo legitimi heredis pater bona poſſidet, & ne ſit in poteſtate filij, ſemper patrem ſuum Falcid. beneficio priuari, dum eum non inſtituit, ſed ab inteſtato grauat; ſequitur vt in ea ſpecie quam Papin. tractat in d. l. pater 17. §. 1. vbi pater de caſtrenſi peculio inſtitutus, omiſit cauſam teſtamenti, & ab inteſtato peculium retinuit, beneficium legis indulgeri non debeat; non quod ille, qui omittit cauſam teſtamenti Falcidia priuetur: tantum enim in eo punitur, vt perinde legata præſtet, ac ex teſtamento præſtitiſſet, quarta etiam retenta, l. quia autem 6. in principio, verſic. habere. l. ſi duo 18. §. 1. l. cui ſeruus 25. l. Iulianus 16. D. ſi quis omiſ. cauſa teſtamenti, l. vlt. C. eodem, l. 1. §. ad eos, l. Nenſenius 22. §. ſed & ſi dominus, D. ad l. Falcid. ſed quia indignus eſt, hoc legis beneficio, & hac indulgentia pater qui ſuo facto effecit, vt caſtrenſe peculiũ hereditas nõ fuerit,

rit, nec legem Falcidiam pati potuerit: vnde de ſe quæri poterit cum ſibi damnum irrogauerit. Nec obſtat, quod in 13
teſtamento, poſt annum miſſionis, iure communi facto, aliud docere videtur Papinian. in d.l.pater,§.1. verſic.quod ſi filius, non enim de eo caſu tractat, quo pater cauſam teſtamenti omiſit.

Sed nequis ex l. 1. §. in filij quoque, D. ad Senatuſconſultum Trebellianum exiſtimet ea in militis teſtamento Falcidiam non ceſſare contra omnia, quæ ſupra tradidimus: cum ſcribat Conſultus in militis teſtamento Senatuſconſultum Trebellianum locum habere, aduertendum eſt iure antiquo ex Senatuſconſult. Trebelliano, quartam non deduci, ſed actiones tantum in fideicommiſſarium transferri; l.1. D. ad S. C. Trebel. quouſque Pagaſiani S. C. auctoritate in Trebellianum translata, ex hoc Senatuſconſulto, etiam quarta retineri cœpit, §. ſed quia heredes, Inſtit. de fideicommiſ. heredit. Rectè itaque Vlpianus in d. l.1.§ in filij quoque, docet Senatuſconſultum Trebel. quod ad reſtitutionem hereditatis, & translationem actionum pertinet, in militis teſtamento locum habere cum hoc, fauorem potius militis reſpiciat, & eius voluntatem tueatur argumento, l.1. & l.4. D. ad Senatuſconſultum Trebellianum, d. §. ſed quia heredes: docuit ad militis teſtamentũ hoc Senatuſconſultum pertinere, etiam Marcel. in l. ſi à milite 29. in principio, D. de milit. teſtam. & quidem de Senatuſconſulto Trebel. quatenus ad translationem actionum pertinet, Vlpianum locutum fuiſſe in d.§.in filij quoque, conſtat ex principio, l. 1. & ex præcedentibus, & ſequentibus §§.in quibus ſemper de translatione actionum tractat Conſultus. 14

Nec obſtat quod Vlpiani reſponſum de iure nouiori 15
intelligendum, ſuadere videatur mentio quaſi caſtrenſi peculij à Conſulto facta, cum hoc peculium ab Imperatoribus poſterioribus receptum fuerit in l. final. §. 1. C. de in officioſo teſtamento, l. veluti 7. C. de aſſeſſor. l. vnica, C. de caſtrenſi omnium Palatinorum peculio, lib. 12. Nam reſpondendum eſt etiam Vlpiani temporibus tale peculium

lium admiſſum, cum eius meminerit Conſultus etiam in l. bona 9. §. dari, D. de bonorum poſſeſſione,& in l. 1. §. nec caſtrenſe, D. de collatione bonorum, & in l. filius familias 7. §. final. D. de donatio. niſi his omnibus locis verba illa, *quaſi caſtrenſe* à Triboniano ex poſteriorum Imperatorum conſtitutionibus addita dicamus, vt cenſet Schiphord. d. lib. 3. tract. 7. quæſt 9.

C A P. IV.

De poſſeſſionis, per ſeruos hereditarios, adquiſitione, & vtrum ex cauſa peculiari ignoranti poſſeſſio adquiratur.

1 SEd licet poſſeſſio generaliter ſcientibus, & volentibus adquiratur, & corpore alieno, animo non niſi proprio, l. 3. §. cæterum, D. de adquirenda poſſeſſione, in eoque à dominio differat, quod non ſolum ignorantibus, ſed & inuitis adquirere poſſe reſponſum eſt in l. etiam inuitis 36. de adquirendo rerum; l. ſeruus 62. D. de verborum obligat. ex cauſa tamen peculiari etiam poſſeſſio ignoranti domino quæritur: quia & animo ſerui, & corpore poſſideri videtur, l. 3. §. ſaltus, verſic. cæterum, l. peregre 44. §. quæſitum, D. de adquirenda poſſeſſione, Donellus lib. 5. commentar. cap. 8. Duarenus in l. 1. §. item adquirimus, D. de adquirenda poſſeſſione, Giſanius ibidem num. 3. Franciſcus Dauid Argente in notarum ſelectarum lib. titulo de interdictis cap. de poſſeſſione, conſentit Cuiac. ad titulum de verborum obligatione in d. l. ſeruus 62. & lib. 25. quæſt. Papiniani in dict. leg. peregre, §. quæſitum, & in l. iuſto 44. §. nondum, D. de vſucapionibus, quamuis lib. 21. obſeruationum cap. 9. & ad titulum de adquirenda poſſeſſione in l. 1. §. item adquirimus, contrariam tenueri ſententiam, errorem Bartoli, & interpretum ſecutus, qui poſſeſſionem etiam extra cauſam peculiarem ignoranti per ſeruos adquiri exiſtimant: vſucapiendi vero conditionem non aliter quam ex cauſa peculiari: de qua quæſtio-

ſtione latius diſſeruimus ſupra tractatu 2. cap.8.

Hinc igitur euenit, vt ex cauſa peculiari, etiam poſſeſ- 2
ſionem per ſeruos adquirat hereditas, & vſucapionem incipiat d. l.1.§. item adquirimus, verſic. igitur de adquirẽda poſſeſſione, l.iuſto 44. §. nondum, D. de vſucapionib. l. ſi poſtliminio 29. D. de captiuis, & poſtliminio: quamuis extra cauſam peculiarem non poſſit exordium vſucapioni præbere, ſed tantum cœptam à defuncto continuare, & implere, l.30 D. ex quibus cauſis maiores, l. nunquam 31. §. vacuum, l. cœptam 40. l. iuſto 44. § nondum, D. de vſucapionib. l. qui cum 6. §. vltimo, l. 2. §. etiam heredi, D. pro emptore, Donellus lib. 5. commentariorum cap. 24. Cuiacius lib.23. quæſt. Papinian. in d.l. iuſto, §. nondum, Bronchorſt enantiophanon centuria 4. aſſertione 12. Anton. Faber in rationali ad Pandectas in d. l. cum miles 30. D. ex quibus cauſis maiores.

Sed his difficultatem facere videtur Iuriſconſulti reſ- 3
ponſum in l. vltima, §. vltimo, D. de vſucapionibus, vbi ſi ſeruus hereditarius poſt mortem domini peculij nomine rem tenere cœpit, vſucapionis primordium tempus aditæ hereditatis futurum: quia vſucapi illud non poſſit, quod antea defunctus non poſſederat idem ille Papinianus reſpondet, qui in d. l. iuſto 44. §. nondum, D. de vſucapionib. ſcripſerat, *nondum aditæ hereditatis tempus vſucapioni datum eſſe, ſiue ſeruus hereditarius aliquid comparauerit, ſiue dominus poſſidere cœpit.* Nullam conſtituens differentiam inter vſucapionem à defuncto inchoatam, vel à ſeruo hereditario ex cauſa peculiari cœptam.

Qua difficultate preſſus Accurſius in d. l. iuſto, §. non-
dum, verbo *hereditarius*, reſpondet in d. l. final. § final, lo- 4
cutum fuiſſe Papinianum de re, quam ſeruus hereditarius poſt mortem domini poſſidere cœpit, vt indicant illa verba, *poſt mortem domini*; at in dicto §. nondum, de ea cuius poſſeſsionem ſeruus ante mortem domini apprehenderat. Sed minus rectè, cum verba dicti §. nondum conuincant poſt mortem domini ſeruum poſsidere cœpiſſe, ait namque Iuriſconſultus, *ſiue ſeruus hereditarius aliquid comparat.*

At-

Atqui ſeruus hereditarius non antea, quis dici poteſt quam mortuo domino, in dominio fuerit hereditatis; & hereditarium ſeruum comparare, non antea, ſed tunc cum hereditarius fuit, præſentis temporis verbo dum vtitur, ſatis probat Papinianus, interpretationem Accurſij reijciens. Præſertim quia ſi ſeruus ante domini mortem poſſeſſionem rei nactus fuiſſet, caſus illos, *ſiue ſeruus hereditarius aliquid comparat, ſiue dominus poſſidere cœpit*, minimè vt diuerſos ingenioſiſſimus poſuiſſet Papinianus, cum ſeruo ante domini mortem poſsidente; ipſe dominus poſſidere videatur, non minus quam ſi per ſuam perſonam poſſideret, l. quod meo 18. D. de adquirenda poſſeſſione, l. 1. §. ſi quis tamen, iuncto §. non alij, D. de vi, & vi armata.

6 Sed cum ſententia hæc Papiniani in dicto §. nondum alijs Iuriſconſultorum placitis conſonet; illa autem quæ in dicto §. vltimo refertur, illis omnibus aduerſetur, non de huius, ſed de illius interpretatione tractandum fuit; quod & facit Accurſius: nam cum videat in peculiari cauſa, per ſeruos hereditatem poſſe vſucapionem incipere, d. l. 1. §. item adquirimus, d. l. penultima, D. de captiuis, & poſtliminio reuerſis, in d. l. final. §. final. D. de vſucapionibus, verbo hereditatis, ſcribit non fuiſſe eo loci ex cauſa peculiari apprehenſam per ſeruum poſſeſſionem, & verba illa, *peculij nomine*, ita interpretatur: quaſi ipſe ſeruus propria auctoritate ſibi peculium conſtituens, eius nomine cœperit poſſidere, quam gloſſæ diuinationem ſequuntur Bart. & Doctores in d. l. final, §. finali. Sed minus rectè,
7 vt doctè aduertit Cuiac. lib. 10. reſponſorum Papinia. in d. l. finali §. fin. & in comment. ad titulum de vſucap. in ead. l. Quomodo namque prudentiſſimus Iuriſconſultus ſeruum ſibi propria auctoritate peculium conſtituere velle (in quo tota deciſionis ratio conſiſtebat) non ſolum omiſiſſet, ſed etiam talia verba proponeret ex quibus antea fuiſſe conſtitutum peculium apparet? ait enim, *peculij nomine rem cœpit tenere*: ergo ſi poſt mortem domini rem cœpit tenere, idque peculij nomine, iam peculium

erat

erat, idque ante mortem domini conſtitutum, cuius nomine poſſet poſſeſſionem incipere.

Quod & verba *peculij nomine* vel *peculiari nomine*, ſatis euincunt, quibus vti ſolent Conſulti, cum peculij rectè conſtituti cauſa, aliquid geſtum fuiſſe, ſignificare volunt vt in l. imo eum 16. §.quare, D. de liberali cauſa, l. homo liber 54. §. final. D. de adquirendo rerum dominio, l. 4. l. quamuis 32. in fine, D. de adquirenda poſſeſſione, l. 2. §. ſi ſeruus 10. & tribus ſequentibus, D. pro emptore, l. ſi ſeruus 32. D. de ſolutionibus, l. in bello 12. §. facti, l. bona eorum 22. §. quæ peculiari, D. de captiuis & poſtliminio reuerſis, l. penultima eodem titulo, vbi *peculij nomine*, rem à ſeruo poſſeſſam, ea ratione captiuo ad vſucapionem prodeſſe Paulus notat: *quia eas res etiam inſcientes vſucapere ſolemus, & eo modo hereditas nondum nato poſthumo, & nondum adita augeri per ſeruum hereditarium ſolet. Peculij igitur nomine* (his enim verbis Paulus vtitur) verè & legitimè conſtitutum peculium ſignificat, alioqui enim, nec inſcientes rem ex ea cauſa à ſeruo poſſeſſam, vſucapere nos poſſe ſcripſiſſet Conſultus, nec hereditatem eo modo per hereditarium ſeruum augeri aſſeueraſſet. 8

Dicendum itaque eſt non minus Papinianum in dict. l. finali, §. final, quam Paulum in hac lege penultima, verbis illis, *peculij nomine*, iure conſtitutum peculium ſignificaſſe, vt & generalis illa Papiniani ratio oſtendit, *quomodo enim vſucapietur, quod antea defunctus non poſſederat?* Quæ nullam conſtituit differentiam inter rectè conſtitutum peculium, vel à ſeruo propria auctoritate vſurpatum; ſed inter poſſeſſionem in vita domini adquiſitam, & vſucapionem poſt eius mortem inchoatam. Sed Papinianus in hoc §. finali ex iure communi reſpondit, cuius principijs attentis non poterat procedere vſucapio: Paulus autem in d l. penultima ex iure ſingulari, quo introductũ eſt, vt hereditas per ſeruum hereditarium poſſit *ex peculiari cauſa*, vel quod idem eſt, *peculij* vel *peculiari nomine* 9

mine incipere vſucapionem , vt & Papinianum in dict. l.
10 iuſto, §. nondum , ſcripſiſſe conſtat. Qui cum meminiſſet
aliter aliquando à ſe ipſo fuiſſe reſponſum in dict. leg. fi-
nal. § vltimo, ne quis eum contraria loquutum exiſti-
maret, adiecit *ſed hæc iure ſingulari recepta ſunt* : quaſi dicat
non alteri meo reſponſo, nouum hoc placitum aliquis
iudicet aduerſari ; illud enim iure communi, hoc iure
nititur ſingulari, ad illud ius ſe referens, de quo Nera-
tius lib. 5. regularum in l. cœptam 40. hoc titulo, Paulus
in leg. ſi emptam 2. D. pro ſoluto , egerat, & ipſe eodem
lib. 23. quæſtionum in l. peregre 44. §. quæſitum, D. de
adquirenda poſſeſſione tractauerat: quam interpretatio-
nem, ſenſit Cuiac. lib. 10. reſponſo. Papiniani in d. l. fina-
li, §. finali.

11 Vnde deducitur hereditatem cœptam vſucapionem à
defuncto continuare , & implere , dict. leg. nunquam , §.
vacuum, dict. leg. cœptam : per ſeruos autem ex cauſa pe-
12 culiari etiam incipere, dict. l. iuſto 44. §. nondum. Quam-
uis enim certæ , & veræ poſſeſſionis res ficta , & inani-
mata non ſit capax, dict. leg. 1. §. Scæuola, D. ſi is qui te-
ſtamento liber eſſe , & vſucapio ſine poſſeſsione non con-
ſiſtat, leg. ſine poſſeſsione 25. D. de vſucapionibus , leg.
denique 19. D. ex quibus cauſis maiores; cum prius ſit, vt
quod vſucaptum diceretur poſſeſſum foret , dict. l. iuſto
44. §. finali, hoc titulo. Ideòque iure communi dicendum
eſſet , vſucapionem à defuncto inchoatam , hereditate ia-
cente, interrumpi , nec in heredem continuari: iure ta-
men ſingulari aliter receptum eſt, d. l. nunquam §. vacuum,
dict. l. cœptam 40. hoc titulo, l. 2. §. etiam heredi , l. qui
cum 6. §. vltimo , D. pro emptore , l. cum miles 30. D. ex
quibus cauſis maiores viginti quinque annorum in inte-
grum reſtituantur.

13 Non quod fingatur hereditas poſsidere: nam cum fictio
ad ea quæ facti ſunt non pertineat, l. denique 19. D. ex qui-
bus cauſis maiores , leg. in bello 12 §. facti , D. de capti-
uis, & poſtliminio: poſſeſsio autem facti ſit , & animi,

l. 1.

l. 1. §. Scæuola, D. ſi qui is teſtamento d. l. denique ad eam fictio hereditatis minimè poteſt extendi dicto §. Scæuola, dicta l. denique: ſed quia fuerit hoc caſu iure ſingulari receptum, vt à poſſeſſione cœpta vſucapio, etiam ſine poſſeſſione continuetur, procurrat, perficiatur, & impleatur, vt eleganter docet Cuiac. lib. 23. quæſt. Papiniani in d. l. iuſto 44. § nondum, & lib. 1. quæſt. Pauli in l. gerit. 88. D. de adquirenda heredit. te, Anton. Faber in rationali ad Pandectas in d. l. miles 30. D. ex quibus cuius maiores.

Nec obſtat lex gerit 88. D. de adquirenda hered. ea enim verba, *cuius poſſeſſio qualis qualis fuit in hereditate*, potius ſignificant impropijſſimam, vt cum interpretibus loquar, vel nullam, vt rectius cum Cuiacio dicam, poſſeſſionem eſſe in hereditate. Nam qui præcario infundo moratur dicitur, *qualiter qualiter poſsidere*, l. is qui 11. §. Ariſto. D. quod vi, aut clam, & tamen non poſſidet, cum poſſeſſio apud eum remaneat, qui conceſſit l. certe 6. §. is qui, D. de præcario. & alienæ rei pignoris conſtitutio, cum nullam obligationem continere poſſit, *qualem qualem*, habere reſponſum eſt in l. reſcriptum 12. §. 1. de diſtractione pignorum; generaliterque toties illis verbis vtuntur Conſulti, quoties rem volunt ſignificare quæ cum non ſit, penè tamen eſt, vt in l. 1. §. quamuis, D. de ventre inſpiciendo, l. is qui 15. D. de adquirenda hereditate, l. vltima, §. final. D. de diuortijs, l. vltima, D. de inofficioſo teſtamento. 14

Maior reſtabat difficultas ex d. l. miles 30. D. ex quibus cauſis maiores, in illis verbis, *quia poſſeſſio defuncti, quaſi iuncta deſcendit ad heredem, & plerumque, nondum adita hereditate completur.* Ni doctiſsimi iuris interpretes Cuiac. & Anton. Fab. ille lib. 12. Pauli ad edictum, hic in ration. ad Pandect. in d. l. miles 30. rectiſſimè docuiſſent *poſſeſſionem* eo loci *pro vſucapione* à Triboniano poſitam fuiſſe, ſicut in l. denique 19. D. ex quibus cauſis maiores, ibi, *placet, interruptam poſſeſſionem poſtliminio non reſtitui: quia hæc ſine poſſeſſione non conſiſtit.* Quomodo namque dixiſſet Papinianus poſſeſsionem ſine poſſeſſione non conſiſtere? 15

N ſiſtere?

ſiſtere? & l. ſi fundum 16. D. de fundo dotali, in illis verbis, *non tamen interpellat eam poſſeſsionem quæ per longum tempus fit*, & in ferius ibi, *ad perficiendam longi temporis poſſeſ-*
16 *ſionem*. Errant itaque Doctores qui in hac l. miles 30. poſſeſſionem accipiunt pro detentatione, ſiue vſu rei, qui in facto conſiſtit, cum accipi debeat pro vſucapione, quæ in iure conſiſtit. Hoc enim poſſeſſionis nomine, vt eleganter Anton. Fab. loco ſupra citato, non actus ipſe poſſidendi, qui in omni vſucapione requiritur, d.l. ſine poſſeſſione 25. de vſucapionibus, id eſt, poſſeſſio illa quæ eſt facti ſignificatur; ſed poſſeſſio longi temporis, id eſt, ius ipſum decennalis, aut vicennalis poſſeſſionis. Quod nomen ſaltim hodie non minus iuris nomen eſt, quam fuit olim; ſemperque erit vſucapionis denominatio, quæ hodie in longi temporis poſſeſſionem, à Iuſtiniano transformata eſt, in l. vnica, C. de vſucapion. tranformanda, principio Inſtituta de vſucap. quæ meminiſſe iuuabit ad interpretationem, l. 45. Tauri de cuius explicatione infra latius, Deo volente diſputandum.

17 Tertio ex eodem principio deſcendit, vt diutina poſſeſſio, quæ prodeſſe cœperat defuncto, etiam heredi continuetur; licet ipſe ſciat rem alienam eſſe; cum tamen defunctus iuſtum initium habuerit, & bona fide fuerit vſucapionem ingreſſus. Quod ſi ille mala fide nactus fuit poſſeſſionem, nihil heredi poſſidenti propria bona fides proderit; etiam ſi noluerit vti adminiculo ex perſona auctoris, l. heres eius 43. D. hoc tit. l. 2. §. ſi defunctus, D. pro emptore l. cum qui S. §. in hac actione, D. de publiciana, §. diutina, Inſtituta de vſucapionibus, l. 16. tit. 19. partita. 3.
18 In quo magna verſatur differentia inter vniuerſales ſucceſſores, heredes ſcilicet; & inter eos qui ſingulari titulo emptionis puta, ſolutionis, donationisve, aliquid nanciſcuntur. Singulari enim ſucceſſori auctoris ſui, id eſt eius, à quo rem accepit, vitium, vel mala fides non aliter nocet, quam ſi eius velit vſucapionem continuare, & vti adminiculo temporis, ex perſona auctoris. Nam ſi eo tempore in ſuperhabito, vſucapioni ipſe præſtet initium, nihil vitium ab au-

ab auctore profectum nocebit; ſi non in re ipſa conſtiterit, idque eſt quod traditur in l.Pomponius 13.§.1.&. §.fin.D. de adquir.poſſeſſione,l.vitium,D.de diuerſis,& temporalibus præſcrip. mala autem fides propria ſemper in his perſonis vſucapionem impedit. Nam ſi exemptionis titulo rem nanciſcantur,& emptionis,& traditionis, l. 2. in fine principij, D.pro emptore,l.penult.in fine,D.pro ſoluto. Si ex alijs cauſis,vt ſtipulatione teſtamento, traditionis tantum tempore bona fides deſideratur, l. iuſto 44.§.& ſi poſſeſſionis infra hoc tit. Nec obſtat lex ſi aliena.10.in prin- 19
cipio hoc tit. ibi. *Traditionis initium, expectantium*, l. qui fundum 7. §.qui bona fide, ibi: *nec ſimilis eſt ei* D.pro emptore. Nam in d.l.10. ſubintelligi debere voculam, etiam, Cuiacius ad hunc titulum, in d. l. 10. & Duarenus c.1. in fine,ſcribunt. At in d l. qui fundum 7.§.qui bona fide,vel legendum, *nec diſsimilis*, vt in aliquibus Codicibus habetur, vel ſi Florentina littera retineatur fatendũ inter Proculeianos, & Sabinianos controuerſum cum fuerit, tandem Sabinianorum contrariam obtinuiſſe ſententiam,d.l. ſi aliena. 10. l. ſed, & ſi res, § vlti. D.de publiciana, docet idem Cuiacius lib. 44. Digeſtorum Iuliani in d. l.7. §. qui bona fide, D. pro emptore. Quod nos non probamus cum ratio illa Iuliani, *Cum enim ſemel amiſſa fuerit poſſeſsio, initium rurſus recuperatæ poſſeſsionis, ſpectari oportet*, diſſimilitudinis ratio ſit, ideoque inepta, ſi *nec diſsimilis* legamus, & Iulianus Sibinianus fuerit, l. 2.in fine, D. de origine iuris: Sabiniani autem ſint, quibus placuit traditionem expectandam d.l.10. Sed de hac quæſtione infra in §. vltimo noſtræ. legis, Deo volente diſputandum.

Quod vtrumque in herede diuerſè obſeruatur. Nam 20
cum perſonam defuncti repræſentet, & non ſui, ſed eius reſpectu vſucapiat, ſine vlla diſtinctione ei nocet mala fides defuncti dicta leg. cum, qui 8. §.in hac actione, D. de publiciana, dicto §. diutiua, Inſtituta de vſucapionibus: propria autem nunquam illi obeſt,dicto §.In hac;quia nec defuncto, ſi viueret, ſuperueniens mala fides, Iure Ciuili nocuiſſet dict.l.bonæ fidei 48 § In contrarium, D. de ad-

quirendo rerum domin. l. 4. §. de illo in fine, ſupra hoc titulo. Iure autem Canonico aliter obſeruatur, capit. penultimo, & vltimo extra de præſcriptionibus, cap. Si virgo 34. quæſtione 2.

21 Ex ſuperiori principio, quarto loco deducitur, vt ſeruus hereditarius futuro heredi, ſub nomine appellatiuo heredis, rectè poſſit ſtipulari, l. ſeruus 35. D. de ſtipulatione ſeruorum: quia certum eſt heredem quemcumque retro eius dominum fore, l. ſi ex re. 28. §. vltimo, D. de ſtipulatione ſeruorum; ſub nomine autem proprio, veluti *Titio dare ſpondes*, inutilis erit ſtipulatio: quia licet certum ſit heredem dominum ſerui retro futurum; incertum tamen eſt, an Titius futurus ſit heres, l. Si ſeruus 18. §. ſeruus, l. ſeruus 16. D. de ſtipulatione ſeruorum, l. ſi vnus 27. §. final. D. de pactis. Quæ iura ita ſuperioribus conciliant Cuiacius lib. 28. quæſt. Papiniani in dict. l. 18. §. ſeruus, Faber in rationali ad d. l. ſi vnus 27. §. final. Hæc de priori fictionis exemplo ſufficiant, poſſem autem multa alia fictionum exempla referre, ſed ea tantum proponere viſum eſt, quæ & vtiliora ſint, & ad noſtri textus explicationem, iter ſternant; poſtliminij igitur, & legis Corneliæ fictiones, alijs omiſſis, enarrandas ſuſcipiamus.

CAP. V.

De poſtliminij, & legis Corneliæ fictionibus, & earum cauſa, & origine.

1 VRbs illa armorum parens, *quæ fudit in omnes imperium, primique dedit cunabula iuris*, quæ finibus orta exiguis, cum Sole manus extendit, cum ſciret nullam adeo rem, ad militum animos extollendos conducere, quam ſi in dextris tantum ſpes relinquatur, Cyri exemplum ſequuta, militibus a tergo ſuis, in captiuitate infamiam conſtituit, vt duriorem in ea, terribilioremque quã

in hoſtium gladijs mortem inuenirent *diminuti enim capite, ab alienati iure ciuium, ſerui hoſtium effecti*. l. 2. D. de capite minutis, l. naturalem 5. §. vltimo, D.de adquirendo rerum domin. §. ſerui Inſtituta de iure perſ. § ſi ab hoſtibus, Inſtituta quibus modis ius patriæ poteſt. nullam priſtinæ libertatis recuperandæ ſpem habere poterant. Cum more anti- 2
quo Romanorum numquam redimerentur: vt Liuius decad. 3. lib.2. teſtatur apud quem Titius Manil. Torquatus de captis in Camnenſi pugna ita fatur, *quid enim aliud quã admonendi eſſetis, vt morem traditum à patribus, neceſſario ad rem militarem exemplo ſeruaretis*, vel ſi ab ipſiſmet hoſtibus remiſſi in ciuitatem reuerſi forent, infames ſemper haberi conſtaret: vt Eutropius Roman. hiſtoriæ lib.2. in captiuis à Pyrro Rege dimiſſis Senatum Roman. decreuiſſe tradit. Ideòque Regulus ille fidei exemplum, Romam reuerſus *offerentibuſque Romanis vt eum Roma tenerent, negauit ſe in ea vrbe manſurum, in qua poſtquam Afris ſeruierat, dignitatem honeſti ciuis habere non poſſet.*

Sed eueniebat vt ſæpè ciues Romani, dum gloriæ cupi- 3
di in confertiſſimos hoſtes irrumpunt, fortiter dimicantes; multitudine tamen numeroſa opreſſi caperentur. Vt igitur his non minus honeſta captiuitas foret, quam ſi hoſtium impetu fugato, incolumes ad ſuos reuerſi fuiſſent; vel pro Republica in ipſa cecidiſſent acie; ſimulque vt ſeruitutis conditione exploſa, dominium rerum ſuarum retinerent, teſtamentaque perinde valida eſſent, ac ſi nulla captiuitas interueniſſet: moribus populi Romani receptum eſt, l. poſtliminium 19. de captiuis, & poſtl. vt ſi ciuis, qui honeſtè dimicans in hoſtium venerat poteſtatem, ad ſuos poſtea redire cõtingat in ciuitate ſemper fuiſſe videatur, l. illa inſtitutio 31. §. 1. D. de heredibus inſtituend. l. poſtliminij 5. §. 1. l. in bello 12. §. ſi deportatum, l. retro 16. l. hoſtes 24. D. de captiuis, & poſtlimin. §. ſi ab hoſtibus, Inſtituta quibus modis ius patriæ. Quod ſi apud ho- 4
ſtes decedere eueniat lege Cornelia cautum fuit vt in ipſa acie eo inſtanti quo caperetur, & ſic ciuis Romanus deceſſiſſe credatur, l. cum hic ſtatus 32. §. ſi ambo in fine, D.

de donationibus inter virum, l.lex Cornelia 12. D. qui teſtamenta facere poſſunt,l.lex Cornelia 28.D.de vulgari,& pupil. l. ſi filiusfam. 39. D. de militari teſtamento, l. 1. §. lex falcidia, D. ad l. Falcidiam, l.4.§.1.D.de bonis libertorum,l.iuſto 44. §.finali,infra de vſucapion. l. 1. l.pater 10. l.quod ſi filius 11.l.bona eorum 22. D. de captiuis,& poſtlim. l. 8. C. de legitimis heredibus, l. 1. C. de captiuis; tractant Bartolus, & Doctores in hac lege noſtra Alciatus, & Cuiac. ibidem, Connanus lib. 3. commentariorum, cap. 14. Duar. ad titulum de vſucap. cap. 8. Hotmanus lib. 1. amicabilium, cap.27.Forcatolus dialog.76.& ſequentibus, Angelus Mateacius de via, & ratione iuris lib. 1. cap. 20. num.13. Iuriſprudentiſſimus Anton. Fab. lib.10.coniecturarum, cap. 9. & Iuriſprudentiæ Papin. lib.1. tit. 11. princip. 7. 8. & 9.

5 Sed cum, vt ex ſuperiorum legum verbis conſtat, is qui apud hoſtes, poſtea deceſſit, eo tempore quo caperetur, deceſſiſſe per legem Corneliam fingatur, & poſtliminium, reuerſionis tempus inſtanti iungat captiuitatis; fictiones has inutiles eſſe dicendum videtur, vt quæ nullum poſſint ſortiri iuris effectum. Si enim captum ab hoſtibus liberum, & ciuem deceſſiſſe, vel ſemper fuiſſe in ciuitate fingere voluerunt, non ex quo captus eſt,ſed antequam caperetur, vitam amiſiſſe, vel ad ſuos redijſſe debuerant conſtituere. Nam cum ſtatim, atque quis captus eſt in ſeruitutem redigatur, l. naturalem 5. §. final. D.de adquirendo rerum dominio, l. 1. in principio,iuncto verſiculo item bello capta, D. de adquir.poſſeſ. §. Item ea,Inſtit.de rerum diuiſſione, qui tempore quo caperetur, moritur non liber aut ciuis, ſed ſeruus hoſtium decedit.

6 Quæ difficultas tanti fuit vt magnus ille Emanuel Acoſta in cap. ſi pater 2. parte, §. teſtatore mortuo num. 15. ſcripſerit non rectè Papinianum, in d. l. pater 10. D. de captiuis, & poſtlimin. reſpondiſſe, lege Cornelia ſtatutum, vt is qui apud hoſtes deceſſit, ex quo captus eſt, deceſſiſſe videatur, cum non eo tempore quo caperetur. Sed antea mortuum fuiſſe lex finxerit, ſententiam interpretum

tum ſecutus exiſtimantium, legem Corneliam fingere defunctum apud hoſtes, præambula hora captiuitatis diem ſuum obijſſe; tradit Iaſon in præſenti num. 5. Bolegnetus 7. Curtius in l. diem functo num. 3. D. de officio aſſeſſorum. Sed huic ſententiæ Conſultorum verba refragantur, 7
eo ipſo inſtanti quo caperetur, per legem Corneliam captiuum deceſſiſſe videri, ſignificantia. Vlpianus enim in dict. leg. cum hic ſtatus, §. ſi ambo in fine. *Vt tempus ſpectandum ſit captiuitatis, quaſi tunc deceſſerint.* Papinianus in dict. leg. pater 10. *Iam tunc deceſſiſſe intelligitur, ex quo captus eſt.* Idem Vlpianus in dict. l. in omnibus 18. D. de captiuis, & poſtlim. *quaſi tunc deceſſiſſe videtur, cum captus eſt*, ſcribũt particula illa, *tunc*, vſi, quæ extremitatem temporis denotat, l. 4. §. 1. D. de conditionibus, & demonſtr. vt & anterius 8
tempus, & poſterius excluderent, captiuitatiſque inſtans ſignificarent, vt in formula Galli Aquilli, l. Gallus in principio, D. de liberis, & poſth. & in pupillari ſubſtitutione, l. 1. D. de vulgari, l. ſi ita ſcriptum 8. §. qui filio, D. de bonorum poſſeſſionibus ſecundum tabul. principio Inſtit. de pupil. & in caſu ſingulari de quo Gaius in l. ei qui ſoluendo 88. D. de heredibus inſt. docet Antonius Faber coniecturarum lib. 9. cap. 1. & de erroribus pragmaticorum, decad. 32. error. 9. num. 13. & Magiſtri ſententiam ſequuti diximus epiſtolicarum exercitationum lib. epiſt. 5. exercit. 6. num. 13. & ſequenti.

Vnde tenenda eſt opinio Bartoli in præſenti numero 7. & 53. Chriſtophori de Caſtellion, & Cumani exi- 9
ſtimantium, vt Iaſo. in præſenti refert. num. 94. captiuum quandocumque poſtea defunctum, ex inſtanti, quo caperetur diem ſuum obijſſe videri. Nec obſtat ſuperior obiectio; nam captus nondum ſeruus eſt, quoad vſque ad præſidia hoſtium perducatur, l. poſtliminij 5. §. 1. D. de captiuis, & poſtlim. in illis verbis, *Aliquem ex noſtris ceperunt, & intra præſidia ſua perduxerunt*, & inferius ibi: *Antequam in præſidia perducatur hoſtium, manet ciuis*, leg. 26. titul. 26. part. 2. ibi: *Metido en pos del muro,*

o de alguna fortaleza. Sicuti non antea recuperat ciuitatem, quam in fines noſtros peruenerit, l. poſtliminium 19. §. poſtliminio, D. de captiuis, & poſtl. §. ſi ab hoſtibus, Inſtituta quibus modis ius patriæ. Ideòque ſi tunc cum caperetur deceſſiſſe fingatur, non ſeruus hoſtium, ſed ciuis mortem oppetiſſe videbitur: quia quamuis antequam in præſidia perductus fuerit, captum eum fuiſſe verum ſit: conditionem tamen mutaſſe falſum eſt, capiendi namque factum licet prius perfectum ſit: adquirendi tamen non eſt (antequam in præſidia hoſtium perducatur) incœptum.

12 Qua ratione docent interpretes communiter vt teſtatur Iaſon. n. 11. Ripa 5. in l. 1. in principio, D. de adquirenda poſſeſſione, Couuar. in regula peccatum 2. par. num. 2. & 7. prædam ab hoſtibus antequam in præſidia perduceretur recuperatam, prioribus dominis reſtituendam, cum nondum hoſtium fuerit ſubdita poteſtati, argumento l. Pomponius 44. D. de adquirendo rerum domin. l. ab omnibus

13 2. C. de captiuis. Pro qua opinione facit elegans textus in l. transfugam 51. D. de adquirendo rer. dom. vbi ait Celſus *res hoſtiles* noſtras fieri, non cum capiuntur, ſed *cum apud nos ſunt.*

CAP. VI.

De poſtliminij, iure non concedendo illis qui armis victi hoſtibus ſe dederunt; & defenſa vulgata lectio in l. 4. & in l. in bello 12. infra hoc tit. ab Anton. Fabri emmendationibus.

1 CVm igitur his poſtliminij, & legis Corneliæ fictionibus famæ ſtrenuorum militum; & bonis fuerit proſpectum, rectè Paulus in l. poſtliminio 17. D. de captiuis, & poſtlim. reſpondet poſtliminio carere qui armis victi hoſtibus ſe dederunt. Nec enim fortitudinis

nis præmia imbecillitati, aut ignauiæ tribui par eſſet. Ad quem Populi morem reſpiciens Horatius dum Regulum inducit captiuos redimere dehortantem, Sic cecinit lib. 3. Ode 5.

---------Signa ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus ſine cæde (dixit)
Direpta vidi.

Ideòque quamuis cæteræ res quæ bello amittuntur, ſi ad dominos poſteà perueniant, poſtliminio recuperentur, l. 2. D. de captiuis, & poſtliminio: in armis tamen, & veſte non idem iuris eſt: quia vt ait Marcellus in d. l. 2. *nec ſine flagitio amittuntur*, & repetit, *arma enim poſtliminio reuerti negatur, quod turpiter amittantur.* 2

Sed grauiter huic certiſſimo iuris principio aduerſari videtur deciſſio legis 4. D. de captiuis, & poſtlimin. vbi Modeſtinus nullam conſtituit differentiam inter eos qui ab hoſtibus capti ſunt, & qui illis deduntur: vtroſque enim docet antiquitus placuiſſe poſtliminij iure reuerti. 3
Aduertendum tamen eſt, Conſultum in d. l. 4. non loqui 4
de illis qui ſe ipſos, armis victi, hoſtibus dederunt; ſed potius de his qui, à Roman. reſp. hoſtibus dediti ſunt, ad quos ſcribit poſtliminij ius pertinuiſſe. Dabat autem hoſtibus Republica illos, qui legatos hoſtium (quos ſanctos, id eſt, inuiolabiles, eſſe conſtat, l. Sanctum 8. D. de rerum diuiſione) contra ius gentium pulſaſſent, vel qui fœdus aliquod pepigerant, quod vt ignominioſum S. P. Q. R. non probabat: vt enim ſe iuſiurandi, & fidei ſeruandæ religione ſolueret, & vt ſcelere impio eſſet ſolutus, poſſetque iuſtè hoſtibus bellum inferre, prius duces auctores illius fœderis hoſtibus tradebat, vt in Tito Veturio, & Spurio Poſthumio factum legimus, apud Titum Liuium lib. 9. decad. 1. & in Hoſtilio Mācinio pacis cum noſtris Numantinis iuratæ auctor, l. vltima, D. de legationibus, tradunt Florus lib. 1. cap. 18. Eutropius Romanæ hiſtoriæ lib. 4. Ita enim Florus: *Sed non minus Numantini, quam Caudini illius fœderis flagrans ignominia, ac pudore Populus Romanus, dedecus quidem*

dem præſentis flagitij deditione Mancini expiauit. Cum autem aliquando eueniret, vt ab hoſtibus non reciperentur, tractatum fuit propter Mancinum; an qui recepti non fuerant poſtliminium eſſent habituri; reſponſumque non habere, d. l. vltima, D. de legationibus.

5 Ideòque neceſſaria lex fuit qua Mancinus in ciuitatem reſtitueretur: nec enim fieri poteſt vt poſtliminio reuerſus videatnr is, qui nunquam in hoſtium poteſtate, nec eorum ſeruus fuit, neque rurſus, vt is qui ſemel ciuitate expulſus eſt, eam ſine priuilegio alicuius reſtitutionis reciperet. Qua equidem ratione in contrario caſu, cum videlicet is qui hoſtibus deditus, & ab illis reuerſus, in ciuitatem receptus non eſt, multò magis idem eſſe dicendum Brutus, & Scæuola exiſtimarunt, d. l 4. de captiuis, & poſtlim. Conſequens enim eſt, vt ſi poſtliminium ei negatur, qui in poteſtatem hoſtium non peruenit, etiam ei denegetur qui ab illa liberatus, & ad ſuos reuerſus, in ciuitatem admiſſus nō eſt, cum prius ſit neceſſe, vt in ciuitatem per-

6 ueniat, quam vt ſemper in ea fuiſſe videri poſſit. Atque ita ſententiam Modeſtini accipiendam exiſtimamus reiecta emendatione Antonij Fabri qui Iuriſprudentiæ Papinianæ lib. 1. titulo 11. principio 8. illatione 1. legendum exiſtimat in d.l.4. *nec ab eis* non *nec à nobis*, vt ſpeciem Modeſtini, illi accommodet, de qua in d. l. vltima de legationibus: nam huic lectioni præcedens illud verbum *reuerſus*, apertè refragatur: quomodo namque legi poterit, *an qui hoſtibus deditus reuerſus nec ab eis receptus eſt?* Cum antea ſit vt ab eis non recipiatur, quam vt reuertatur, & reuerſus, à nobis, vt Modeſtinus rectè ſcribit, non ab eis, id eſt hoſtibus, vt Anton. Faber dicebat, recipiendus eſt.

7 Sed vt omnes ignauiæ aditus recluderentur, etiam olim receptum eſt, vt in bello capti ciues, in bello tantum, non in pace poſtliminij iure fruerentur, l. in bello 12. in principio, D. de captiuis, & poſtlim. *quia ſpem reuertendi ciuibus in virtute bellica magis, quam in pace Romani eſſe voluerunt*, vt ſcirent milites ſi ab hoſtibus caperentur, non aliter ad ſuos reuerti poſſe, & ius ciuium, quod captiuitate amiſerant;

ſerant recuperare quam bello, & ſanguine, nec alio pretio ciuitatem conſequi , quam eorundem à quibus capti fuerant hoſtium ſpolijs: ideòque ſi aliquando victor hoſtis captiuos remitteret non antea eos ciuitate dignos fuiſſe conſtat, quam in bello, & pugna notorum ex hoſtium exercitu virorum ſpolia reportaſſent, vt teſtis eſt Eutrop. Roman. hiſtor. d. lib. 2. Sed Græci interpretis Eutropij verba quæ hunc Populi Romani morem, eleganter exprimunt ſubijcere operæpretium fuerit: ille igitur de captiuis à Pyrro remiſſis locutus, ita ſcribit. *Magnum autem nihil feciſſe Romanis Pyrrum captiuorum remiſſione indicium eſt, quod dimiſſi apud eos infames ſunt, vt Romana indigni ciuitate; nullam aliam ob rem quam quod dimicantes capti ſunt. Solutio autem huius mali, non antea illis contingere poteſt, quam notorum, ex hoſtium exercitu, virorum ſpolia retulerint.* Huc etiam reſpexiſſe videtur. Horatius dict. lib. 3. Ode 5. dum in perſona Reguli ſic loquitur.

------------Erit ille fortis,
Qui perfidis ſe credidit hoſtibus?
Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora reſtrictis lacertis
Senſit iners, timuitque mortem?
Hic vnde vitam ſumeret inſcius,
Pacem duello miſcuit. O pudor,
O magna Carthago probroſis
Altior Italiæ ruinis.

Hæc igitur Populi Romani lex moribus ſtabilita per- 8
petuis Triphonino deciſionis cauſa fuit, ſcribit ille in d. l. in bello 12, in principio, D. de captiuis, & poſtlim. *in bello generaliter eſſe poſtliminium, in pace autem his qui in bello capti erant*, non aliter competiturum, quam *ſi id in pactis fuerit comprehenſum.* Id enim legendum eſt non *nihil*, vt rectè obſeruarunt Cuiac. lib. 19. obſeruat. cap. 7. Petrus Faber lib. 1. ſemeſt. cap. 7. Anton. Faber Iuriſprudentiæ Papinianæ titulo 11. principio 8. illatione 5. & ratio à Iuriſconſulto tradita euincit, *verum* his *qui in pace peruenerunt ad alteros*, quamuis bello ſubito exorto eorum, ſerui effi-

efficiantur apud quos iam hoſtes, deprehenduntur: tamen & in pace, & in bello eſſe poſtliminium, niſi contrarium fœdere fuerit cautum ſcribit Triphoninus. Licet enim videretur dicendum eos, qui in pace apud hoſtes deprehenduntur, melioris conditionis eſſe non debere, quam qui in bello pro Repub. militantes capti ſunt: ideòque vel illis in pace poſtliminium denegandum, vel his etiam ſine bello
9 concedendum. Reſpondet tamen Conſultus in pace captis etiam in pace eſſe ius poſtliminij: quia nulla illis obijci culpa, aut ignauia poteſt; cum eorum captiuitati perfidia hoſtium, non aliquod ipſorum factum cauſam dederit: nulla igitur timiditatis macula apparente, nihil mirum ſi nec bellum, nec ſanguis ad eam abluendam requiratur; at qui bello hoſtium ſunt potiti non aliter quam bello ciuium ius conſecututos Triphoninus aſſerit: timiditatis enim nota, & captiuitatis macula, & libertatis amiſſio, non aliter quam belli fragore, & ſanguinis inundatione, ſpoliorumque pretio abſtergitur, abluitur, compenſatur. Neque enim pretio redituri ſunt eo: vnde ignauia, & nequitia abierunt, vt Titus Manilius Torquatus apud Liuium, decade 3. lib. 2. ait, & Eutropius dict. lib. 2. Romanæ hiſtoriæ, præcipuèque illius Græcus interpres, qui rationem decidendi adhunc textum tradidiſſe videtur loco ſupra relato. Hæc eſt vera ſententia difficilis huius Triphonini reſponſi dum in ſuperiorem Eutropij locum incideremus fœlici caſu inuenta, & ante nos à doctiſſimis viris non animaduerſa, vt conſtat ex Antonio Fabro in Iuriſprudentia tit. 11. principio 8. illatione 5. qui ſupra dicta dubitandi ratione adductus, totum verſiculum poſtremũ ab illis verbis, quibus ius poſtliminij eſt, enſe recindendum eſſe exiſtimauit, ſed ab illius ſententia ſuperior iuris ratio recedere compellit.

10 Vtrum huic noſtræ ſententiæ obſtare videtur, quod ſi publica vtilitate, & diſciplina militari exigente iure fuiſſet publico conſtitutum, ne bello captis aliter quam in bello ius eſſet poſtliminij: in pace autẽ apprehenſis, & in pace, & bello concederetur; pactionibus, aut conuentioni-

bus

nibus mutari id non poſſet, l. iuriſgentium 7.§.ſi paciſcar, & ſequentibus, præcipuè §. & generaliter, l. contra 28. in principio, l. ius publicum 38. D.de pactis, l. vltima, D. de ſuis,& legitimis, l. neque pignus 45. §. 1. D.de regulis iuris; atqui mutari poſſe, & ita demum vtrunque verum eſſe, niſi aliud in fœderis, vel pacis conuentionibus cautum fuerit,ſcribit Conſultus in d.l.in bello,in principio, ibi: *de quibus id in pactis, erat comprehenſum*, & inferius ibi,niſi fœdere cautum fuerat, ne eſſet his ius poſtliminij: non igitur publica vtilitas ius illud ſupra à nobis memoratum induxit, nec conſuetudo populi perpetua firmauit.

Sed huius obiectionis impetum facile declinabimus, ſi 11 nos ad Vlpiani diſtinctionem contulerimus: nam cum pacta, aut ex publica cauſa fiant, aut ex priuata, publicaque conuentio ſit, *quoties inter ſe duces belli quædam paciſcuntur*,rectè deduceretur publicum ius non eſſe apud Triphoninum,quod ille ſcripſiſſet, priuata poſſe pactione mutari, d.l.7.§.ſi paciſcar. Sed cum non de priuatis, ſed de publicis conuentionibus fuerit locutus, illis nempè *quæ per pacem*, id eſt pacis cauſa, vt rectè Cuiac. interpretatur in d.l. conuentionum 5.D.de pactis,à belli ducibus fiunt,non rectè ſequitur ius publicum non eſſe, quod publicis pactionibus immutatur.Nam quamuis ratione illa publicam vti- 12 litatem præſeferente: *Quia ſpem reuertendi ciuibus in virtute bellica magis, quam in pace Romani eſſe voluerunt*, ſuperius fuerit ius conſtitutum: poſſunt tamen duces belli quoties tẽporis, perſonarum,& cauſæ conditio flagitauerit,commodum publicum attendentes, publica id mutare pactione. Qui cum mandatum in hãc rem à Republica ipſa vel Prin- 13 cipe habeant, poſſintque legem, tam bello quàm paci dicere; quoties inter ſe quædam paciſcuntur, legem ferunt, populi aut Regis nomine: Ideòque publicis his, & veluti à populo ipſo factis conuentionibus, omnes ciues obligantur, perinde ac ſi lege lata, & rogata conſtitutæ fuiſſent firmæque. & validæ perinde ſunt, dict. leg. in bello 12. in principio, l. ſi captiuus 20. l. ſi quid in bello 28. D. de captiuis, & poſtlim. l. 19. tit. 26. ibi: *Eſto deue ſer guardado*

fuerte-

fuertemente en todas guiſſas en la manera que fue fecho, &c. leg. vltima, tit. 28 partita ſecunda, leg. 2. in fine, tit. 16. partita ſeptima. Nec enim aliter quam populi, Regisve nomine, & conſtituuntur, & iurantur, Anton. Faber in rationali ad dictam legem conuentionum 5. D. de pactis. Ideòque publicæ conuentiones appellantur ſicut, & leges, leg. 2. in principio, D. de legibus, aut quod ex eadem Græca definitione Demoſthenis ſumptum à Papiniano videtur in l. 1. eodem titulo, *communes Reipub. ſponſiones*, indeque pœna mortis, qui pacèm conſtitutam violauerit tenetur, leg. 19. tit. 26. partita 2. leg 3. tit. 12. partita 7. leg. 1. tit. 9. lib. 8. Compilationis.

14 Poſſunt autem duces belli eo tantum caſu pacem conſtituere, vel fœdus cum hoſtibus inire, quo mandatum in hanc rem à Rege, vel populo habeant; vel ſi cum libera ſint adminiſtratione conſtituti, aut vicem Regis, locumue tenuerint, vt docent Bartolus, Paulus, Alexander, & Iaſo. in dicta leg. conuentionum 5. D. de pactis, Gregorius Lopez in leg. 2. tit. 1. partita ſecunda, gloſ. 15. inducias autem, vel ad breue tempus ab armis ceſſationem, rectè, etiam ſi ſuperiora non adſint, poſſunt conſtituere; Doctores, in d. leg. 5. Petrus Gregor. lib. 11. ſyntagmatum cap. 11. num. 3. vbi eruditè fœderum differentias: quæ autem inter fœdus pacem, & inducias diuerſitas ſit docet Petrus Faber lib. 1. ſemeſtrium cap. 7 & Reges noſtri in l. 1. & per totum, tit. 12. partita 7. & in l. 1. tit. 9. lib. 8. nouæ compilationis.

CAP.

CAP. VII.

Vtrum poſtliminium iuriſgentium, an ciuilis ſit, & quibus perſonis, aut rebus concedatur.

EX ſuperiori principio infero, quod cum dignitas, & 1
maieſtas ciuitatis Romanæ effecerit, vt ea indigni haberentur, qui captiuitatis maculam, nondum ſanguine hoſtium abluiſſent, hoc ius ad cæteras non pertinebat prouincias. Licet enim poſtliminium ex iuregentium ſit, l. poſtliminium 19. D. de captiuis, cap. ius gentium 9. diſtinctione 1. conditiones tamen quædam eius concedendi propriæ Populi Romani ſunt: vndè & dicitur moribus conſtitutum, in d. l. poſtliminium 19. quia cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi ius proprium, id eſt, ciuile facimus, l. ius ciuile 6. D. de iuſtitia, & iure. Inter quas conditiones præcipua illa eſt, vt in bello captis, in bello tantum ſit poſtliminium: quod & Eutropij verba dicto lib. 2. & Triphonini in dict. l. in bello 12. ſatis probant.

Ex quo fit vt noſtræ ſententiæ non obſtet lex cum non 2
5. C. de poſtliminio reuer. vbi eum qui à Barbaris præfecto legionis traditus eſt, quamuis in bello reuerſus non ſit ius poſtliminij habere reſcribũt Imperatores: pertinet enim ad prouincialem, non ad ciuem Romanum illa deciſſio, vt apparet ex eo quod priſtino ſtatui ſuo reddendum non per vrbanum, ſed per prouinciæ magiſtratum reſpondent Cæſares, his verbis: *Et illico ingenuitati ſua reddi eum, præſes prouinciæ iubebit.*

Ideò autem à *Barbaris* reuerſo poſtliminium concedunt 3
Imperatores: quia hoſtes Populi Romani *Barbari*, appellabantur. Libet enim ad huius textus interpretationem obſeruare, ciuitatem Romanam raro olim, & non niſi ob magna merita concedi ſolitam. Tacit. lib. 3. Annal. *Ideòque Romana ciuitas olim data, cum id rarum, nec niſi virtuti pretium eſſet.*

eſſet. Donec Antoninus Pius omnes prouincias huius iuris communione donauit, cuius conſtitutione omnes, qui in orbe Romano ſunt, ciues effecti fuerunt Romani, vt Vlpianus ſcribit in l. in orbe 17. D. de ſtatu hominum. Hinc Roma communis patria appellatur in l. qui duas 6. § Romæ, D. de excuſation. tutorum, l. relegatorum 7. §. conſtitutum, l. vlt. D. de interdict. & releg. l. Roma 33. D. ad municip. l. eos, qui 9. D. de vacat. & excuſat. muner. Nouel. 78. cap.
4 vlt. Quod equidem politicum Populi Romani præceptum maximis Poëtæ laudibus, vt conſeruationi Reipubl. vtiliſſimum extollunt, Rutil. Numatianus lib. 1. Itinerarij.

Feciſti Patriam diuerſis gentibus vnam,
Profuit iniuſtis te dominante capi;
Dumque offers victis proprij conſortia iuris
Vrbem feciſti, quæ prius orbis erat.

Claudian. de Bel. Gild.

Hæc eſt, in gremium victos quæ ſola recepit,
Humanumque genus communi nomine fouit
Matris, non Dominæ ritu, ciueſque vocauit,
Quos domuit, nexuque pio longinqua reuinxit.

Ad quod alludens Saluianus lib. 5. de gubernatione Dei, ita in Romanorum mores inuehitur: *Omnes denique, quos per vniuerſum Romanum orbem, fecit Romana iniquitas, iam*
5 *non eſſe Romanos*. Vnde cum ſicut florentis Græciæ temporibus, terrarum orbis in Græcos, & Barbaros diuidi ſolebat, vt conſtat ex Diuo Paulo ad Roman. cap. 1. Seneca lib. 3. de ira, cap. 2. *Nulla gens eſt, quam non ira inſtiget tam inter Græcos, quam Barbaros potens*. Ita Romani Imperij ætate Romanorum, & Barbarorum nominibus diſtinguebatur. Iuuenal. Satyra 12.

----------Ad hæc ſe
Romanus Graius, ac Barbarus Endoperator
Erexit.

Barbarique omnes illi appellati ſunt, qui Romani non erant. Claudianus de bello Getico,

Procul

-------------------------- Procul arceat altus
Iupiter, vt delubra Numina, templaque Quirini.
Barbaries oculis ſaltem temerare prophanis
Audeat.

Et Saluianus, lib. 4. *Barbaris*, inquit, *& Romanis*: & lib. 7. *plus adhuc dico offenduntur Barbari ipſi impuritatibus noſtris*: & poſtquam omnes ſubiectæ Populo Romano prouinciæ ciuitatis iure fruebantur, cum omnes qui hoſtes non erant, Romani eſſent; hoſtes, Barbarorum appellatione ſignificantur, vt conſtat ex l. diuus 6. §. vltim. D. de bonis damnat. Inquit Conſultus, *Barbaros etiam inde munerari venientes ad ſe, vel legationis, vel alterius rei cauſa*, l. nulli 28. §. quod ſi teſtator, ibi: *Barbara ſit nationis*, C. de Epiſcop. l. ſi fugitiui 3. C. de ſeru. fugitiu. l. ſi quos, pen. C. de captiu. in illis verbis, *vtrum forſitan aliquis cum Barbaris voluntate fuerit, an coactus*, & in l. 2. C. quæ res venire non poſſunt, prohibitum eſt, ne priuati ſericum emere poſſint à Barbaris; à Perſis ſcilicet, qui hoſtes Romanorum erant, & à quibus ipſi Romani ſericum didicere: à quibus illud emendi ſolum commerciorum comiti licentia tribuitur. (Erat au- 6
tem commerciorum comes, qui commercijs præpoſitus erat, & cuius authoritate alienigenæ peregrini, & Barbari ad commercium cum Romanis admitti poterant, vt cõſtat ex l. vltima, C. de commerc. vbi proſcriptionis bonorum, & exilij pœna contra illos conſtituitur, qui peregrinos mercatores ſine commerciorum comitis licentia ſuſceperint. Cuius etiam fit mentio in l. vnic. C. de annon. & capitat. Adminiſtrantium.) Similiterque, in l. 1. & 2. C. quæ res exportari poſſunt. Barbari pro hoſtibus accipiuntur, illiſque neceſſarias res ad victum, & arma vendi prohibitum eſt, vt Imper. Marcianus ſcribit, *pernicioſum Romano Imperio, & proditioni proximum eſt, Barbaros, quos indigere conuenit, telis eos, vt validiores reddantur, inſtruere*; ſicut etiam aurum illis præbere interdicitur, in leg. 2. C. de commerc. Ex quibus palam fit, *Barbaricum* pro Barba- 7
rorum, vel hoſtili ſolo vſurpari, in l. 2. C de commerc. & in l. 1. C. quæ res exportar. poſſeſſ. leg. vltim. C. de

O Eunuch.

Eunuch. conſtatque, ex Eutropio, lib. 9. vbi de Decijs patre,& filio locutus, *vterque*, ait, *in Barbarico interfecti ſunt*: & lib. 7. *Albis*, inquit, *in Barbarico, longe vltra, Rhenum eſt*, Ammian. Marcel. lib. 18. *viſus in Barbarico miles, per Hortarij Regna tranſibat intacta*. Recte igitur in Impp. reſcripto. quod extat in dict. leg. cum non 5. C. de poſtlim. reuerſ. & captiu. poſtliminij ius illi conceſſum eſt, qui à Barbaris fuerat traditus; quod tamen non concederetur, ſi Barbarorum appellatione, hoſtes non ſignificarentur: qui ab alijs, quam ab hoſtibus, quibus publicè bellum indictum eſt, capti, nec ſerui eorum fiunt, nec poſtliminij iure indigent, vt eleganter Vlpianus ſcribit in l. hoſtes 24. D. de captiu. & poſtlim. reuerſ.

8 Secundo animaduerſum volo quod ex Florentino refertur in l. nihil intereſt. 26. D. de captiuis,& poſtlim. ad generale, & commune ius poſtliminij pertinere: Inſtitutionem enim libris, ex quibus illa lex deſumpta eſt, generalia iuris præcepta tradens Conſultus, rectè docet nihil intereſſe quomodo captiuus fuerit reuerſus vtrum dimiſſus, an vi vel fallacia poteſtatem hoſtium euaſerit: quia ita apud omnes gentes ius poſtliminij obtinebat, & apud ipſos etiam Romanos, in illis qui in pace peruenerunt ad alteros, dict. leg. in bello 12. in principio vel ab illis capti ſunt, quibus non erat bellum publice indictum l. poſtliminij 5. §. in pace. D. de captiuis,& poſtlim.

9 Deſcendit etiam ex ſuperioribus vt transfugæ, poſtlimij ius non habeant. leg. item ei 14. D. ex quibus cauſis maiores, leg. poſtliminium 19. §. transfugæ, D. de captiuis, leg. ſi quos forte 19. C. eodem: ſi enim ignauis poſtliminium denegatur, dict. leg. poſtliminium, D. de captiuis, quanto magis illis, qui perfidè ad hoſtes transfugerũt. Præſertim quia quibus reuerſis igne vel furca vita erat adimenda, leg. aut damnum. 8. §. hoſtes l. ſiquis 38. §. transfugæ, D. de pœnis. l. proditores, 7. D. de re militari, ciuitatem concedi nefas habebatur. Nec obſtat lex transfugam 51. D. de adquirendo rerum dominio, vbi ſcribit Iuriſconſultus transfugam iure belli

recipi,

recipi, nam reſpondendum eſt; vel cum Cuiac. lib. 4. obſeru. capit. 9. ius belli non de poſtliminio intelligi in dict. leg. ſed de generali belli iure, quo ſicut licet hoſtes occidere, leg. 3. §. vltimo, D. ad legem Corneliam de Sicar. Petrus Faber lib. 2. ſemeſt. cap 3. ita, & transfugas, id eſt eos qui ab hoſtibus deſciuerunt recipere, & retinere permiſſum eſt; vel cum Antonio Fabro Iuriſpruden. Papinianæ titul. 11. principio 8. illatione 10. ita Pomponij reſponſum interpretandum, vt dicat transfugam iure belli recipi, tanquam hoſtem ad differentiam cæterorum, qui non iure belli recipiuntur, vt ſerui ſint, ſed iure poſtliminij, vt ciues, & liberi maneat. Niſi forſam cum Giſan. ad titulum, D. de adquirendo rerum dominio in dict. l. deciſionem illius legis ad ſeruum transfugam reſtringamus.

Non ſolum autem poſtliminij iure famæ ciuium Romanorum, ſed etiam bonis proſpectum fuit, dum omnia eis iura in ſuſpenſo retinentur, l. illa inſtituto. 32. §. 1. D. de heredibus inſt. l. cum heredes, §. 1. D. de adquirenda poſſeſſione, vt ſi reuerſi fuerint omnia in dominio habuiſſe, & filios in poteſtate retinuiſſe videantur, l. 1. §. 1. D. ad S. C. Macedon. l. penul. D. de ſuis, & legitimis: non quaſi ſtatus eorum, qui capti ſunt impendenti fuerit, ſed tantum iura ciuitatis in quæ locum habet fictio, non in ſtatu: quia perſonæ cohæret, Anton. Faber in Iuriſprudentia, titul. 11. 11
principio 7. Quod ſi ibi deceſſerint, filios ex inſtanti captiuitatis per legem Corneliam ſui iuris effectos apparet, 12
non captiuitate, ſed morte, §. ſi ab hoſtibus Inſtit. quibus modis ius patriæ poteſt. d. l. 1. d. l. penultima. Vnde eſt, vt quæ filius familias medio tempore adquirit, vel patri ſi reuerſus ſit vel ipſi filio patre apud hoſtes defuncto quæſita dicantur, d. l. penultima, D. de ſuis, & legitimis, l. in bello 12. §. 1. D. de captiuis, & poſtlim. l. proponebatur in fine, D. de Caſtrenſi pecul. leg. bona. 22. §. quod ſi filius, D. de captiuis, vbi ea verba, *& ſi viuo patre decedat*, vel legenda nec ſi viuo patre, vt Accurſ. ad l. ſi is qui pro emptore in d. §. quod ſi filius, verbo pertinebit, & Cuiacius lib. 62. Dig.

Iuliani in eodem §. exiſtimant, vel de eo caſu accipienda quo pater reuerſus fuit; vt ratio à I. C. ſubiecta ſuadere videtur, quæ verò per ſeruos adquiruntur, vel ad dominum ſi reuerſus ſit, ex iure poſtliminij vel ad heredes eius ſi apud hoſtes deceſſerit ex lege Cornelia pertinebunt, l. 1. D. de captiuis; *& meritò quia ſerui bonorum fuerunt, & eſſe perſeuerant filij ſui iuris, ſibique ideo adquiſiſſe intelliguntur*, vt eleganter Iur. Conſult. in d. l. in bello 12. §. 1. D. de captiuis, & poſtlim.

13 Hincque eſt vt poſtliminium definiatur, *ius amiſſæ rei recipiendæ ab extraneo, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, inter nos ac liberos populos legibus, moribus, conſtitutum*, l. poſtliminium 19. in principio, D. de captiuis; explicant præter Balduinum, Giſanium, Borcholthen, doctiſſimum Doctorem Anton. Pichardum in §. Si ab hoſtibus, Inſtitut. quibus modis ius; Petrus Gregor. lib. 10. ſyntag. cap. 5. Cuiacius lib. 12. obſeru. cap. 23. Donel. lib. 2. commentar. cap. 26. Anton. Faber in Iuriſprudentia tit. 11. principio 7.

14 Cum autem eius duæ ſint ſpecies, vt aut nos reuertamur aut aliquid recipiamus, l. cum duæ 14. D. de captiuis, qui ab hoſtibus reuerſi ſunt, omnia priſtina iura recipiunt; ſed qui in ciuitate fuerunt non omnes res ab hoſtibus recuperatas per poſtliminium habent, ſed tantum filios, naues longas, & onerarias ad belli vſum, ſeruos, & equos, l. 1.

15 d. l. 14. D. de captiuis. Ideòque, & ſeruus qui apud hoſtes eſt propter ſpem poſtliminij legari poteſt, l. id quod 9. l. ſeruus 98. D. de legatis 1. reuerſus enim domino reſtituitur. Adeo vt, & ſeruus transfuga poſtliminio recuperetur, *ne contrarium ius non tam ipſi iniurioſum, qui ſeruus ſemper manet quam domino damnoſum, conſtituatur*, l. poſtliminium 19. §. ſi verò ſeruus, D. de captiuis, quod, & in ſtatu libero locum habet, niſi conditio libertatis antequam reuertatur extiterit, dict. leg. poſtliminium 19. §. ſi ſtatu liber, quia conditione pendente ſeruus eſt, leg. 9. in principio, leg. ſtatu liberos 25. leg. ſtatu liberi 29. D. de ſtatu liberis: ſerui autem, cum ciuitatem non habeant, nec caput in ciuitate, leg. quod attinet 22. D. de regul. iuris, tranſ-

fugiſſe

fugiſſe videri non poſſunt. Secus autem eſt in filio familias transfuga, nam patri ſicut, & patriæ amittitur, paterque antiquiorem diſciplinam caſtrorum, quam charitatem liberorum habet, d.l.19.§.filius quoque.

Cæ:era quæ ad poſtliminij fictionem ſpectant, & ex ſuperioribus deſcendunt principijs, doctè, & ingenioſè, vt ſolet, proſequitur Iuriſprudentiſſimus Faber in Iuriſprudentia, tit.11. principio 7.&.8.vnde petenda, nos enim ea tantum referenda duximus, quæ & neceſſaria erant, & explicatione egere videbantur. 16

C A P. VIII.

De lege Cornelia, & illius origine, & de poſthumo Corneliano ad explicationem tex. in leg. qui vxorem 15. D.de iniuſt. rupt.

NVnc ad legem Corneliam accedamus, quæ lata eſt primo Punico bello a Lucio Cornelio Sulla dictatore, & Conſule cum Quinto Metello, Pio Ballearico anno ab vrbe condita 673. & ante Chriſtum natum 77. nam cum primo punico bello quindecim millia ciuium Romanorum cum Marco Attilio Regulo capta fuiſſent, & eos ex more antiquo redimere noluiſſent Romani, ne tot Ciuium teſtamenta per captiuitatem irrita illis non reuerſis, & poſtliminij iure ceſſante efficerenter, l. ſiquis filio 6. §. quatenus, D. de iniuſto rupto, §.non tamen, Inſtituta quibus modis teſtamenta, Lucius Cornelius Sulla legem rogauit, quia conſtitutum eſt, vt quilibet ciuis Romanus qui teſtamenti factionem habuiſſet, l. pater 10. §.1.D.de captiuis, & poſtlim. ſi apud hoſtes decederet, eo inſtanti quo caperetur, & ſic ciuis Romanus deceſſiſſe videretur, l. in omnibus, D.de captiuis cum alijs ſupra num. 24. citatis, hæc igitur lex, & hereditatem captiui inducit, leg. in bello, 12.§. 1. D. de captiuis, 1

& heredem facit, l. filius familias 18. D. ad l. falcidiam, & teſtamenta illius perinde confirmat, ac ſi in ciuitate deceſſiſſet, l. 1. §. lex falcidia, D. ad l. falcid. l. lex Cornelia 12. D. de teſtamentis.

2 Vnde fit, vt ſi is qui prægnantem vxorem habebat ab hoſtibus captus ſit, & eo adhuc viuo filius naſcatur, teſtamentum ſtatim rumpti certum ſit, nec filio ante patrem mortuo connaleſcere, l. qui vxorem 15. D. de iniuſto rupto: quia teſtamentum quod alioqui per captiuitatem irritum factum, d. l. ſiquis filio 6. § irritum, amplius rumpi non poterat, l. nam & ſi, verſiculo poſt defectum D. de iniuſto rupto, fictione tam poſtliminij, quam legis Corneliæ ſuſtinetur, & habile, vt rumpi poſſit, conſtituitur: Ideoque continuo teſtamentum rumpi reſpondet Iauolenus: quia quamuis lex Cornelia locum non habeat, quouſque captus pater incipiat mori; nec enim antea inducere hereditatem, poteſt, quæ viuentis nulla eſt, l. 1. & 2. D. de hereditate vel actione vend. poſtliminij tamen fictio omnia iura in illud tempus ſuſpendit, & conſeruat, dict. leg. illa inſtitutio. 32. §. 1. de heredibus inſtit. dict. leg. penultim. 2. D. de ſuis, & legit. conſeruatque, & firma Corneliæ legis fictioni tradit, quæ eo inſtanti incipit, quo poſtliminij fictio deſinit. Atque ideo in noſtro caſu vtriuſque fictionis poteſtate, teſtamentum vires ſuas cum retinuerit; quia, vel numquam irritum fuiſſe ex poſtliminio, vel confirmatum fore ex lege Cornelia certum ſit, per natiuitatem præteriti poſthumi rumpitur; non propter ſpem conualeſcentiæ, vt Doctores tradunt notati ab Antonio Fabro lib. 10. coniect. cap. 9. ſed quia numquam infirmum fuit; nec ſuſtinetur, ſi filius viuo adhuc apud hoſtes patre deceſſerit, vt Iauolenus in præſenti ſcribit.

3 Quod equidem difficile eſt, cum filio præterito ante patris obitum nato, & mortuo teſtamentum ſuſtineri, & ſecundum tabulas poſſeſſionem dari debere Imperator Adrianus conſtituerit, leg. 12. D. de iniuſto. rupt. Nec ſatis facies ſi dixeris Iauolenum ante Adriani

ni tempora vixiſſe, & ideo ex iure quod ante illam coſtitutionem obtinebat, reſpondiſſe; nam Iulianus Adriani tempore floruit: & tamen idem quod Iauolenus, etiam ipſe ſcribit in leg. 22. §. vltimo, D. de captiuis.

Vnde interpretes, in dict. leg. poſthumus 12. & in dict. leg. qui vxorem, reſpondere ſolent, conſtitutionem Adriani, ad poſthumum illum pertinere, qui viuo patre, & natus, & mortuus eſt, vt ex dict. leg poſthumus, conſtat, non ad eum qui poſt mortem patris, l. 2. & 3. C. de poſthum. heredibus inſtituendis, ideoque cum in dict. leg. qui vxorem, filius licet ante mortem naturalem patris, poſt eius tamen captiuitatem editus fuerit, patre poſteà defuncto apud hoſtes, per legem Corneliam efficitur, vt poſt mortem patris natus videatur, qui poſt eius captiuitatem editus eſt: quaſi tunc pater deceſsiſſet, leg. pater 10. leg. in omnibus, D. de captiuis. Ideòque ait Cuiacius in hac leg. qui vxorem, poſthumum hunc Cornelianum Velleanum non eſſe, cum poſt mortem patris natus videatur: conſtitutionem autem Adriani ad Velleanos poſthumos, ideſt qui poſt teſtamentum ante teſtatoris mortem naſcuntur pertinere, dict. l. 12. D. de iniuſto rupto. 4

Sed verius eſt poſthumum hunc viuo patre natum fuiſſe, ideoque, & Velleanum eſſe, l. Gallus, §. nunc de lege, D. de liberis & poſth. nec enim lex Cornelia pertinere potuit ad illum qui tempore mortis patris, cum ipſa incipit locum habere in rebus non erat humanis. Rumpit igitur Velleanus hic poſthumus, poſt teſtamentum, viuo patre natus, teſtamentum l. 3. §. 1. D. de iniuſto rupto, quod quia vires ſuas recipere, vel confirmari potuit irritum nondum factum eſt, atque habile vt rumpatur remanet. Sed cum lex Cornelia poſtea id ruptum inueniat, vtique non confirmat atque ita euenit vt teſtamentum rumpatur per legem Corneliam, quæ id habile reddidit vt rumperetur, & vt poſtea, lex Cornelia eum quia ruptum eſt non 5

confirmante, nullum tempore mortis teſtatoris apareat, l.22. §. vltim. D.de captiuis, quod antea, non nullum, ſed ruptum fuerat, d. l. qui vxorem prægnantem. Non itaque mirum ſi ideo rumpatur, quia vel validum fuit, vel confirmati potuit. Ideo autem, non confirmetur quia ruptum fuit, & ideo Iulianus in d.l.22. in fine, nullum dicat eſſe hoc teſtamentum, quod Iabolenus ruptum eſſe docuit in d. l.
6 qui vxorem. Nec obſtat, d.lex poſthumus 12. D.de iniuſto rupto, ea enim conſtitutio, licèt pertineat ad eum poſthumum qui viuo patre, & natus fuit, & deceſſit qualem eſſe fatemur hunc de quo Iauolenus tractat: non tamen pertinet ad teſtamentum, quod, & ruptum, & irritum factum eſt. Cum, & minus ſit fauorabile, & Prætor bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas, non aliter dare poſſit, quam ſi teſtator vtroque tempore, & teſtamenti conditi, & mortis teſtamenti factionem habuerit, l. 2. §. ſufficit, & §. exigit, D.de bonorum poſſeſ. ſecundum tab. Faber lib. 9. coniecturarum, c.15. Eſſet itaque noſtra ſpecies ſimilior illi de qua in d.l. poſthumus, ſi pater cuius filius eo apud hoſtes degente, & natus, & mortuus fuit, ab hoſtibus fuiſſet poſtea reuerſus, & in ciuitate deceſſiſſet, vide Anton. Fabrum Iuriſp. tit. 11. principio 9. illatione 4.

CAP. IX.

De ſubſtitutione impuberi filio facta per legem Corneliam confirmanda, & conciliatione legis lex Cornelia, 28. l. ſi pater 29. D. de vulgari cum l. pater 10. l. quod ſi filius 11. D. de captiuis, & poſtliminio reuerſ.

1 NOn ſolum ad hereditates eorum, qui in hoſtium poteſtatem peruenerunt lex Cornelia pertinet, ſed etiam ad omnes, quæ ad quemcumque ex eorum teſtamento pertinere potuiſſent, ſi in hoſtium poteſtatem non

non perueniſſent,l.lex Cornelia 28.D.de vulg.l.bona 22.in principio,D.de captiuis,Bart.Alexand.& Paulus in d. l.lex Cornelia de vulgari, Cuiac. lib.15.obſeruation.cap.17. & lib.29. quæſt.Papiniani in l.pater 10. D. de captiuis. Vnde fieri Iulianus exiſtimat, vt ſi pater qui ab hoſtibus captus eſt filio pupillariter ſubſtituerit, nõ tantum principale teſtamentum, ſed etiam ſecundæ tabulæ ex lege Cornelia vires accipiant, d. l.28. de vulgari,& rectè:nam cum patris & filij vnum ſit teſtamentum, l.2.§. prius, D.de vulgari, l. pater familias 28. D.de rebus auctoritate iudicis, aliàs 13. de priuileg. creditorum, §. igitur Inſt.de pupil. vel duo, l. in duplicibus 79. D.ad legem Falcidiam, l.1.§. 1. D. ſi cui plus quam per leg.quæ tamẽ vnius loco habeantur,l.patris 20.D.de vulgari,conſequens eſt,vt ſi pupillare:quia acceſſorij locum obtinet,l.ex pupillari 44. D. de vulgari, l. penultima, D. teſtamenta quemadmodum aper. l. quidem 5. §. vltimo, C. de neceſſarijs ſeruis, principali deſtituto deſtituitur, irrito,irritatur;etiam confirmato confirmetur rato conſtituto,ratum conſtituatur, l.2.§.1. D. de vulgari, l. apud Iulianum 11.§. idem Iulianus, D. ad Trebel. Antonius Faber lib.10.cõiecturarum cap.4.& de erroribus pragmat. decade 32. errore 1. & nouiſſimè decade 100.errore 10. Vbi mentionem facit quæſtionis illius, quam ad eum ſcripſimus lib. epiſtolicarum exercit.exercitatione 1.

De hac igitur pupillaris teſtamenti per legem Corneliam confirmatione, varijs caſibus propoſitis tractant Cõſultorum prudentiſſimi, & ſubtiliſſimi Iulianus in d. leg. lex Cornelia 28. Scæuola in l.ſi pater 29.D. de vulg. Papinianus in l.10 & in l.11.D.de capt.tanta ſubtilitate,& obſcuritate, vt Cuiac. lib.29. quæſt.Papin. in l.pater 10.ſcripſerit,deſperaſſe aliquando ſe ad huius quæſtionis intelligentiam venire poſſe,& Fab.lib.10.coniecturarum cap.4.& ſequentibus, ea quæ lib.3. cap.9. ſcripſerat, retractauerit, ſed I.C.doctrinam ſequutus quam breuiſſime caſus,à Iuriſconſultis propoſitos explicare,& enarrare conabor. 2

Primus eſt quem Iulianus in l. lex Cornelia 28. in principio, D. de vulgari, & Papinianus in l. pater 10, in principio, 3

cipio, D. de captiuis, proponunt; cum videlicet pater filio pupillariter ſubſtituit, & ab hoſtibus captus ibi deceſſit huiuſque poſtea in ciuitate mortuus eſt impubes, in quo reſpondent ſubſtitutionem pupillarem valere. Sed age quæ contra Conſultos adduci poſſunt, & adducamus, & diluamus. Et quidem obſtare videbatur, quod ſubſtitutio pupillaris in eius perſona, qui viuo patre ſui iuris effectus fuit locum non habet, l. 41. § cum filiæ, D. de vulgari, filius autem hic per captiuitatem patris ſui iuris effectus fuit, l. 12. §. 1. ibi: *Vtrumſui iuris facti*, l. bona, 22. §. quod ſi filius, D. de captiuis, §. ſi ab hoſtibus, verſic. ſi vero Inſt. quibus modis ius patriæ. Igitur ſubſtitutio, de qua tractant Iuriſconſulti, valere minimè poterit, ſed legitimi heredes filij excluſo ſubſtituto admittentur. Reſpondet tamen Papinianus legis Corneliæ fictione effici, vt pater qui non reddit, eo inſtanti quo captus eſt deceſſiſſe videatur: ideòque cum non captiuitate, ſed morte filius patria ſolutus fuerit poteſtate, ſubſtitutionem ſuas vires neceſſario habere.

4 Sed replicabis, legem Corneliam non ſufficere: quia licet fingere poſſit, captiuum eo inſtanti quo caperetur vita migraſſe, non tamen poteſt efficere, vt filius in eius fuerit poteſtate, cum fictio illa ad teſtatoris tantum perſonam, & commodum non filij pertineat: ideòque ex lege Cornelia filius inuitus fit heres patri non ſuus, l. lex Cornelia 12. D. qui teſtamenta facere poſſunt. Nihil ad hanc obiectionem Papinianus, ſed pro Papiniano non inferior Conſultus Faber, dict. lib. 10. coniecturarum cap. 4. reſpondet rationem illam Conſulti ad ſpeciem tantum de qua tractabat pertinere; cum ſcilicet filius eſt inſtitutus: tunc enim non poteſt lex Cornelia teſtamentum patrius prius confirmare, quam perſonam heredis conſtituat cui deferat hereditatem, argumento l. quidam 14. D. de iure Codicillorum, nec hereditatem filio aliter deferre, quam ſi patrem pro mortuo habeat, l. 1. & 2. D. de hereditate, vel actione vend. filiumque in eius poteſtate fuiſſe præſuponat: exiſtimat igitur ſubſtitutionem factam filio

exhe-

exheredato ſi pater apud hoſtes decedat, & poſtea filius in
ciuitate non valere: quia lex Cornelia, non ſicuti patrem
eo inſtanti quo caperetur deceſsiſſe, ita & filium in eius
fuiſſe fingat poteſtate: illud namque ad commodum cap-
tiui patris, hoc ad filij perſonam ſpectat, de quo lex Cor-
nelia non cogitauit, d.l.12. D.de teſtamentis.

Sed exiſtimo plenius poſſe fictionem legis accipi: nam 5
ſi pater qui non redit, iam tunc deceſsiſſet intelligitur, ex
quo captus eſt, ſicut ſubſtitutio pupillaris valeret ſi tunc
verè deceſsiſſet: quia filium ſiue inſtitutum, ſiue exhere-
datum in poteſtate habebat tempore mortis, d.l. coheredi
41. §.cum filiæ, D. de vulgari, ita & fictitia morte, per le-
gem Corneliam, eo inſtanti inducta, ſubſtitutio ſuas vires
neceſſario tenet. Nec obſtat quod lex Cornelia filij per-
ſonam non attendit: eo enim ipſo, quod patrem deceſsiſ-
ſe fingit eo tempore, quo nec dominium rerum, nec teſ-
tamenti factionem, nec patriam amiſſerat poteſtatem;
conſequenter, & teſtamenti factionem habuiſſe, & domi-
nium rerum patriamque poteſtatem retinuiſſe præſuponit.
Alioqui enim quo modo teſtamentum illius confirmare
poſſet, qui nullius obijt rei dominius? *Cum non efficiatur
per eam, vt qui nulla bona in ciuitate reliquit heredes habeat*, l.
lex Cornelia 28. D.de vulgari.

Sed vrget adhuc Antonius Faber lib.10. coniecturarum 6
cap. 10. ideò patriam poteſtatem per legem Corneliam,
non confirmari: quia captiuitate extincta fuerat: fictio
autem, legis Corneliæ, cum tempus mortis naturalis expe-
ctet; quæ tunc in rerum natura non inueniuntur, captiui-
tatis tempore fuiſſe, fingere minimè poteſt, cum extre-
mum à quo deficiat, ſine eo autem ad extremum ad quem
peruenire non ſit poſſibile. Sed inquiro à doctiſſimo viro 7
nonne teſtamentum in ciuitate factum, quod captiuitate
irritandum erat, l. 6. §. irritum, D. de iniuſto rupto, ideò
lex Cornelia confirmat: quia validum id per fictionem
poſtliminij inuenit? Fatetur lib.10. coniecturarum cap. 9.
& 10. Nonne ideò in ſuſpenſo eſt teſtamentum, quia om-
nia iura in ſuſpenſo ſunt? non negat, At poteſtatis in filios,

& ſeruos ius nonne inter iura patris, vel domini eſt, cum etiam filios poſſit adiecta cauſa pater vendicare, l. 1. §. per hanc, D. de rei vendicatione? concedit dict. lib. 10. cap. 3. in fine. Ius igitur ſuitatis in filio, & poteſtatis in patre, non abruptum, ſed in ſuſpenſo erit? afirmat d. cap 3. in fine: ergo per l. Corneliam confirmabitur ſicut & teſtamentum, cum fuerit per captiuitatem extinctum. Qua enim ratione teſtamentum: quia in ſuſpenſo fuit confirmabitur patria autem poteſtas non quæ ſicut, & teſtamentum nunquam amiſſa poſtliminij poteſtate videtur. Præſertim, quia ſi vt Faber exiſtimat patria, & dominica poteſtas per l. Corneliam, non confirmarentur, libertates in teſtamento captiui ſeruis adſcriptæ, vtpote à non domino, l. 15. l. nulla 19. l. ſi ſeruo 20. D. qui & à quibus manumiſſi, l. 2. l. 3. l. 4. & toto titulo, C. de his qui à non dominis manum. Et tutelæ filijs conſtitutæ non valerent, l. 1. l. pater 4. D. de teſtamentaria tutela. §. permiſſum, Inſtit. de tutelis, quod equi-
8 dem abſurdum eſſet, & odio plenum. Putauerim igitur confirmari patriam poteſtatem, & conſequenter ſubſtitutionem filio, ſiue inſtituto, ſiue exheredato factam valere, ſi filius poſt patrem impubes moriatur, d. l. 28. de vulgari: quia lege Cornelia efficitur, vt non viuo patre ſui iuris effectus, ſed morte illius poteſtate liberatus videatur, l. 44. §. vltimo de vſucap. vbi ea ratione docet Papinianus filium captiui, apud hoſtes defuncti retro ſibi poſſediſſe: quia lex Cornelia iungit tempus mortis, captiuitatis inſtanti, non quia ea ceſſante, per captiuitatem patris filius ſui iuris fuerit effectus.

9 Nec obſtat l. lege Cornelia 12. D. de teſtamētis, ibi enim non poſſe dici ſuum heredem filium captiui propriè, & naturaliter I. C. docet ſicut & in l. 4. §. 1. D. de bonis libertorum, libertū captum, non propriè libertum eſſe, & in l. 3. in fine, D. de verborum ſignificatione eius, qui apud hoſtes eſt dici hereditatem non poſſe: non autem negat ex fictione legis Corneliæ ſuum heredem effici, l. captum, C. de poſtliminio, ſicut & ex ea hereditatem captiui conſtituit, l. filius familias 18. D. ad l. Falcidiam, Cuiacius ad titulū de teſta-

teſtamentis, in dicta l. lege Cornelia,quibus explicitus eſt primus caſus.

Nunc ad legem quod ſi filius 11. D. de captiuis, & ſe- 10
cundam ſpeciem, quamuis à Papiniano tertio loco propoſitam accedamus. Tractauerat I.C. in principio, d. l.pater 10. de illo filio, qui cum pupillarem ſubſtitutum haberet poſt mortuum apud hoſtes patrem, ipſe in ciuitate impubes deceſſerat, dixeratque tabulas ſecundas in eius perſona locum habere ratione ſupra à nobis explicata: nũc quia dubitare aliquis poſſet, quid dicendum eſſet ſi filius non poſt naturalem mortem patris, ſed ante eam poſt captiuitatem vero deceſſiſſet; reſpondet hoc caſu nihil eſſe,quod de ſecundis tabulis tractari poſſit: *Siue quoniam viuo patre filius familias mori intelligitur, ſiue quoniam non reuerſo eo exinde ſui iuris videtur fuiſſe ex quo pater hoſtium potitus eſt.* Quaſi dicat nullo caſu pupillarem ſubſtitutionem valere:nam vel ſi reuerſus fuerit pater, viuo eo filius familias mori intelligitur, & conſequenter incapax bonorum, & teſtamenti habendi, l. 28. D. de vulgari, cum pater eum in poteſtate habuiſſe retro fingatur, l. penultima, D. de ſuis, & leg. l. 12. §. 1. D. de captiuis, vel ſi apud hoſtes decedat, ex eo inſtanti quo captus eſt ſui iuris fuiſſe videbitur, & conſequenter viuo adhuc patre: ideòque pupillaris ſubſtitutio irrita fiet, d. l. coheredi,§. cum filiæ, D. de vulgari.

Quod equidem contra omnia à nobis ſupra tradita, & 11
præcipuè contra ipſius Papiniani reſponſum in d. l. pater 10. in principio, D. de captiuis ſtare videtur: nam ſi lex Cornelia iungeret tempus mortis tempori captiuitatis, & eo inſtanti captiuum deceſſiſſe præſuponeret, non reuerſo patre, ſubſtitutio pupillaris valeret; nec minus ſuas vires neceſſario teneret cum filius poſt captiuitatem patris deceſſit, quam ſi poſt mortem naturalem deceſſiſſet: nam ſi captiuitas in vtroque caſu pro morte habetur, quid refert, an poſt mortem naturalem, an antea filius decedat dummodo poſt captiuitatem mortuus ſit? Cum enim pater per l. Corneliam deceſſiſſe videatur ex quo captus eſt, dict. l.32. §. ſi ambo, D. de donationibus inter d. l. pater

10.

10. qui poſt captiuitatẽ deceſſit poſt mortẽ deceſſiſſe videtur. Cum autem quis morte patris ſui iuris efficitur, valent vtique tabulæ pupillares, d. l. coheredi, §. cum filiæ: ideòque huic Papiniani ſententiæ, eadem illa iuris ratio aduerſatur, quam ipſe quibuſdam, ſubſtitutionem in primo caſu non admittentibus, obſtare dicebat, in d. l. pater 10. in principio.

13 Sed reiecta opinione Bartoli, Alexandri, & Pauli in hac leg. quod ſi filius, & in dicta l. lex Cornelia 28. D. de vulgari, Acoſtæ in cap. ſi pater ſecunda parte. § teſtatore mortuo, num. 13. & ſequentibus, qui legem Corneliam locum in hac ſpecie non habere, cum præſuponant, nec huius rei cauſam explicent, difficultatem integram relinquunt. Item omiſſa Cuiacij ſententia lib. 29. quæſt. Papinian. in dict. l. pater 10. quæ & antea Cumano placuerat in dict. l. lex Cornelia: quia eam, & ratio Conſulti, ſubſtitutionem non valere præſeferens, & quæſtionis difficultas ipſis etiam Iuriſconſultis in explicabilis conuincunt; & refutant Emanuel Acoſta loco ſupra citato, & Faber dict. lib. 10. coniecturarum cap. 6.

14 Reſpondendum eſt cum Accurſio in dict. l. quod ſi filius, verbo exinde; eleganter Papinianum docuiſſe nihil eſſe, *quod de ſecundis tabulis tractari poſſit*, id eſt, ſecundas tabulas non valere, cum filius medio tempore, inter captiuitatem patris, & mortem deceſſit: quia ſi pater reuerſus ſit, viuo eo filius familias per fictionem poſtliminij deceſſiſſe intelligitur, & conſequenter, nec bona, nec teſtamentum habere potuiſſe, dict. l. 28. D. de vulgari: *Si vero ibi deceſſerit pater, exinde ſui iuris fuiſſe filius videtur, ex quo pater hoſtium potitus eſt*, non per mortem patris fictam: tunc enim ſubſtitutio ſuas vires haberet, d. l. 10. in principio, D. de captiuis, ſed per captiuitatem patris ceſſante, lege Cornelia quo caſu corruit teſtamentum pupillare, d. l. coheredi, §. cum filiæ, D. de vulgari.

15 Sed inquies, quare poſtliminij fictio in hac ſpecie locum habeat, vt filius, iam cum pater redit, mortuus, in eius poteſtate, & ſic filius familias deceſſiſſe videatur, d. l. pe-

l.penultima, D.de ſuis & legitimis, leg. proponebatur, D. de caſtrenſi: lex autem Cornelia ceſſet, vt filius non morte, ſed captiuitate patris ſui iuris effectus, obijſſe intelligatur.

Ratio autem huius diuerſitatis ex eo pendet; quod fictio poſtliminij ſtatim captiuo patre incipit, & omnes res 16
quas tunc in eius reperit poteſtate, ſemper in ea, ſi captiuus poſtea reuertatur, fuiſſe fingit; & conſequenter hunc filium de quo tractamus, d. l. penult. D.de ſuis & leg. d. l. proponebatur, D.de caſtrenſi, l.in bello 12.§.1. D.de captiuis. At lex Cornelia, vt ſupra docuimus, non antea locum 17
habet quam teſtatore moriente, poſtliminij poteſtas ceſſauerit: ideòque ea tantum confirmat, quæ tunc in rebus humanis inuenit: ad ea autem, quæ iam extincta ſunt non pertinet, qua propter nec adhunc filium de quo tractamus potuit extendi. Nec enim vita filij, quam retrotraheret, inuenit, mors autem, cum nihil ſit, retrotrahi non poteſt. Facit etiam ratio ſubtiliter excogitata ab Antonio Fabro lib. 10. coniecturarum capite 6. pagina 229. columna 2.

Tertius caſus à Iuliano, & Papiniano tractatus ille eſt 18
quando patre iam in ciuitate mortuo, filius impubes inſtitutus vel exheredatus, cui pupillaris ſubſtitutio facta eſt ab hoſtibus captus ibi deceſſit; in qua ſpecie reſpondet Papinianus in dict. l. pater 10. §. 1. D. de captiuis: *Quamuis lex Cornelia de tabulis ſecundis nihil loquuta, eius duntaxat perſonam demonſtrauerit, qui teſtamenti factionem habuiſſet, tamen non eſſe alienum prætorem*, ex voluntate patris, & mente legis vtiles actiones in hereditatem ſubſtituto concedere. Neque contrarium eſt, quod in hac eadem 19
ſpecie Iulianus ſcribit in d. l. lex Cornelia 28. §. 1. D. de vulgari, *non incommode dici, hereditatem pupilli ex lege Cornelia ad ſubſtitutum pertinere*: nam quod ex mente legis, vel voluntate Papinianus; ex lege fieri rectè Iulianus ſcripſit. Verbum enim ex legibus, ſi accipiendum eſt, tam ex legum ſententia, quàm ex verbis, l. 6. D. de verborum ſignificat. & ſicut in fraude legis fieri dicitur, quod ſaluis

verbis

verbis legis contra eius ſententiam fit, l. contra 29. l. in fraudem, D. de legibus, ita & ex lege fieri dicendum eſt, quod ex vi, & mente legis efficitur, licet ex verbis eius nõ fiat, l. 17. D. de legibus, docent Duarenus de legibus cap. 8. Matheacius de via & ratione iuris, cap. 1. num. 14. Hotmanus lib. 6. obſeruat. cap. 21. Tiraquel. in l. ſi vnquam 8. C. de reuocandis donat. verbo libertis num. 47. Donellus lib. 1. commentariorum cap. 13. & 14.

20 Ideòque vtiles actiones ſubſtituto concedi ſcripſit Papinianus, quæ tunc competunt, cum verbis legis in aliquo caſu deficientibus, idem tamen ſenſiſſe legislatorem veroſimile eſt, l. penultima, D. ſi quadrupes, §. vltimo, Inſt. de lege Aquil. l. ſi ſeruus 27. § ſi fornicarius, D. eodem, l. 1. C. de interdictis, Corraſ. ad legem his verbis 19. C. de adoption. Forcatul. dialog. 73. num. 1. & 2. Petrus Grego. lib. 21. ſyntag. cap. 8. num. 17. Donel. lib. 21. cap. 2.

21 Ideò autem in propoſita ſpecie tam Papinianus, quàm Iulianus, impuberem poſt mortem patris captum fuiſſe requirunt: quia ſi hoſtium viuo patre (quæ quarta ſpecies erit) fuiſſet potitus, retrotracta morte naturali, ad tempus captiuitatis filiusfamilias obijſſe videretur: ideòque nec teſtamentũ, nec heredem habere potuiſſet, d. l. lege Cornelia 28. verſic. ſi vero viuo, D. de vulgari, adeò vt etiam ſi pubes eſſet, non legitima ipſius hereditas, quæ filij familias nulla eſt, ſed patris ex l. 12. tabularum ad agnatum proximum pertineret, non obſtante filij perſona, cui nunquam delata fuit, l. 9. §. ſi filium, D. de liberis, & poſth. quibus explicatæ ſunt lex pater 10. de captiuis, l. Cornelia 28. D. de vulgari.

22 Quintus, & poſtremus caſus ille ſit, cum pater captus fuit ab hoſtibus mox filius ibique ambo, ſed prior pater deceſſit, in qua ſpecie aſſerunt interpretes non valere pupillarem ſubſtitutionem ex Scæuolæ reſponſo in l. ſi pater 29. D. de vulgari, cui, vt Papinianum concilient in d. l. quod ſi filius 11. §. ſed ſi ambo, D. de captiuis, verba illa, *non alias*, non aliter, interpretantur. Sed cum filius poſt fictam patris mortem captiuitatem ſcilicet, captus ſit Iulianuſque

nuſque, & Papinianus reſponderint in d. l. lex Cornelia 10. D. de vulgari, & in dict. l. pater 10. §.1.D.de captiuis, cum filius poſt mortem patris captus eſt, ſubſtitutionem ex mente legis Corneliæ valere; dum Papinianum Scæuolæ conciliare conantur; ſibi ipſi contrarium, & tam illum quam Scæuolam iuris rationi aduerſarium relinquunt.

23 Reiecta igitur interpretum ſententia, & ad hanc obiectionem reſponſione, quam conuincit Anton. Fab. dicto lib. 10. coniecturar.cap.7. dicendum potius eſt, tabulas ſecundas effectum habere, ſufficereque legem Corneliam ſubſtituto *non alias*, id eſt, *no de otra manera*, quam ſufficeret, ſi reuerſus in ciuitate impubes deceſſiſſet, vel perinde ac ſi reuerſus deceſſiſſet, vt Papin. ſcribit. Nec obſtat, d.l. ſi pater 29. vbi negationem, ab imperito aliquo, Papiniani ſententiam non aſſequuto, additam, ideòque tollendam cenſet Anton. Fab. vbi ſupra, legendumque *pertinebit*. Sequentem autem verſiculum, qui obſtare adhuc videtur non abſcindendum eſſe exiſtimarim, vt Anton. Faber docet, ſed loco illius dictionis *niſi*, legendum, *ac ſi*, ita enim elegans Iuriſconſulti ſententia remanebit, & Papiniani reſponſo accommodata, propoſitæque ſpeciei aptiſſima cui antea maximè aduerſabatur.

24 Nam cum propoſuiſſet Conſultus patrem, & filium apud hoſtes defunctos fuiſſe ineptum erat dicere non pertinere, legem Corneliam ad ſubſtitutum, niſi reuerſus filius in ciuitate deceſſiſſet. Quomodo namque reuerti poterat, & in ciuitate decedere, ille, quem mortuum fuiſſe apud hoſtes docuerat? Aiunt igitur tam Scæuola, quam Papinianus pertinere legem Corneliam ad ſubſtitutum, *non aliàs quam ſi*, vel *ac ſi filius in ciuitate deceſſiſſet*. Quod ſi emendationem omnino detrectaueris dici poterit, Scæuolam ſtricti iuris ſtudioſum, verba legis ſequutum, eam ad impuberem pertinere negâſſe in d. l. ſi pater 29. Papinianum autem ex eius mente, & voluntate ſicut in d. l. 10. §. 1. reſpondiſſe.

(.?.)

CAP. X.

De vſucapione captiui in heredes continuanda; Marcellique, & Iuliani diſſenſu, ad explicationem, l. ſi is qui pro emptore 15. D. de vſucapionibus.

1 EA quæ ad fictionum naturam explicandam exempla propoſuimus, diutius nos, difficultatibus quibus abũdant explicandis detinuerunt, ſed non vt arbitror inutiliter, certè ad huius legis ſi is qui pro emptore ſententiam, & veram rationem iuris inueſtigandam per quam neceſſario; cum Pauli reſponſum, & Marcelli contra Iulianum diſputatio ex hereditatis, poſtliminij, & legis Corneliæ fictionibus, quas explicuimus emanauerit, cuius vt interpretationem iam aggrediamur, nec enim ſtudiorum vicinum otium amplius in tam lata, & ſubtili materia immorari permittit, aduertendum eſt.

2 Licèt in vulgatis, Noricoque, & Thuſco libris, verſiculus; ideòque huius legis, ita legatur: *Ideoque in ſucceſſoribus locum non habere*, in alijs tamen exemplaribus affirmatiuè conceptus eſt, legiturque locum habere, vt conſtat ex Gloſſa in præſenti verbo non habere, Bart. num. 1. verſic. ſequitur nam, Paulo de Caſtro num. 5. verſic. circa tertiam Iaſone num. 9. Alciato 8. in hac l. noſtra, Anton. Auguſt. lib. 1. emend. cap. 3. Duareno ad titulum de vſucapionibus cap. 8.

3 Sed lectionem negatiuam amplexi doctiſſimi quidam viri, ita reſponſum Pauli interpretari ſolent. In prima eius parte fuiſſe quæſitum, an vſucapio ante captiuitatem in parte cœpta heredibus captiui apud hoſtes defuncti prodeſſet reſpondiſſeque Conſultum minimè id concedendum, ratione illa, quam ſubijcit: nam interrumpitur vſucapio, &c. ex naturali interruptione, quæ per captiuitatem fit, l. 23. §. 1. D. de adquirenda poſſeſſione, l. 5. D. de vſucapionibus

bus deſumpta: nam ſi ipſi reuerſo vſucapio non prodeſt, quia in ſua vita deſijt poſſidere, nec heredibus eius prodeſſe poterit, in quos plus iuris transferre, quam ipſe habuit non valet; in quo ſequuntur Bart. in præſenti num. 1. Iaſonem à num. 3. vſque ad 8. Paulum de Caſtro num. 2. 3. & 4.

At in §. quod ſi ſeruus, & ſecunda noſtræ legis parte dubitatum fuiſſe ſcribunt, an ſi ſeruus eius qui in hoſtium poteſtate eſt emerit, extra cauſam peculiarem (ita enim ſentiunt contra Bartolum, & communem) vſucapio, vel ipſi reuerſo proſit, vel eo apud hoſtes defuncto, per legem Corneliam ad ſucceſſores eius pertineat. In qua ſpecie reuerſo domino vſucapionem ſerui, per fictionem poſtliminij profuturam, Iulianum exiſtimaſſe docet, ſed ſi apud hoſtes deceſſerit dubitaſſe, an per legẽ Corneliam ad ſucceſſores eius perueniat. Marcellum autem plenius legis fictionem accepiſſe, quam Iulianus accipiebat, cenſuiſſeque etiã captiui heredibus legem Corneliam ad vſucapionem prodeſſe: ſed Paulus, inquiunt, huius legis auctor vtramq; ſententiam reprehendit, primam Iuliani in verſic. quemadmodum ea ratione: quia cum ipſi, ſi ab hoſtibus fuiſſet reuerſus propriam vſucapionem non profuturam certum ſit, vt in principio legis docuit I. C. nec ſerui poſſeſſionem prodeſſe conſequens eſt. Ne alioqui eueniret, vt plus iuris poſtliminio reuerſus haberet, in his quæ ſerui poſt captiuitatem eius egerunt, quam in his, quæ per ſe vel per ſeruum poſſidebat, cum ad hoſtes peruenit. Secundam verò Marcelli in verſic. nam hereditatem eó argumento conuincit, quod licet hereditatem vice perſonæ fungi receptum ſit hoc tamẽ non generaliter, ſed in quibuſdam cauſis, ijs ſcilicet, quæ iuris ſunt, procedit: in poſſeſſione autem de qua quæſtio erat, cum facti ſit minimè obtinet, l. hereditas 61. D. de adquirendo rerum dominio, l. 1. §. Scæuola, D. ſi is qui teſtamento liber eſſe: vndè concludit Paulus in ſucceſſoribus locum non habere vſucapionem.

Verum enimuero hanc receptam noſtri textus inter- 5

P 2 pre-

pretationem, vel paraphraſim nõ leues iuris rationes reijciendam ſuadent. Prima quod rationem illam, *quemadmodum, &c.* quam Paulo legis auctori tribuit Marcelli eſſe Iulianum notantis verius eſt. Quamuis enim non inficiet Paulum etiam Iuliani ſententias notaſſe, vt conſtat ex l. ſi quis 11. D. de eo quod metus cauſa, l. 4. D. de reſcindenda venditione in epigraphe, ex l. 3. § emancipatus, D. de collatione bonorum, l. 15. D. de mortis cauſa donationibus, l. 4. §. vltimo, D. de manumiſſis vindicta: tamen hoc præcipuum ſtudium Marcelli fuit, vtpote æmulatoris eiuſdem Iuliani, idque apparet ex epigraphe, l. interdum 14. D. de in rem verſo, l. 80 D. de leg. 1. l. non dubitamus 20. D. de conditionibus, & demonſtrationibus, l. 34. D. ad l. Falcidiã, ex contextu vero in l. verum 11. §. ſciendum, D. de minoribus, l. 4. §. ſi fundus, D. ſi ſeruitus vindicetur, l. 2. §. idem Iulianus, D. de eo quod certo loco, l. quam Tuberonis 7. D. de peculio, l. quæſitũ 40. l. Iulianus 42. aliàs ſi pupillus D. de adquirenda hereditate, l. 13. l. Marcellus 15. D. de mortis cauſa donationibus, l. apud Iulianum 3. D. quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur, l. 8. §. illud, D. de fideiuſſoribus, l. Marcellus 9. D. de verborum ſignificatione: non itaque mirum ſi Marcelli contra Iulianum (vt ſolet) diſputantis, nón Pauli rationem illam, *quemadmodum enim, &c.* eſſe affirmauerim. Præſertim cum verborum, & orationis contextus, aliter arbitrantibus, manifeſtè repugnet: poſt illa enim verba *Marcellus poſſe plenus fictionem legis accipi,* (quæ ſententiam Marcelli continent) ſtatim ſequitur ſententiæ ratio, *quemadmodum enim, &c.* ideòque neceſſario ad Marcellum referri debet, non ad Paulum, qui quæſtionem tantum propoſuit Iulianique, & Marcelli circa eam, controuerſiam refert.

6 Secunda ratio qua à ſuperiori interpretatione recedere compellimur illa eſt: quia legem Corneliam, tam in prima, quam in ſecunda noſtri textus parte captiui heredibus non prodeſſe, contra manifeſtam rationem iuris præſupponit, conſtat enim ex ſupra traditis legem Corneliam, quæ iungit tempus mortis, inſtanti captiuitatis, l. iuſto 44.

§. final.

§ final. D. de vſucapionibus efficere, vt qui rem antea vſucapiebat non poſſit dici in ſua vita deſijſſe poſſidere; cum ex quo captus eſt deceſſiſſe intelligatur, l. cum hic ſtatus 32. §. ſi ambo, D. de donationibus inter, l. pater 10. in principio, l. in omnibus 18. D. de captiuis.

Vndè cum lex Cornelia non minus quam lex 12. tabularum & hereditatem inducat, & heredem faciat, l. in bello 12. § 1. D. de captiu. l. 1. § lex Falcidia, D. ad l. Falcidiam, l. filius familias 18. eodem titulo. In hereditate autem iure ſingulari receptū fuerit, vt cœptam poſſit à defuncto vſucapionem continuare, & implere; & per ſeruos ex peculiari cauſa etiam incipere, l. nunquam 31. §. vacuum, l. cœptam 40. l. iuſto 44. §. nondum, D. hoc titulo: ideòque etiam in hoc perſonæ vice fungatur; vel negandum eſt legem Corneliam inducere hereditatem ex captiuitatis tempore, contra dictam legem in bello 12. §. 1. d. l. 1. §. lex Falcidia. d. l. filius familias 18. D. ad Falcidiam; vel concedendum cœptam vſucapionem à captiuo, qui apud hoſtes deceſſit ſucceſſoribus eius prodeſſe ex d. l. nunquam, d. l. cœptam, hoc titulo. 7

Tertio ſuperior interpretatio (dum noſtram legem, extra cauſam accipit peculiarem) Iulianum exiſtimaſſe præſupponit poſſeſſionem à ſeruo non peculij nomine apprehenſam, domino ab hoſtibus reuerſo profuturam; quod nec ſenſit quidem Iulianus, vt conſtat ex ipſius ſententia relata à Triphonino in l. in bello 12. §. facti, D. de captiuis, & ab eodem Iuliano propoſita lib. 62. Digeſtorum in l. bona 22. §. quæ peculiari, D. de captiuis; nec ſentire potuit, contra rectam iuris rationem, expreſſam in l. peregre 44. §. quæſitum, D. de adquirenda poſſeſſione, d. l. iuſto 44. §. final. D. hoc titulo de vſucap. l. ſi poſtliminio 29. D. de captiuis. 8

CAP. XI.

Pauli Iuriſconſulti reſponſum, in l. ſi is qui pro emptore, nouiter explicatur, & illius interpretatio iuris rationibus ſtabilitur.

XV. PAVLVS lib. decimoquinto ad Plautium.

Si is, qui pro emptore poſſidebat, ante vſucapionem ab hoſtibus captus ſit: videndum eſt, an heredi eius procedat vſucapio (nam interrumpitur vſucapio) & ſi ipſi reuerſo non prodeſt, quemadmodum heredi eius proderit? Sed verum eſt eum in ſua vita deſijſſe poſſidere: Ideoque nec poſtliminium ei prodeſt, vt videatur vſucepiſſe. Quod ſi ſeruus eius, qui in hoſtium poteſtate eſt emerit, in pendenti eſſe vſucapionem Iulianus ait: nam ſi dominus reuerſus fuerit, intelligi vſucaptum, ſi ibi deceſſerit, dubitari an per legem Corneliam ad ſucceſſores eius pertineat. Marcellus, poſſe plenius fictionem legis accipi. Quemadmodum enim poſtliminio reuerſus plus iuris habere poteſt in his, quæ ſerui egerunt, quam his quæ per ſe, vel per ſeruum poſſidebat, cum ad hoſtes peruenit? Nam hereditatem in quibuſdam vice perſonæ fungi receptum eſt: ideoque in ſucceſſoribus locum non habere vſucapionem.

HAC igitur interpretatione omiſſa noſtram de difficili hac lege ſententiam proponere opportunum fuerit, quæ vt rectius percipi poſſit paraphraſticam tantum verborum explicationem ſubijciemus rationibus iuris, quibus ita ſentire cogimur, in ſequētem,
1 & commodum locum reiectis. Diuiditur igitur Pauli reſponſum in duas partes, in quarum prima inſpiciendum eſſe Paulus exiſtimat; vtrum, ſi quis cum rem emptionis titulo poſſideret, ante impletam vſucapionem fuiſſet ab hoſtibus captus, eo ibi defuncto, procedat heredibus eius vſu-

vſucapio, rationemque dubitandi ſtatim conſtituens ſcribit: *nam interrumpitur vſucapio, & ſi ipſi reuerſo non prodeſt, quemadmodum heredi eius proderit?* Rationem vero decidendi in illis verbis proponit: *ſed verum eſt eum in ſua vita deſiiſſe poſsidere, ideoque nec poſtliminium ei prodeſt, vt videatur vſucepiſſe*, quaſi diceret interruptam vſucapionem, ideo reuerſo ab hoſtibus, non prodeſſe, nec poſtliminio reſtitui: quia *verum eſt eum in vita ſua deſiiſſe poſsidere*: ideoque cum illo apud hoſtes defuncto, non in vita ſua, ſed morte, poſſeſsionem (lege Cornelia ita conſtituente) amiſerit heredibus eius vſucapionem continuandam; cum conſtet diutinam poſſeſsionem, quæ prodeſſe cœperat defuncto, & heredi etiam continuari, melioriſque in hoc caſu conditionis ſucceſſorem eſſe, quam ipſe ſi reuerteretur fuiſſet; nec hoc aliquam inter Conſultos diſſenſionem habuiſſe videtur.

Sed illud, quod in ſecunda legis parte in verſiculo, *quod ſi ſeruus*, Paulus proponit, diſſentientes habuit Iulianum, & Marcellum. Nam ſi non ipſe qui captus eſt ab hoſtibus poſſediſſet, ſed poſt eius captiuitatem ſeruus peculij nomine rem poſsidere cœperit, Iulianus exiſtimabat, reuerſo domino vſucapionem prodeſſe: defuncto autem eo in captiuitate, ad ſucceſſores eius pertinere, dum dubitat, negare videbatur. Verum enimuero vtramque Iuliani ſententiam, Marcellus reprehendens, ſcribit. Maiorem eſſe dubitandi rationem in poſtliminio, in quo vſucapionem Iulianus, ſine hæſitatione conceſsit; quam in lege Cornelia, in qua fortior vrgebat affirmandi cauſa. Vnde concludit *in ſucceſſoribus locũ habere vſucapionem*: quia Iulianus qui in ſpecie dubitabiliori (vt ipſe cenſet) vſucapionẽ locũ habere affirmauit, in minus dubitabili caſu, multò magis idẽ affirmare debuerat, quod à Iuliano omiſſum Marcellus ſupplet, vt aliàs ſolet. Maiorem autem rationem fuiſſe cur Iulianus in poſtliminio dubitaret, in illis verbis Marcellus ſubijcit, *quemadmodum enim vſucapietur quod antea defunctus non poſſederat*: validiorem vero in lege Cornelia decidendi, vel affirmandi cauſam, ea ratione inueniri com-

probat: *nam hereditatem in quibuſdam vice perſonæ fungi receptum eſt.* Non itaque negat Marcellus in poſtliminij fictione veram eſſe Iuliani ſententiam, ſed docet rationem iuris flagitare, vt plenius legis Corneliæ fictio accipi debuiſſet, quam à Iuliano fuerat accepta; atque ideo fatetur, cum ſeruus poſt domini captiuitatem nactus eſt poſſeſſionem, & reuerſo domino (vbi maior erat dubitandi ratio) vſucapionem prodeſſe; & heredibus eius (vbi validior decidendi cauſa) procedere. In eo namque tantum Iulianum à Marcello notatum cenſuerim, quod in minus difficili ſpecie de eo dubitauerit, quod in difficiliori affirmare cunctatus non eſt.

5 Sed iam quid ab alijs acceptum quid etiam de noſtro impenſum, in Iuriſprudentiæ ærarium contulerimus, demonſtrare; ſimulque huius noſtræ interpretationis ſingulas partes exponere, commodum erit. Si quis cum pro emptore poſſideret ab hoſtibus captus eſt, docet I. C. ipſi reuerſo vſucapionem non prodeſſe, & rectè. Nam cum is qui ab alio poſſidetur, nihil ipſe poſſidere valeat (l. ait prætor 23. D. ex quibus cauſis maiores, l. homo liber 54. §. final. D. de adquirendo rerum dominio, l. 1. §. ſed & per eum, D. de adquirenda poſſeſſione, l. cum heredes §. 1. eodem titulo, l. ſic eueniet 21. D. ad l. Iuliam de adulterijs, l. qui in ſeruitute 118. D. de regulis iuris) interrupta per captiuitatem poſſeſſione (l. ait Prætor 23. §. 1. D. ex quibus cauſis maiores, l. cum heredes, §. 1. l. qui vniuerſas 30. §. item quod mari, D. de adquirenda poſſeſſione) naturaliter interrumpitur vſucapio, (l. denique 19. d. l. ait Prætor 23. §. 1. D. ex quibus cauſis maiores) quæ continuam exigit poſſeſſionem (l. 3. l. ſine 25. l. iuſto 44. § final. D. de vſucapionibus) nec poteſt poſtliminij iure reſtitui (l. denique 19. d. l. Prætor 23.)
6 Cum prius ſit, vt quod vſucaptum diceretur poſſeſſum foret (d. l. iuſto 44. §. final.) poſſeſſio autem cum facti ſit, non ſolum cum adquiritur, & eſt in fieri (vt Bartolus in l. 1. num. 6. D. de adquirenda poſſeſſione, Zaſius ibidem, doctiſſimus noſter Couar. in cap. poſſeſſor malæ fidei de R. I. in 6. 2. parte num. 3. ſcribit) ſed etiam

cum

cum in eſſe producta, & adquiſita eſt (d. l. denique, l. 3. §. 1. D. de bonorum poſſeſſionibus, l. 1. §. ſi vir vxori, & §. antecedenti, l. poſſeſſionem 29. D. de adquirenda poſſeſſione, Donel. lib 5. cap. 6. Cuiac. ad titulum de adquirenda poſſeſſione in dicto §. ſi vir vxori, Giſan. ibidem, & in l. cum heredes 23. §. 1. D. de adquirenda poſſeſſione, Petrus Gregor. lib. 1. ſyntag. cap. 13. Anton. Faber in rationali ad titulum ex quibus cauſis maiores in d. l. denique) poſtliminio contineri minime poteſt (l. denique 19. d. l. 1. §. ſi vir vxori, d. l. cum heredes, §. 1. D. de adquirenda poſſeſſione, l. in bello 12. §. facti, D. de captiuis, Faber loco ſupra citato.)

Neque obſtat quod cum poſſeſſio non tantum corporis, 7
ſed iuris ſit, l. poſſeſſio 49. D. de adquirenda poſſeſſione; ideòque, & poſſeſſionis ius ſcriptum ſit in l. peregre 44. in principio, D. de adquirenda poſſeſsione, l. non ideo, C. de liberali cauſa, l. nemo, C. de adquirenda poſſeſsione, ad eā poſtliminij ius pertinere dicendum videbatur. Reſpondetur namque cum Antonio Fabro in rationali in dict. l. denique, poſſeſsionem, & à facto incipere, & ex facto totam æſtimari, quantum ad propriam ſui naturam ſpectat, d. l. 1. §. ſi vir vxori, d. l. denique 19. habet etiam plurimum iuris, quod ad ſuos effectus attinet: quia cum ex poſſeſsione, tam multa profluant iure ciuili commoda, fieri non poteſt, quin cum de poſſeſsione agitur ius noſtrum ſe interponat, ſed id poſſeſsioni extrinſecum eſt, & ab eius natura quodammodo alienum: ideòque per eleganter Papinianus noſter in d. l. poſſeſsio 49. in principio, D. de adquirenda poſſeſsione, ſic loquitur, vt dicat poſſeſsionem plurimum ex iure mutuari; ſumit enim ex iure quaſi mutuo, quod ex ſe ipſa habere non poſſet. Atque ita doctè Anton. Faber hanc interpretum diſputatione paucis verbis loco ſupra citato explicuit, de qua latius ſupra tract. 2. cap. 2. tractauimus.

Ex quo infertur minus rectè Accurſium in d. l. denique, 8
Gloſſa penultima, & in d. l. poſſeſsio, Bartolum in hac leg. num. 10. & ſequentibus, Iaſonem num. 2. poſſeſsionem

ita

ita diſtinguere, vt alia ſit quæ multum facti,& multum iuris habeat; qualis eſt ea quæ per procuratorem, & ſeruum ex cauſa non peculiari adquiritur; alia quæ multum facti, & parum iuris, ſcilicet quæ per noſmetipſos adquirimus; alia vero quæ multum iuris, & parum facti contineat, videlicet quæ ex cauſa peculiari, per filios, & ſeruos quæritur.
9 Nam cum poſſidere ſit, ſibi rem habere vel cum animo ſibi poſſidendi detinere, vt Theophilus definit, & d. tract.2.cap.2. diximus, nulla poteſt eſſe poſſeſſio, quæ non plurimum facti habeat,quod factum,habendi,vel detinendi verbũ ſignificat;nulla itẽ quæ non plurimum iuris; cum dominia omnia, vel ex iure gentium ſint, vel ciuili, quod verba *ſibi vel cum animo ſibi poſſidendi*, exprimunt. Vnde ex poſſeſſione tot reſultant iuris effectus, Connanus lib. 3. cap.10. Cuiac. lib.18. obſeruationum cap.24. Gifanius ad titulum de adquirenda poſſeſſione in l. 1. verſiculo furioſus, Anton. Faber loco ſupra citató. Debuerant igitur interpretes, non poſſeſſionem à poſſeſſione diſtinguere, ſed poſſeſſionem à detentatione, quæ ſolius corporis, & facti eſt, nihilque penitus à iure mutuatur.

10 Vſucapionem reuerſo ab hoſtibus non prodeſſe ſuperioribus rationibus moti,tã antiqui,quã recentiores interpretes docent, ſed antiqui, ex hac propoſitione inferre Paulũ putant, nec heredibus captiui apud hoſtes defuncti,profuturam; ratione illa: *quia ſi ipſi reuerſo non prodeſt, quemadmodum heredi eius proderit?* Sequentibus enim verbis, *ſed verum eſt eum in ſua vita deſijſſe poſſidere. Ideoque nec poſtliminium ei prodeſt, vt videatur vſucepiſſe.* Interruptam fuiſſe vſucapionem, ipſique reuerſo non prodeſſe, Conſultum
11 probare exiſtimant. Sed Cuiac. ad titulum de vſucapionibus in hac lege noſtra, Anton. Faber in Iuriſprudentia titulo 11. princip. 8. illatione 28. Hugolini antiqui Gloſſatoris ſententiam relatam ab Accurſio in l. in bello 12. §. facti, D. de captiuis, & à Bartolo in præſenti num. 17. circa finem, Iaſone num. 55. probant;& vſucapionem tam in prima,quàm in ſecunda noſtri textus parte,heredibus prodeſſe contendunt. Nam cum lex Cornelia captiuitatis memo-

moriam deleat,& quaſi ciue Romano cum caperetur mortuo, l.cum hic ſtatus 32 § ſi ambo, D.de donationibus inter, l.pater 10. in fine principij, l. in omnibus 18. D.de captiuis, ex eo inſtanti hereditatem, quam iacuiſſe præſupponit, inducat l. 2. §. lex Falcidia, l.filius familias 18.D.ad legem Falcidiam, l. in bello 12. §. primo, D. de captiuis. Cœptam vſucapionem à defuncto, quam in vita ſua interruptam non fuiſſe conſtat; & hereditati continuari, & heredi prodeſſe debere manifeſti iuris eſt,l.cum miles 30.D. ex quibus cauſis maiores, d.l.nunquam 31. §.vacuum,l.cœptam 40. l.iuſto 44 §. nondum, hoc titulo, l. Pomponius 13. §. quæſitum, D.de adquirenda poſſeſſione, l.2. §. etiam heredi, l.qui cum 6. §. vltimo,D.pro emptore,Donel.lib.5. cap.20. Cuiac.lib.23.quæſt. Papiniani in d.l. iuſto,dicto §. nondum, Anton.Faber in rationali in d. l.30. D.ex quibus cauſis maiores: diximus ſupra num. 11.

Neque obſtat, quod Bartolus in præſenti num. 18. contra Hugolinum adducit; iure ſcilicet ſingulari receptum, vt vera hereditas, quæ per legem 12. tabularum conſtituitur, vſucapionem poſſit continuare, & implere, l. nunquam, §. vacuum, l.cœptam 40. l. iuſto 44. §. nondum,hoc titulo. Ideoque non eſſe trahendum ad conſequentias, l. quod vero 14. D. de legibus, nec ad fictam hereditatem, quæ per legem Corneliam inducitur producendum. Reſpondetur enim, verum eſſe, illud quod contra iuris regulas æquitate impellẽte, in aliquo caſu ſtatutum eſt ad ſimiles non extendi, d.l.quod vero; quia ratione negat Africanus creditam pecuniam fieri, ſi is qui eam ex cauſa mandati debebat, conuenerit vt quaſi mutuam retineat: quia quamuis receptum ſit; vt ſi debitorem meum iuſſero tibi dare nummos, obligeris mihi l. ſingularia 15. D. de rebus creditis. Id tamen benigne receptum eſt, l. qui negotia 34. D. mandati: de cuius explicatione videndi Cuiacius, tract.8. ad Africanum in d. l. qui negotia, Anton.Fab. lib. 3. coniecturarum cap.19.& lib.5. cap.16. Secus autem eſt ſi non ad ſimiles extendatur, ſed ad eoſdem, in quibus receptum eſt, quod in noſtra ſpecie accidit: non enim quod

12 (margin, at "Neque obſtat"); 13 (margin, at "Reſ-"); 14 (margin, at "Secus autem eſt")

in hereditate obtinuit, ad ſimilem aliquam rem producere contendimus, ſed an in hereditate captiui locum habeat inquirimus, in qua ſimiliter hoc ius ſingulare receptum fuiſſe conſtat. Nam eodem iure ſingulari, quo inductum fuit, vt hereditas poſſit vſucapionem defuncti continuare, etiam admiſſum eſt, vt poſsit ex cauſa peculiari, per ſeruos vſucapionem incipere, l. iuſto 44. §. nondum, hoc titulo, l. penultima, D de captiuis: quod tamen in captiui etiam hereditate locum habere Iulianus docet in d. l. in bello 12. §. facti, l. bona 22. §. quæ peculiari, D. de captiuis, & ex noſtro textu colligitur in verſiculo *quod ſi ſeruus*, nec ipſe Bart. diffitetur in præſent. num. 1.

15 Difficilius illud eſt, quod obijci poteſt ex his quæ docuimus ſupra num. 34. nam ſi lex Cornelia non antea locum habet, quam captiuus apud hoſtes deceſſerit; nec in alijs rebus, quam ijs quas poſtliminij poteſtas in ſuſpenſo habuit, ſequitur, vt nec lex Cornelia ad vſucapionem pertineat: cum nullam poſſeſsionem eo tempore inueniat, in ea poſtliminij poteſtate ceſſante, d. l. denique 19 D. ex quibus cauſis maiores, d. l. in bello 12. § facti, D. de capti-

16 uis. Sed aduertendũ eſt poſtliminij auxilio, minimè in noſtra ſpecie legem Corneliam egere, cum in poſſeſsione nihil fingere velit; in quam, nec ipſa, cum fictio ſit, poteſtatẽ aliquam habet, d. l. denique, d. §. facti. Poſſeſsionem enim eo tempore, quo ciuis caperetur, amiſſam fuiſſe lex Cornelia fatetur, vt reuera fuit; ſed amittendi caſum ex ciuili, in naturalem mortem transformat; atque ita hereditate ex eo tempore inducta, iuri ſingulari rem tradit perficiendam, quod ſine poſſeſsione vſucapionem præſtat hereditati, d. l. nunquam §. vacuum, d. l. cœptam hoc titulo. His igitur difficultatibus explicatis, quæ non leuiter Cuiac. & Anton. Fabri ſententiam impugnare videbantur, libenter tantorũ virorum opinioni ſubſcribimus, & legem Corneliam heredibus captiui vſucapionem conſeruare affirmamus.

17 Secundam noſtri textus partem in verſiculo *quod ſi ſeruus*, & Iuliani reſponſum, in cauſa accepimus peculiari, ex ipſius Iuliani ſententia relata in l. bona 22. §. quæ peculia-

culiari,& à Triphonino adducta in l. in bello 12. §. f. cti D. de captiuis;& ex ſolida iuris ratione, quæ ſuadet ignoranti domino; non aliter quam ex cauſa peculiari, per ſeruos adquiri poſſeſſionem, l. 1. §. item adquirimus, l. 3. §. ſaltus, l. peregre 44. § quæſitum, D. de adquirenda poſſeſſione, l. Labeo 8. l. iuſto 44. §. fin. D. de vſucap. l. 2. §. Celſus, D. pro emptore; & conſequenter nec furioſo, nec captiuo, nec hereditati extra hanc cauſam poſſeſſionem per ſeruum adquiſitam prodeſſe, d. l. 1. §. item acquirimus, D. de adquirenda poſſeſſione, l. penultima. D. de captiuis, l. qui à ſeruo 16. in fine, D. de oblig. & action. Donel. lib. 5. comment. cap. 8. Duaren. in l. 1. §. item adquirimus, D. de adquirenda poſſeſſione, Gifanius in eodem loco.

Nec obſtat, l. quod ſeruus 24. l. ſi me in vacuam 34. §. final. D de adquirenda poſſeſſione, l. nunquam 31. §. ſi ſeruus, infra hoc titulo, quibus inductus Cuiacius lib. 24. obſeruat. cap. 9. & ad titulum de adquirenda poſſeſſione in d. l. 1. §. item adquirimus, & in d. l. quod ſeruus 24. exiſtimauit poſſeſſionem ſicut dominium, etiam extra cauſam peculiarem, ignoranti domino adquiri: nam in d. l. 31. §. ſi ſeruus, verbum, ignorans, adiectum eſt propter peculiarem cauſam, de qua mentio facta fuerat, vt Gifan. in lectura Altorfina ad titulum de adquirenda poſſeſſione, in d. l. 1. §. item adquirimus ſentit; & in d. l. ſi me in vacuam, §. fin. Vbi dicitur *ſeruum quoque meum ignoranti mihi adquirere poſſeſſionem*, ſubaudiendum eſt ex cauſa peculiari. At legem quod ſeruus 24. manifeſtum eſt ex cauſa peculiari accipi debere; cum ideò iniuſtam poſſeſſionem, ignoranti domino, per ſeruum adquiri neget Conſultus: quia in peculio ſerui non eſt; ſicut, quod ex maleficijs ſeruus apprehendit, ideò ad poſſeſſionem domini non pertinet: quia nec peculij cauſam apprehendit. Quod & ipſe Cuiac. affirmat ad titulum de verborum obligationib. in l. ſeruus vetante 62. & lib. 23. quæſt. Papiniani in d. l peregre 44. §. quæſitum, & in l. iuſto 44. §. nondum infra hoc titulo. Vbi veram defendens ſententiam, & à priori diſcedens, Iuriſconſultorum reſponſis in dicta leg. ſi me in vacuam, §. final.

final. & dict. l. quod ſeruus, ita, vt ſcripſimus, ſatisfacit.

20 Marcelli ad Iulianum notam, in verſiculo *Marcellus*, ita interpretabamur, vt legis Corneliæ fictionem, quam Iulianus poſtliminio ſtrictius accipiebat, plenius accipiendam notauerit Marcellus: non tamen negauerit poſtliminij quoque poteſtate, vſucapionem reuerſo domino profuturam. Nam qui plenius interpretandam legem Corneliam aſſerit, plenè intelligendum poſtliminium fatetur. In eoque à Bartolo, Iaſone, Paulo de Caſtro, & alijs in hac lege noſtra diſſenſimus, qui exiſtimant Iuliani ſententiam, ex cauſa peculiari conceptam, in eo fuiſſe notatam à Marcello; quod etiam extra cauſam peculiarem, locum habere poſſe crediderit.

21 Quod equidem Marcellus, doctus iuris interpres, cogitare minimè potuit; cum ſciret ignoranti, extra cauſam peculiarem, poſſeſſionem adquiri non poſſe, d. l. peregre, §. quæſitum, ideòque nec captiuo vſucapionem ſerui prodeſſe, d. l. iuſto 44. §. final. hoc titulo, l. penultima, D. de captiuis, & ſupra probatum eſt.

22 Rationes in verſiculo, *quemadmodum*, & verſiculo, *hereditatem*, propoſitas Marceli eſſe, contra Iulianum diſputantis, non Iuliani, aut Pauli ſcripſimus, eaſque ex cauſa peculiari contra Antonij Fabri ſententiam, in Iuriſprudentia titulo 11. principio 8. illatione 28. interpretati ſumus. Nec enim potuit Marcellus in tantam irrumpere temeritatem, vt ſententiam Iuliani ex cauſa peculiari conceptam, d. l. in bello 12. §. facti, d. l. bona 22 §. quæ peculiari, D. de captiuis, in contrario, & falſo caſu acciperet, notandi auiditate ductus. Præſertim cum ſecunda Marcelli ratio, & totius quæſtionis deciſſio, ſi in peculiari cauſa non accipiatur abſurdiſſima ſit, & falſa: cum conſtet, hereditati vſucapionem per ſeruos non aliter, quam ex cauſa peculiari adquiri poſſe, d. l. 1. §. item adquirimus, D. de adquirenda poſſeſſione; l. penultima, D. de captiu. Nec

23 obſtat quod prima Marcelli contra Iulianum collectio, ex cauſa peculiari falſa videatur, hoc enim ita eſſe fateremur ſi ea adductus, poſtliminium ad vſucapionem reuerſo prodeſſe

deſſe Marcellus negaſſet; ſed cum ille, dubitandi tantum hanc potuiſſe cauſam eſſe contendat, non falſa, ſed vera eſt. Concludit igitur Conſultus, vſucapionem heredibus 24
per legem Corneliam profuturam. Affirmatiuam enim lectionem amplectimur, ſuperioribus rationibus adducti, & auctoritate Cuiac. ad titulum de vſucapionib. in hac noſtra, & Anton. Fabri loco ſupra citato, quos nouiſſimè ſequitur Nicolaus à Salis in lib. quem Sicillimenta iuris in ſcripſit in hac l. ſi is qui pro emptore: præcipuè cum nec Bart. nec cæteri Doctores eam reijciant, ſed potius ſpeciem caſus illi etiam aptare contendant.

Ex qua noſtri textus interpretatione deducitur, iure 25
potuiſſe effici ſingulari, vt vſucapio, cum effectus ſit poſſeſſionis, ad hereditatem pertineat, non autem vt poſſeſſio, quæ facti eſt, l.1.§. ſi vir vxori, D. de adquirenda poſſeſſione, cum ſupra citatis, ſine facto, & aliqua apprehenſione adquiratur. Nam licet in l. miles 30. D. ex quibus cauſis maior. Poſſeſſionem iunctam in heredem deſcendere ſcriptum ſit: verbum tamen illud, poſſeſſionem, pro vſucapione poſitum, vt in d. l. denique 19. eodem titulo iam ſupra, ex Cuiac. & Antonio Fabro retulimus, qui rectè docent decisionem illius legis non rectè perceptam, cauſam dediſſe interpretibus reſpondendi, poſſeſſionem in heredem ſine facto eius tranſire, ex quorum opinione lex 45. Tauri originem ſumpſit qua ſtatutum eſt, vt poſſeſſio, tam ciuilis, quam naturalis, quàm defunctus habuerat in ſucceſſorem maioratus, ſine vllo apprehenſionis actu deſcendat.

Quod an lege fieri potuerit diſputant Doctores, & Bal- 26
dus in l. 1. C. communia de legatis, & in cap. contingit de dolo, & contumacia, colum. 2. num. 1. Aretinus in d. l. 1. D. de adquirenda poſſeſſione num. 23. negant per textum in d. l. denique 19. D. ex quibus cauſis maior, d. l. cum heredes, §. 1. D. de adquirenda poſſeſſione, l. in rebus, C. de iure dotium. Sed Bart. & Paulus de Caſtro in l. raptores, C. 27
de Epiſcopis, & Clericis, Iaſo. in præſenti col. 25. num. 16. Ludouicus Rom. in l. 1. D. de adquirenda poſſeſſione numero 6. alijque relati ab Antonio Gomez in l. 45. Tauri

num.

num. 111. affirmant per textum in d. l. raptores, in cap. 2.
extra de conſuetudine, & in cap. contingit de dolo, &
contumacia, & quod poſſeſſionem ius eſſe contendant ex
dict. l. 44. D. de adquirenda poſſeſſione.
28 Sed cum, vt ſupra ex Antonio Fabro obſeruauimus,
omnis poſſeſſio propriam habeat ex facto naturam, ex iu-
re autem plurimum, effectus ſcilicet omnes, accipiat, vel
mutuetur, rectè poterit iure effici, vt poſſeſſionis natura-
lis, & ciuilis in ſucceſſorem maioratus, ſine aliqua appre-
henſione, omnes effectus iuris tranſeant, perindeque iure
obſeruetur, ac ſi verè, & realiter poſſeſſio ipſa tranſijſſet. At
actus ipſe poſſidendi, cum facti ſit, impoſſibile eſt, vt
per legem transferatur, d. l. denique, D. ex quibus cauſis
maiores, d. l. in bello 12. §. facti, D. de captiuis, ibi, *nulla*
29 *conſtitutione.* Sicut, & in noſtro textu vſucapio in heredi-
tatem, & heredem continuatur, quæ iuris eſt, perindeque
prodeſt, ac ſi poſſeſſio in hereditate fuiſſet: factum autem
poſſidendi minimè legibus noſtris hereditati tribuitur,
cum nec tribui vnquam potuerit, l. hereditas 61. D. de ad-
quirendo rerum dominio, l. cum heredes 23. in princ. & §.
1. D. de adquirenda poſſeſſione, l. 1. §. Scæuola, D. ſi is qui
teſtamento. Arduas in huius noſtræ legis repetitione quæ-
ſtiones tractant Doctores, quas ea ratione omiſimus,
quia ea tantum quæ ex veræ Iuriſprudentiæ ra-
tione ad interpretationem noſtri textus
conducere videbantur expli-
care fuit animus.

DE

DE DVORVM REORVM CONSTITVTIONE, ET LIBERATIONE; ET quibus caſibus, aditio hereditatis iure confuſionis reum obligatione eximat; quibus autem ſolutionis poteſtate obligationem extinguat, Tractatus Quartus.

AD NOBILE IVRISCONSVLTI PAVLI reſponſum, lib. 4. quæſtionum in l. Granius Antoninus 71. D. de fideiuſſoribus, & mandatoribus.

LXXI. PAVLVS lib. 4. Quæſtionum.

Granius Antoninus pro Iulio Pollione, & Iulio Rufo pecuniam mutuam accipientibus, ita vt duo rei eiuſdem debiti fuerint, apud Aurelium Palmam mandator extitit. Iulij bona ad fiſcum venerunt: ſimiliter, & creditori fiſcus ſucceſſerat. Mandator allegabat ſe liberatum iure confuſionis:

quia fiſcus tàm creditori quàm debitori ſucceſſerat. Et quidem ſi vnus debitor fuiſſet, non dubitabam, ſicut ſi fideiuſſorem, ita & mandatorem liberatum eſſe. Quamuis enim iudicio conuento principali debitore, mandator non liberetur: tamen vbi ſucceſſit creditor debitori, veluti ſolutionis iure ſublata obligatione, etiam mandator liberatur: vel quia non poteſt pro eodem apud eundem quis mandator eſſe. Sed cum duo rei promittendi ſint, & alteri heres extiterit creditor: iuſta dubitatio eſt, vtrum alter quoque liberatus eſt, ac ſi ſoluta fuiſſet pecunia: an perſona tantum exempta, confuſa obligatione. Et puto aditione hereditatis confuſione obligationis eximi perſonam. Sed & acceſſiones ex eius perſona liberari propter illam rationem: quia non poſſunt pro eodem apud eundem obligati eſſe. Vt quemadmodum incipere aliàs non poſſunt, ita nec remaneant. Igitur alterum reum eiuſdem pecuniæ non liberari: & per hoc nec fideiuſſorem, vel mandatorem eius. Plane quia is mandati iudicio eligere poteſt vel creditorem: competituram ei exceptionem doli mali, ſi cœperit conueniri. Cum altero autem reo vel inſolidum, ſi non fuerit ſocietas: vel in partem, ſi ſocij fuerunt, poſſe creditorem agere. Quod ſi creditor fideiuſſori heres fuerit, vel fideiuſſor creditoris: puto conuenire, confuſione obligationis non liberari reum.

Q*VAMCVNQVE partem rerum humanarum diuinarumque comprehenderis, ingenti copia quærendorum, ac diſcendorum fatigaberis*, aiebat Seneca epiſt. 88. mirumque eſt quãtopere id in Iuriſprudentia noſtra, diuinarum humanarumque rerum notitia, contingat: nullam enim illius partem, nullam quæſtionem tractandam ſuſcipias, in qua non appareat veritatem, licet magnorum virorum quæſitam ſtudijs, ſubtiliſſimorum indagatam ingenijs, variarum tamen opinionum tenebris inuolutam, in alto latere. Quod ſi alia magis trita, minuſque recondita iura huius rei experimento ſunt, quanto

to magis ex difficilioribus, Legis Granius, quæſtionibus iudicium capere erit.

Quæſtionis à Paulo tractatæ Paraphraſis.

PRoponit Paulus lib. 4. quæſtionum ſpeciem, vel quæſtionem huiuſmodi; Granius Antoninus Aurelio Palmæ mandauit, vt Iulio Pollioni, & Iulio Ruſo pecuniam mutuam daret; illiuſque mandatu Aurelius Palma ita illis pecuniam credidit, vt duo rei debendi eſſent, quilibetque eorum inſolidum obligaretur, l. eandem 9. in principio, l. reòs 11. §. cum tabulis, D. de duobus reis, *(Verſ. Iulij bona)* contractu hoc modo celebrato euenit, vt Iulij Pollionis, vnius ex duobus reis bona, ad fiſcum peruenirent: vel quia alicuius criminis cauſa confiſcata ſunt, l. 1. l. quinque 3. D. de bonis dàmn. l. eum qui 3. l. relegatus 14. §. magna, D. de interdict. & releg. vel quia vt caduca, vel vacantia fiſco fuerunt delata, l. item veniunt 20. §. ait Senatus, D. de petitione hered. l. vltim. D. de ſucceſſorio edicto, l. 4. §. eadem, D. de fideicommiſ. libert. Idque eo tempore accidit, quo iam creditori etiam ipſi, Aurelio Palmæ, *ſimiliter*, id eſt, eodem modo, *fiſcus ſucceſſerat.* *(Verſ. Mandator)* Granius Antoninus mandator caſu cognito, *allegabat ſe iure confuſionis*, mandati obligatione fuiſſe liberatum: nam cum fiſcus tam creditori, quàm debitori ſucceſſerit, iure crediti, & debiti in eandem perſonam deuoluto, obligatio extingueretur: cum non poſſit idem fiſcus, & creditor, & debitor eſſe, l. ſi id quod 21. D. de liberatione legata, l. ſicut 75. l. penult. D. de ſolutionibus, *(verſ. Et quidem)* quæſtioni ita propoſitæ, reſpondet Paulus, ſi non duo rei debendi, ſed vnus tantum eſſet debitor, non dubi-

1

2

3

4

tare ſicut fideiuſſorem, ita & mandatorem liberari, obli-
5 gatione principalis debitoris extincta (*verſ. Quamuis*) *quamuis enim iudicio conuento principali debitore*, id eſt, lite cum principali debitore conteſtata, *mãdator nõ liberetur*, l. ſi quis 27. §. vltimo, D. mandati, l. ſi mandatu 13. D. hoc titulo, & in hoc à fideiuſſore differat, l. vltima, C. hoc titulo, Paulus
6 lib. 2. ſententiarum titulo 17. in fine (*verſic. Tamen*) *Tamen vbi ſucceſsit creditor debitori*; non ſolum fideiuſſor, ſed etiam mandator liberatur, l. heres 21. §. quod ſi ſtipulator hoc titulo, vel quia ſolutionis iure ſublata eſt obligatio, l. debitori 50. hoc titulo, l. ſi ei cui 41. D. de euictionibus, l.
7 Stichum 95 §. aditio, D. de ſolutionibus (*verſ. Vel quia*) *vel quia non poteſt pro eodem apud eundem quis mandator eſſe*, l. qui hominem 34. §. quidam filium, D. ſolution. Sentit itaque Paulus, ſi in hac noſtra ſpecie vnus tantũ debitor proponeretur, mandatorem, non minus quam fideiuſſorem liberari: quia cum fiſcus qui creditori ſucceſſerat, & ideo creditoris perſonam ſuſtinebat, debitoris etiam bona adquiſierit, obligatio principalis extincta eſt, vel ſolutionis poteſtate, vel perſonarum confuſione, dict. l. debitori 50. hoc titulo, l. quæ dotis, D. ſolut. matr. l. ſi id quod 21. de
8 liber. legata (*verſ. Sed cum duo.*) Verum cum non vnus debitor, *ſed duo rei promittendi*, id eſt, duo debitores eiuſdem pecuniæ, in propoſito caſu *ſint*, & vni tantum eorum, Pollioni ſcilicet, fiſcus, qui etiam creditor eſt, heres extiterit; iuſtam dubitationem eſſe Paulus ſcribit, id eſt iuſtè dubitari poſſe, vtrum alter etiam reus Iulius Rufus liberetur, perinde omni obligatione extincta ac ſi per hereditatis, vel bonorum adquiſitionem *ſoluta eſſet pecunia*, l. 3. §. vltimo, D. de duobus reis: *an perſona tantum*, vnius *exempta* ſit, *confuſa*, per illius perſonæ repreſentationem, *obligatione*,
9 l. vltima, D. de duobus reis (*verſ Et puto aditione.*) Et putat per aditionem hereditatis, à creditore factam, perſonam obligationis vinculo eximi, manente obligatione; non ſolutionis poteſtate totam obligationem extingui. Sed tamẽ acceſſiones illius debitoris, cuius perſona, cum creditoris perſona confuſa eſt, veluti fideiuſſores, & mandatores liberari,

berari; non quaſi extincta ſit per ſolutionem obligatio;
ſed *propter illam* aliam *rationem: quia non poſſunt pro eodem
apud eundem obligati eſſe*, (*verſ. Vt quemadmodum*) *vt quem* 10
admodum, hoc caſu eorum obligatio non potuiſſet *incipe-
re*: quia pro eodem eidem fidem ſuam adſtringere, & ridi-
culum eſſet, & ſuperuacuum, *ita nec remaneat*, cum licet ab
initio rectè conſtituta, ad eum tamen caſum peruenerit, à
quo non valuiſſet capere initium, l. inter ſtipulantem 83. §.
ſacram, l. exiſtimo 98. l. pluribus 140. §. vltimo, D. de ver-
borum obligationib. (*verſ. Igitur.*) Vnde concludit Paulus, 11
cum aditio vim ſolutionis non obtineat, licet acceſſiones
illius perſonæ quæ per confuſionem exempta eſt, propter
rationem ſupra traditam liberentur: *alterum* tamen *eiuſ-
dem pecuniæ reum*, Iulium Rufum obligatum manere, qui
non aliàs liberatur quam obligatione ſoluta, d. l. vltima, D.
de duobus reis, & conſequenter *fideiuſſorem eius*, & ſimili-
ter *mandatorem* Granium Antoninum obligationis vincu-
lo teneri; quia cum non vnius tantum, ſed duorum eorum
obligationi mandator acceſſerit, & ſi alter ex illis exem-
ptus ſit obligatione; propter alterum tamen manet obliga-
tus, cum obligatio cui acceſſit extincta non ſit; & alterius
rei, qui in ſolidum tenetur, & cuius in ſolidum mandator
eſt, perſona non fuerit creditoris perſonæ confuſa: atque
ideo ratio etiam illa quæ ad liberationem ſupereſſe pote-
rat, ſcilicet, quia non poteſt pro eodem apud eundẽ obli-
gatus eſſe, in propoſito caſu ceſſet, cum alia Iulij Rufi de-
bitoris perſona, alia fiſci creditoris ſit, nec vlla ſucceſſio-
ne fuerint, aut repreſentatione confuſæ (*verſ. Plane*) *Pla-* 12
ne cum ſolutam ex mandati obligatione pecuniam, poſſit
mandator, vel à Iulio Rufo, vel ab ipſo creditore fiſco,
qui alteri reo ſucceſſit, & ex eius perſona obligatur, man-
dati iudicio repetere, l. Quintus Mucius 48. in principio,
l. ſi is qui negotia 56. D. mandati, & ita *quia mandati iudi-
cio eligere poteſt vel creditorem*, pro quo tanquam debitoris
perſonam ſuſtinente ſoluit, reſpondet Paulus, eum licet
ipſo iure non liberetur; exceptione tamen doli liberari:
nam cum dolo faciat qui petit, quod reſtiturus eſt, l. ſi

 ſocer

ſocet 44. §. 1. D. ſolut. matrim. l. dolo 8. D. de dol. mali, & metus excep. ſi fiſcus tanquam creditor, à mandatore exigat, quod tanquam debitor, cui ſucceſſit, iudicio mandati redditurus eſt, dolo illum facere conſtat, & ideo mandatori competituram exceptionem doli mali, qua eum re-
13 pellat, *ſi cœperit conueniri (verſ. Cum altero autem)* quæ exceptio cum eiuſdem pecuniæ reo dari non poſſit, niſi in partem, ſi ſocij ſint, & obligatum eum eſſe iam ſatis conſtiterit, poterit fiſcus idemque creditor, cum Iulio Rufo altero reo, *vel inſolidum*, ſi ſocij non ſint, *vel in partem ſi ſocij fuerunt*, agere: quia vbi ſocietas interuenit perinde omnia ſe habent, ac ſi viriles partes ſinguli promiſiſſent, leg. in Falcidia 62. D. ad legem Falcidiam, & communis per ſocietatem facta obligatio, pro parte per confuſionem
14 ſublata eſt (*verſic. Quod ſi.*) Denique cū de confuſione obligationis in perſona vnici debitoris, vel duorum etiam reorum; quorum vni ſucceſſit creditor, egerit Conſultus, vt nullum explicatione dignum qui ad hanc quæſtionem pertineat, inexplicatum caſum omittat, adijcit: *Si creditor fideiuſſori heres fuerit, vel fideiuſſor creditori, confuſione obligationis non liberari reum principalem*, licet fideiuſſoria obligatio perſonarum confuſione tollatur: quia idem creditor, & fideiuſſor eſſe non poteſt.

CAP. I.

Vtrum omnibus contractibus, & quo modo duo, pluresue rei debendi conſtituantur, ad principium legis.

1 DVOS eiuſdem pecuniæ reos, non ſolum ſtipulatione, ſed etiam quouis alio contractu conſtitui poſſe, conſtat ex l. eandem 9. in principio; D. de duobus reis, l. 1. §. ſi apud duos, D. depoſiti, l. ſi vt certo 5. § final. cum lege ſequenti, D. commodati, l. creditor 60. §. duobus, D. mandati, l. item quæritur 13. §. ſi duo, l. cum apparebit 47. D. locati, l. ſi diuiſa 3. C. eodem, l. ſi ex duobus

13. D.

13. D. tutelæ, & rationibus diſtrah. l. ſi non ſinguli 5. C. ſi certum petatur; l. propter 4. C. de duobus reis. Sed & in teſtamento duorum reorum obligationem induci, probat lex ſi ex toto 8. §. 1. D. de lega. 1. docent Accurſ. Bartol. & communiter Doctores in d. l. eandem 9. Connanus lib. 6. comment. cap. 5. Donel. lib. 26. comment. cap. 25. & ad titulum, C. de duobus reis cap. 12. Ioan. Gœddæus de contrah. & commit. ſtipul. cap. 5. num. 115. Cuiacius lib. 27. quæſt. Papiniani in dict. l. eandem 9. Anton. Faber lib. 11. coniectur. cap. 19. Anton. Gomez 2. tomo variarum cap. 12. num. 1.

Sed ita demum duo rei conſtituuntur ſi actum ſit, vt duo rei conſtituantur, l. in duobus 3. in principio, l. his verbis 8. l. reos 11. §. cum tabulis, D. de duobus reis: actum autem intelligitur, quoties vel conuentionis verbis, vel ex habito tractatu apparet, creditorem plurium debitorum fidem inſolidum ſequutum fuiſſe, d. l. in duobus, dict. l. his verbis, dicto §. cum tabulis, l. cum apparebit 47. D. locati. Siue enim duo interrogati fuerint; ſiue duobus pluribuſve mutuatum, aut commodatum ſit, niſi actum fuerit, vt plures rei conſtituantur, licet ſolidum vnuſquiſque debeat; *non propriè*, tamen rei debendi erunt, vt loquitur Cõſultus in l. ſi vt certo 5. §. vltimo, D. commodati, aut *non omnimodo*, vt Papinianus ſcribit in l. ſi pupillus 45. D. de adminiſtratione tutorum, docent Bart. in l. 2. D. de duobus reis num. 1. & 2. Paulus Caſtrenſis ibidem num. 2. idem Bartol. in autheut. hoc itaque, C. de duobus reis, prima quæſt. num. 2. Petrus Gregorius lib. 24. ſyntagmat. cap. 8. Duaren. ad titulum de duobus reis cap. 1. Anton. Fab. dicto lib. 11. coniectur. cap. 19. Cuiac. lib. 11. reſp. Papiniani in d. l. reos, §. cum tabulis, Euerard. Bronchorſt Enantiophanon centuria 4. aſſertione 51. 2

Longè autem differunt, inſolidum quemque teneri, & duos reos debendi conſtitui, vt rectè docet Cuiac. lib. 1. reſp. Scæuolæ in d. l. creditor 60. §. duobus, D. mandati, & confirmat exemplo venditoris, & emptoris ſerui, qui creditori peculiari, ex contractu cum ſeruo ante ven- 3

ditionem habito, inſolidum tenentur, l. & ancillarum 27. §. illud, D. de peculio: & tamen ab initio non poſſunt in partes conueniri, l. quoties 47 §. ſi creditor, D. de peculio. Quod tamen concedendum eſſet, ſi duo rei debendi conſtituti eſſent, l. 3. §. 1. D. de duobus reis. Quod etiam conſtat ex d. l. 1. §. ſi apud duos, D. depoſiti, vbi vnius depoſitarij factum, veluti ſi dolo fecerit, alteri non nocet; quod equidem, ſi duo rei eſſent, noceret, leg. penult. D. de duobus reis: rectè igitur in noſtræ legis principio Paulus docuit, non ſimpliciter mutuam pecuniam acceptam; ſed ita *vt duo rei debendi eſſent.*

4 Verum etiam ſi expreſsè fuerit actum, vt duo rei ſint, & inſolidum teneantur, tamen in mutuo duos reos effici non poſſe, dicendum videtur; cum non poſſit quantitas mutuo data, ad plures inſolidum peruenire, vel pluribus inſolidum dari; ſed vel vni eorum ſolidum præſtetur, vel pro partibus diuidatur: re autem obligatio contrahi non poſſit, niſi quatenus datum ſit, l. ſi tibi 17. in principio. D. de pactis, l. rogaſti 11. §. vltimo, D. de rebus creditis, l. Titius 24. in fine, D. de præſc. verb. l. cum vltra 9. C. de non numerata pecunia, Donel. & Philip. Mathæacius in d. l. rogaſti, §. vltimo. Diximus epiſt. exercitationum lib. epiſt. 3. exercitatione 4. num. 17.

5 Sed licet hæc difficultas, tanta quibuſdam fuerit viſa, vt ſcripſerint, impoſſibile eſſe vt per mutuum, vel contractum realem, duo rei conſtituerentur, vt refert Bartol. in dicto authent. hoc itaque num. 4. reſponderi tamen poteſt, etiam ſi ad vnum pecunia peruenerit, omnes vel ex ſtipulatione, vel ex ipſo contractu, ſi actum ſit inſolidum obligari, & reos debendi effici, l. ſi non ſinguli 5. C. ſi certum petatur, l. 4. C. de duobus reis: quia aliorum nomine vni tradita integra quantitas; omnibus præſtita videtur; & perinde eſt, ac ſi inſolidum ad quemlibet perueniſſet. Nam per interpoſitam perſonam, eius cui naturaliter numerata eſt, cæteris etiam numerata cenſetur, & velut ab his accepta, ad alium cui prius tradita fuit, perueniſſe creditur, ita vt vna actio occultetur, quod in mutuo inſolens

lens non eſt, l.ſingularia, D. ſi certum petatur, l. 3. § vlt. D. de donat. inter. Atque ita hanc quæſtionem, & textum in dict.l.ſi non ſinguli, explicant Donel. ad titulum, C. ſi certum petatur in d. l. ſi non ſinguli, Cuiac. ibid.

Quod ſi non fuerit actum, licet in inſtrumento ſcriptum ſit, aliquos pecuniam accepiſſe, pro parte eos nó inſolidum obligari conſtat: idque in patre & filio, qui confeſſi fuerunt ſe dotem accepiſſe, conſtat; nam pro parte dimidia quilibet eorum tenetur, vt tradunt Dinus, Bartol. Bald. Immola, & Alexander in l. ſi cum dotem § ſin autem in ſæuiſſimo, D. ſolut. matrim. idem Immola, & Alex. in d. l. reos 11. §. cum tabulis, D. de duobus reis, Boerius deciſione 23. num. 10. Ruinus conſil. 57. num. 17. poſt medium. 6

C A P. II.

De duobus reis teſtamento conſtituendis.

CVm ſicut voluntas contrahentium contractui formam, & legem dat, l. pacta conuenta 72. D. de contrah. emptione, l. in conuentionibus 119. D. de verborum ſignificatione, ita teſtatoris voluntas totum in teſtaméto faciat, l. ex facto 35. §. rerum, D. de heredibus inſt. l. ſi plures 24. D. de vulgari, l. in conditionibus 19. D. de conditionibus, & demonſtrationibus, l. cum quæſtio in fine, C. de legatis, toties duos, pluresve reos teſtamento conſtitutos, dicendum erit; quoties id teſtatorem egiſſe, ex verbis, vel alijs argumentis appareat. 1

Verum formam duos reos teſtamento conſtituendi, & ex quibus verbis, voluntas teſtatoris, id agentis colligatur, maximè dubium faciunt Iuriſconſultorum diuerſa, vt videntur reſponſa: nam Papinianus in d. l. eandem 9. in fine principij, D. de duobus reis, per copulatiuam dictionem conſtitui; ita *Titius, & Mauius Sempronio decem dato*, manifeſtè docuit: Pomponius autem in l. ſi ex toto 8. §. 1. D. de legat. 1. diſiunctiuè conſtituendos exiſtimauit, his verbis: 2

Lucius

Lucius Titius heres meus, aut Manius heres meus Seio decem dato, & hoc caſu ſingulos ſolidum debere, & vnius ſolutione alterum liberari ſcribit; quod duorum reorum obligationis proprium eſt, d.l. 2.3. §. 1. D. de duobus reis. Pomponij ſententiam ſequitur Paulus in l. ille, aut ille 25. D. de leg. 3. ſed manifeſtius in l. ſi Titio 16. D. de legat. 2. duos namque reos credendi ita teſtamento conſtitui, *Titio, aut Seio heredes decem dato* cenſet; cum affirmet, hoc caſu vni heredem dando, ab altero liberari, & ſi neutri det, perinde vnumquemque petere poſſe, ac ſi ipſi ſoli legatum eſſet; rationemque illam ſuæ deciſſionis aſſignat: *Nam vt ſtipulando duo rei conſtitui poſſunt, ita & teſtamento poteſt id fieri*, fit igitur id teſtamento, & duo rei debendi conſtituúntur, cum diſiunctiuè teſtator heredes grauat, ſicut duos credendi reos facit, cum diſiunctiuè legatum relinquit.

3 Idem etiam probare videtur textus in auth. ſi quando C. de conſtituta pecun. vbi cantum extat, ſi quis ita pro alio conſtituerit, *ſatisfiet à me, & ab illo, & ab illo*, cæteris non conſentientibus, teneri eum pro rata, id eſt pro parte tantum ſua: ſi autem ita fuerit loquutus *ſatisfiet à me, aut ab illo, &c.* altero non conſentiente, ipſum teneri inſolidum; primo igitur caſu non conſtituti ſunt duo rei: ſecundo autem ſunt conſtituti.

4 Quorum iurium auctoritate moti Bartolus in l. 2. num. 2. D. de duobus reis, Paulus de Caſtro eodem loco, Cuiac. dict. lib. 17. quæſt. Papiniani, in d. l. eadem 9. & ad titulum de legat. 1. in d. l. ſi ex toto, & ad tiulum delegat. 2. in dict. l. ſi Titio 16. poſteriorem hanc ſententiam comprobarunt, & per diſiunctionem duos reos teſtamento conſtitui docuerunt; & ne Papiniani reſponſum in d. l. eandem 9. vbi exemplum duorum reorum per coniunctionem proponit Conſultus, obſtare videatur, diſiunctiuè legendum, Cuiacius in dictis locis aſſeuerat; & loco illius particulæ, *&*, ſubijciendam diſiunctiuam particulam, *aut* affirmat.

5 Sed Antonius Faber dict. lib. 11. coniectur. cap. 19. duos reos, per diſiunctionem teſtamento conſtitui poſſe, negat: tum ex d. l. eandem 9. vbi copulatiuè conſtituun-

tur,

tur; tum quia duorum reorum obligationi, cuius proprium eſt, vt ſinguli obligentur in ſolidum, l.2. l.3. & toto titulo, D. de duobus reis, princ. inſt. eodem, l.ſi duo 128. D. de verborum obligationib. maxime repugnet, vt diſiunctiuè conſtituantur: quia ſicut in rebus alternatiua obligatione debitis, non vtraque eſt in obligatione, ſed alterutra, l. plerumque 10. § vltimo, D. de iure dotium: ita in alternatiuis debitoribus, non vterque debet, ſed alteruter, & in alternatiuis creditoribus, non vtrique debetur, ſed alterutri: quod quantum duorum reorum conſtitutioni repugnet, palam eſt.

Antiquorum tamen ſententiam (quam tueri vbi iuris rationi contraria non ſit propoſitum debet eſſe) veriorem exiſtimauerim. Primum enim Antonij Fabri, pro contraria ſententia fundamentum ex d. l. eandem 9. ipſe loco ſupra citato deſtruit, & Conſulti exemplum ſubtiliter explicat, ſcilicet vt verbum *dato*, ſingulari numero conceptum; & ad ſingulos heredes relatum, eos quaſi diſiunctiuè obliget, & inſolidum adſtringat, nec admittat, vt legato in viriles partes diuiſo, ab vno quoque pars debeatur; quod vtique admitteret, ſi teſtator non ſingulari ſed plurali numero, per verbum *danto*, heredes grauaſſet. 6

Altera vero Antonij Fabri collectio, ſubducto fundamento, corruit; nam cum diſiunctiuè res promittitur, aut legatur, vna obligatio, vnum legatum eſt, l.ſi ex toto, 8. §. vltimo, D. de leg.1. l. ſi illud 27. D. de leg.2. l.cum illud 25. in principio, D. quando dies leg. ced. ſi autem coniunctiuè, plures obligationes, plura legata erunt, l.ſcire 29. verſ. at ſi quis, D. de verborum obligatio, l. 2. D. de leg.2. Nec obſtat lex ſiquis 8. §.1. eodem titulo: nam duo legata ideò ſunt, quamuis diſiunctiuè relicta: quia ſecundi, ſub conditione, ſi primum legatarius noluerit, relicti non prius dies cedit, quam primum legatarius repudiauerit. Secundo non aduerſatur lex planè 34. §. vltimo, D. de leg.1. vbi duo legata dicuntur: quia quamuis plena proprietate vſuſfructus contineatur, tamen per vſusfructus ſeparatum legatum, poteſt legatarius, vel fundum, vel vſufructum vin- 7

dica-

dicare, l. Lucio 23. D. de leg. 2. l. ſi Titio D. de vſufruct. legat. quod aliàs non poſſet, l. grege 6. de leg. 2. Denique contrarium non probat textus in l. ſi vſusfructus 14 §. 1, & 2. D. quando dies leg. ced. nam legatum quantitatis, ideò moriente legatario tranſmittitur ad heredem: quia vſusfructus legatum incipit inutile eſſe, cum legatarius ante aditionem heredis moriatur, quo tempore nondum ceſſerat, l. ſi 5. D. quando dies leg. ced.

8 Hinc itaque euenit, vt ſicut re in genere promiſſa, omnes ſpecies ſunt in obligatione, l. Mœuis 66. §. duorum, D. de leg. 2. l. 3. in fine, D. qui & à quibus, l. cum incertus 13. D. de leg. 1. l. & per 13. §. ſi is qui hominem, D. de acceptilationibus, ita in diſiunctiuis debitis, vtrumque eſſe in obligatione conſtat, licet in ſolutione alterutrum ſit, l. ſi Stichum 16, l. ſi quis ſtipulatus 112, l. ſi duo 128. §. 1. D. de verborum obligationib. l. cum hereditas 5. verſ. multum enim intereſt, D. qui & à quibus, l. qui decem 72. §. Stichum D. de ſolutionibus, de cuius difficilis textus explicatione, & conciliatione cum d. l. Mœuius, §. duorum, tractant, præter ordinarios, Connan. lib. 6. comment. cap. 2. num. 5. Cuiac. lib. 14. obſeruat. cap. 20. latè Giſan. ad titulum de verborum obligationib. num. 34. & ſequentibus, Anton. Fab. lib. 2. coniect. cap. 15. Briſon. de ſolutionib. lib. 2.

9 Quod cum ita ſit, & de eo inter Interpretes conſtet, Bartolus, & doctores in d. l. 2. D. de verborum obligationib. Cuiacius lib. 28. quæſt. Papiniani in d. l. Stichum 95. & ipſe etiam Anton. Fab. fateatur hoc ita verum eſſe, in rational. ad Pandectas in l. ſi vnus 27. §. ſed ſi ſtipulatus, D. de pactis, illud, ſecundum ratiocinationem ipſius Fabri, ſequitur, in duobus alternatius debitoribus vtrumque eſſe in obligatione, licet alteruter in ſolutione ſit, id eſt, vnumquemque in ſolidum ab initio teneri: & ſingulos obligatos eſſe vna eademque obligatione, ſed alterutro ex illis ſoluente, totam extingui obligationem, & ab alterutro debitum exigi poſſe, non ab vtroque; quod quam proprium ſit, & conueniens duorum reorum conſtitutioni, ſatis iam conſtat.

Remanet itaque eo demum caſu, in teſtamento actum 10 intelligi, vt plures rei ſint, quoties diſiunctiuè legatum relinquitur, quia tunc ſinguli heredes ſolidum debent, & vno ſoluente alter liberatur, d.l.8. §.1. cum ſimilibus, D. de legat. 1. Nam ſi coniunctiuè teſtator heredes grauauerit, vel viriles partes, l.ſi heredes 124. D.de leg.1.l.nónunquam 24. D. ad Senatus Conſultum Trebel. vel hereditarias debebunt, l.turpia 54.§. vltimo, D.de legat.1. l.ſiue à certis 17. D. de duobus reis, de qua quæſtione videre eſt Anton.Fabrum dicto lib. 11. coniectur. cap.19. Cuiacium lib.15.quæſt.Papin.in d.l. nonnunquam.

CAP. III.

De differentia inter principales reos, & fideiuſſores vel mandatores, quoties de conſtitutione duorum reorum tractatur.

DIfferunt in hac quæſtione, plures rei, qui principaliter ſe obligant, à pluribus fideiuſſoribus, qui principali obligationi, iam conſtitutæ, accedunt: quia in illis neceſſe eſt, vt actum ſit, alioqui partes debent, vt iam ſupra tradidimus: pluribus autem acceptis fideiuſſoribus, plerumque actum videtur, vt ſinguli inſolidū teneantur, l.inter eos 51. D.de fideiuſſoribus, l.3. ibi: *Nam & cum hoc non adijciatur, ſinguli tamen in ſolidum tenentur*, l.reos principales 23. C.de fideiuſ. §. ſi plures inſt. eodem, docet, Donel. ad titulum, C.de fideiuſ. in d. l.3. Cuiac. lib.11. reſp. Papiniani in d.l. reos 11.§.cum tabulis, D.de duobus reis, ſenſitque Bartol.in authen.hoc itaque num.9.C.de duobus reis, licet ſuo more varijs diſtinctionibus vtatur. 1

Quod etiam in duobus mandatoribus obſeruari Paulus 2 ſcribit in l.final. D. quod iuſſu, ea namque ratione ſi duo domini alicuius ſerui, cum eo contrahere iuſſerint, in ſolidum conueniri eos poſſe, ſcribit: quia ſimiles ſunt duobus mādatoribus. Idque manifeſtius idem Paulus docuit in l.ſi manda-

mandatu 59. §. Paulus, D. mandati, his verbis, *Paulus reſpondit vnum ex mandatoribus in ſolidum eligi poſſe, etiam ſi non ſit conceſſum in mandato.* Eandem ſententiam in mandatarijs Scæuola amplexus eſt in l. creditor 60. §. duobus, D. mandati, & conſtat ex l. vltima, C. de conſt. pecun. confirmaturque in l. 8. & 10. titulo 12. part. 5. l. 1. titulo 16. lib. 5. nouæ compilationis, docet Bartol. loco ſupra citato, Cuiac. dicto lib. 11. reſponſ. Papiniani, & lib. 4. reſp. Pauli in d. l. ſi mandatu, §. Paulus reſpondit, & lib. 22. obſeruat. cap. 5. Gregor. Lopez in d. l. 8. part. Matienço, & Aceuedo in d. l. 1. titulo 16. lib. 5. nouæ recopilationis, Olanus in concordia Iuris Ciuilis, & Regij littera F num. 35. Ideòque neceſſarium fuit pluribus fideiuſſoribus beneficium diuiſionis, ex quo actio contra eos diuidatur; quæ aliàs in ſolidum competeret, quod ex epiſtola diui Adriani conceſſum eſt, l. inter fideiuſſores 26. cum l. ſequenti, l. inter eos 56. hoc titulo, l. 3. in fine, l. fideiuſſor 10. C. eodem, dict. §.
3 ſi plures, Paulus lib. 1. ſent. titulo 20. Vbi epiſtolam Adriani, edictum perpetuum appellat: quia Adrianus edictum perpetuum, Iuliani miniſterio condidit, vt conſtat ex l. 2. §. ſed quia diuinæ, C. de veter. iur. enucl. l. ſi quis ſeruum, C. de condictione indebiti, Spartianus in Didio Iuliano, Eutropius lib. 8. Forſterius in Hiſtoria Iuris cap. 73. Et an iure actionis hoc beneficium competere poſſit tractat doctus præceptor noſter Anton. Pichard. in dict. §. plures num. 24. contra quem latè diſputat Heringuis de fideiuſ. cap. 27. num. 15. & ſequentibus.

4 Cuius inter reos principales, & fideiuſſores, ſeu mandatores differentiæ illa ratio eſt; quod obligationi, quam reus principalis contraxit, quilibet fideiuſſorum accedit in ſolidum; illiuſque locum ſinguli obtinent, l. 1. §. ſed aut proprio, D. de obligat. & actio. l. ſtipulationum 5. §. ſatis acceptio, l. ſi ita ſtipulatus 97. §. poſſum, D. de verborum obligationib. l. 4. hoc titulo, l. ſi non ſinguli 5. C. ſi certum petatur, Corraſius in d. l. 5. ſatis acceptio, num. 5. Heringius de fideiuſ. cap. 3. num. 25. Schifordiger. diſputat. Fo-
5 renſ. lib. 2. tract. 8. q. 5. Idque colligi etiam poteſt ex eo,

quod

quod in fideiuſſoribus tutorum, ſi vnius tutoris plures fideiuſſores ſint, in ſolidum vnuſquiſque obligatur, beneficio diuiſionis non admiſſo, l. vltima. D. rem pupil. ſalu. fore: at ſi plurium tutorum fideiuſſores fuerint, pro parte tantum conueniuntur, l. pupillus 6. D. de fideiuſ. tutor.

Plures autem rei principales, non accedunt alicui obligationi, quæ inſolidum contracta proponatur, & cuius naturam vnuſquiſque ſequatur; ideòque niſi aliud cautum ſit, illud plerumque actum intelligitur, vt viriles partes ſinguli debeant, docet Cuiacius dicto libro 11. reſp. Papinian. in d. l. reos, §. cum tabulis, Donel. in l. 5. C. hoc titulo, & inſinuaſſe videtur Bartol. loco ſupra citato. 6

Vnde deſcendit, vt ſi plures pro debitore expromiſerint, non in ſolidum teneantur: ſed in partes. Ideòque ſi plures fratres interceſſores extiterint, ſubductis fœminis ab obligatione, auxilio Senatus Conſulti Velleiani, mares in partes tenentur, non inſolidum, l. ſi paternam 8. C. ad Velleianum, vt rectè docet Bartol. Nam expromiſſores alienam obligationem principaliter ſuſcipiunt, nomine debitoris, cuius obligatio, vel ab initio non conſtituitur, vel per ex promiſſionem nouatur. Quapropter non acceſſorij, ſed rei principales ſint, l. 4. D. de condictione cauſ. dat. l. & eleganter 7 §. ſeruus pactionis, D. de dolo, l. vlti. D. ad Senatuſconſultum Trebel. l. 4. §. ait prætor, D. de re iudicat. l. qui libertinus 37 §. vltimo, D. de oper. libert. explicant Cuiac. in Nouella 4. Ioan. Gœddæus de contrah. ſtipul. cap. 5. num. 16. Francus in tract. de fideiuſ. capit. 1. num. 3. Iure autem Regio etiam in fideiuſſoribus neceſſe eſt, vt expreſſe agatur, l 1. titulo 16. lib. 5. nouæ compilationis, vbi Aceuedo, Gregor. Lopez in dicta leg. 8. titulo 12. partita 5. 7 8

Qua conſtitutione exiſtente, ſublata eſt illa differentia, quæ inter plures expromiſſores, & plures fideiuſſores, vel reos debendi antiquo iure obſeruabatur; vt colligitur ex d. l. ſi paternam, C. ad Velleianum, iuncta l. ſi Titius 48. D. de fideiuſſoribus, & l. ſi ex duobus 12. §. 1. D. de duobus reis. In his enim iuribus ſi Titius, & mulier fideiuſſerint, 9

vel ſi Titius & pupillus, quaſi duo rei debendi conſtituti fuerint, cum vnuſquiſque inſolidum obligationem ſubeat, & duo rei conſtituantur. Licet alterius perſona ab obligatione ſubducatur, vel quia pupillus eſt, vel quia mulier auxilio Senatuſconſulti Velleiani adiuuatur, quod totam obligationem contra eam improbat, l. 1. l. ſi mulier 16. §. 1. D. ad Velleian. Alter tamen inſolidum obligatus remanet, non pro parte tantum. Ita enim Conſultus ſcribit in d. l. ſi Titius 48. vt ſcilicet ſubducta muliere, per auxilium Senatuſconſulti, actio aduerſus Titium inſolidum competat, cui diuiſionis beneficium denegatur: *quia ſcire potuerit, vel ignorare non debuerit, mulierem fruſtra intercedere.*

10 Sed in hac eadem ſpecie, contrarium docuiſſe videtur Paulus, in l. idem 18. D. ad Velleianum. Nam cum in § vltimo legis antecedentis; ſcripſiſſet Africanus; ſi in rem cõmunem mulier, & Titius pecuniam mutuam acceperint: pro parte tantum mulierem conueniendam, pro qua ex ſua obligatione tenetur; pro altera vero parte, ex qua interceſſiſſe videtur pro Titio, exceptionem illi Senatuſconſulti competere; atque ideo mulierem in partem tantum, Titium vero in alteram partem conueniendum, adijcit Paulus in d. l. idem 18. *idem & ſi pro debitore meo Titius, & mulier duo rei fideiuſſerint*, vel interceſſerint dicendum eſſe. Non igitur inſolidum, ſed pro parte obligantur, contra id quod Papinianus reſpondet in d. l. ſi Titius 48. D. de fideiuſ. nec ab expromiſſoribus differunt, in quibus idem conſtitutum extat, in d. l. ſi paternam.

11 Verum omiſſa interpretatione Cuiacij lib. 10. quæſt. Papiniani in d. l. ſi Titius, dicendum videtur, cum eodem Cuiacio tract. 4. ad Africanum in d. l. vir vxori 17. §. vlt. D. ad Velleianum. Sicut in ea ſpecie, cum in rem communem mulier, & Titius mutuam pecuniam acceperunt, pro parte dimidia exceptio mulieri datur: quia pro illa fideiuſſiſſe videtur, nec beneficium hoc Titio prodeſt; ita ſimiliter idem ſtatuendum eſſe, ſi mulier, & Titius pro alio fideiuſſerint, ſcilicet quod muliere inſolidum, per exce-

ptionem

tionem Senatuſconſulti, ſubducta: quia inſolidum fideiuſſit, Titio exceptio non proſit, ſed inſolidum teneatur, ſicut in altero caſu, pro parte tantum tenebatur: quia pro parte tantum fideiuſſerat.

Nec hoc in d. l. vir vxori 17. §. vltimo, ea ratione procedit: quia correi debendi, pro confideiuſſoribus habeantur; quod non ita eſſe, niſi expreſsè fuerit actum, ex opinione Petri Iacobi, & Cini quam ſequitur Bartol. in d. l. reos, D. de duobus reis, multis argumétis conuincit Faber dicto lib. 11. coniecturar. cap. 1. & 2. & iure noſtro comprobatum eſt, in d. l. 10. titulo 12. par. 5. in illis verbis: *Maguer cada vno dellos entraſſe fiador, y deudor por el otro,* ſed quia quoties illa perſona quæ fideiubere non poterat, in fraudem legis tanquam correus obligatur, perinde habetur, ac ſi fideiuſſiſſet, l. item ſi 7. alias, l. ſi Iulianus. §. idem ait ſi duos, D. ad Senatuſconſultum Macedon. Quod tunc in muliere procedit, cum maior eſt eius obligatio, pluſque incommodi accipit, quam fuit commodum, quod ad eam ex pecunia mutuata peruenit, & ideo pro parte fideiuſſiſſe videtur, & Senatuſconſulto adiuuatur, vt ſupra dicto loco Faber docuit. 12

Eademque ratione accidit, vt in dicta l. ſi ex duobus 12. §. 1. pupilli perſona exempta, quæ ex promiſſione naturali vinculo non tenetur, l. quod pupillus, D. de condictione indebit. cum vulgatis, Titiũ ſolum obligatũ eſſe Conſultus doceat. Etſi Anton. Fab. aliter ſentiat, & textum illum emendandum exiſtimet dict. lib. 11. coniectur. cap. 3. Sed maxima horum caſuum ſimilitudo, cum in vtroque, tota obligatio improbetur, l. contra 28. in principio, iuncta d. l. quod pupillus, illa de pactis, hæc de condictione indeb. d. l. ſi mulier 16. §. 1. D. ad Velleian. ſuperiorem explicationem ſuadet. 13

CAP. IV.

Quid noui circa obligationem duorum reorum inductum fuerit Nouella 99. cap. 1. de duobus reis, & in quo ius commune correctum ſit per legem primam tit. 16. lib. 5. comp.

1 CErtum itaque, & indubitatum cum illud eſſe conſtiterit; iure Digeſtorum neceſſarium fuiſſe ad duorum reorum conſtitutionem, vt actum eſſet de duobus reis conſtituendis, dubitari ſolet; aliquid ne circa formam hanc, innouatum fuerit per Nouellam 99. cap. 1. de duobus reis, vel quod idem eſt, in authent. hoc itaque, C. eodem: & Bartolus in l. 2. num. 1. D. de duobus reis, vbi Paulus de Caſtro idem Bartol. in authent. hoc itaque num. 2. ex ſententia Accurſij, denique omnes ferè Interpretes cõmuniter tenent, circa conſtituendi formam, nihil de nouo inductum fuiſſe, ſed in modo tantum exigendi, aut exequendi.

2 Sed Iacobus Cuiacius in dicta Nouella 99. & expreſſius ad titulum, C. de duobus reis, circa principium, & d. lib. 11. reſp. Papinian. in d. §. cum tabulis, exiſtimat, olim quocunque modo, ſiue id ageretur tacito intellectu, ſiue ſpecialiter exprimeretur, duos conſtitui reos, d. l. cum apparebit, cum ſupra citatis cap. 1. hodie autem ex d. Nouel. 99. non aliter duos reos conſtitui, quam ſi ſpecialiter dictum ſit, vt ſinguli tenerentur in ſolum. Quam ſententiam tuetur etiam Anton. Fab. dict. lib. 11. coniectur. cap. 4 ſed Donellus ad titulum, C. de duobus reis cap. 13. nihil, nec quoad conſtituendi formam, nec ad exigendi modum, d. Nouella immutari cenſet, quam non de duobus reis ſimpliciter acceptis, ſed de illis, qui vice mutua fideiuſſerunt intelligendam ſuadet.

3 Sed antiquorum communique ſententia recepta, illa Iuſtiniani mens, ille animus eſt, vt doceat plures debitores pro parte tantum teneri, niſi vel adiectum ſit, vt inſolidum tenean-

teneantur, vel aliquid tale: ita enim in dict. Nouel. ſcribit: *Si quidem non adiecerit oportere, & vnum horum inſolidum teneri, omnes ex æquo conuentionem ſuſtinere, ſi vero aliquid etiam tale adijciatur, &c.* Quod quid aliud ſignificat, quam quocunque modo actum fuerit, vt duo rei ſint, etiam ſi non fuerit expreſſum vt inſolidum teneantur, inſolidum tamen poſſe conueniri? Non itaque in hoc ius nouum Iuſtinianus inducit, ſed inductum refert, & præſuponit: vt nouum illud conſtituat, etiam in illis caſibus, in quibus actũ eſt, vt duo rei ſint vnumquemque pro parte conueniri debere, ſi cæteri idonei, id eſt ſoluendo ſint, & præſentes reperiantur: ſin autem aliqui vel abſentes fuerint, vel minus idonei, in id reliquos obligari, quod ab his ſeruari non poſſit. Conceſſumque illis eſt beneficium diuiſionis, quo 4
duo rei debendi, ante hanc conſtitutionem, non gaudebant, vt conſtat in l. reos 11. in principio, D. de duobus reis, vbi Cuiac. dict. lib. 11. reſp. Papinian. l. inter eos 51. §. duo rei, D. de fideiuſ. docet Bartol. in authent. hoc itaque in principio, Anton. Fab. dict. lib. 11. cap. 4. Giſanius ad legem 3. C. de fideiuſ. pag. 457. Anton. Gomez 2. tomo variarum cap. 12. num. 2. Aceuedo in d. l. 1. tit. 16. lib. 5. nouæ compilationis num. 3. Ioann. Gutierrez de iuramento confirmatorio 1. parte cap. 23. num. 10. & practicarum quæſt. lib. 5. quæſt. 90. num. 2. & 3. Quam Iuſtiniani conſtitutionem confirmauit, l. 10. titulo 12. part. 5. vbi Grego. Lopez gloſſa 2.

Quibus legibus extantibus, dubitari merito ſolet, quid 5
noui induxerit Regis Henrici Quarti conſtitutio, quæ extat in l. 1. tit. 16. lib. 5. nouæ Compilationis, dum ait perſonas ſimpliciter obligatas in aliquo contractu, pro parte adſtrictas intelligi: aliud autem eſſe obſeruandum, ſi in cõtractu fuerit expreſſum, vt vnuſquiſque inſolidum obligetur; tunc enim inſolidum poſſe conuenire. Antiquo enim Conſultorum iure, iam hoc fuiſſe receptum, ſupra comprobauimus ex d. l. eandem 9. d. l. reos 11. §. cum tabulis, D. de duobus reis, cum ſupra citatis cap. 1. num. 2. & ſequentibus, & in d. authentico hoc itaque, & in dict. l. 8.

partitæ, vnde Grego. Lopez in d.l.8. Gloſſa 5. hanc legem primam, non de duobus reis, ſed de fideiuſſoribus accipiendam exiſtimat, in quibus iure Digeſtorum aliter obſeruabatur, vt conſtat ex l.3. C.de fideiuſ. & his quæ ſuperiori capite diſputauimus; quam ſententiam ſequitur Matienço in d. l. 1. nouæ compilationis.

9 Sed dicendum eſt, hanc legem potius de debitoribus principaliter obligatis loquutam fuiſſe (vt ex eius verbis apparet: *Que ſi dos perſonas ſe obligaren ſimplemente por contrato, o en otra manera*) & tamen ius nouum induxiſſe: nam cum ex dict. Nouella 99. cap. 1. & ex dict. l. 10. tit. 12. part. 6. etiam ſi actum eſſet, vt duo inſolidum tenerentur: tamen inter eos pro parte actionẽ dimidi, ſi cæteri idonei, & præſentes ſint fuiſſet ſtatutũ, & à iure antiquo receſſum. Hæc lex prima ſtatuit, vt ſi dictum fuerit, inſolidum vnũquemq; obligari, ſinguli poſſint inſolidum conueniri, etiam ſi cæteri, & præſentes, & idonei ſint; in quo cum maximè ius nouum induxerit, & contrarium illi, quod antea obtinebat ex dicta Nouella 99. & dict. leg. 10. rectè adiecit illud obſeruandum eſſe, non obſtantibus quibuſcunque iuris communis legibus contra diſponentibus, vt docet Aceuedo loco ſupra citato num. 4. Ioan. Gutierrez vbi ſupra, Olanus in concordia iuris communis & Regij. lit. F. num. 36.

CAP. V.

An lite conteſtata cum principali debitore, mandator liberetur: & de differentia inter mandatorem, & fideiuſſorem, ad explicationem verſ. quamuis, noſtræ legis.

1 QVamuis, conuento principali reo, mandator non liberetur; tamen vbi ſucceſſit creditor debitori, non ſolum fideiuſſorem, ſed etiam mandatorem liberari, ſcribit Paulus, in verſic. *Quamuis*, manifeſtam illam inter fideiuſſorem, & mandatorem differentiam conſti-

ſtituens; quod electo principali reo, mandator non liberetur: ſi fideiuſſor autem vinculo obligationis eximatur; quã idem Paulus lib 2. ſententiarum titulo 17. in fine, propoſuit his verbis: *Electo reo principali fideiuſſor, vel heres eius liberatur; non idem in mandatoribus obſeruatur.* Nullus autem alius, propriæ ſententiæ, peritior interpres, quam Conſultus ipſe, illius auctor; verum illam confirmant Gaius in l.ſiquis 27. §. vltimo, D. mandati, Iulianus in leg.ſi mandatu 13.D.de fideiuſſorib.quibus locis, poſt electum reum principalem, poſſe creditorem aduerſus mandatorem experiri, ſcriptum videmus. Quam diuerſitatem iure antiquo obſeruatam retulit, & ſuſtulit Iuſtinianus in l. generaliter 28. C. hoc titulo, eamque rectè inſinuarunt Iacob. Cuiac. lib.23. obſeruat. cap.5. Anton.Fab. lib.11. coniect. cap.20.

Erat autem olim liberum creditori, fideiuſſorem, vel 2
reum principalem conuenire; ita vt vno conuento, alter liberaretur, leg. 2.& 3. leg.iure noſtro, leg.liberum,leg.ſi alienam, C.de fideiuſſorib. antequam ordinis, ſiue excuſſionis beneficium à Iuſtiniano fuiſſet introductum Nouella 4. de fideiuſſ. authent. præſente, C. eodem, vbi Bartol. Bald. & Salicetus, Donellus in dict. leg.2. C. de fideiuſſorib. Cuiac. in dict. Nouella 4. & lib. 19. obſeruat. cap.31. Vveſembechius conſ. 10 volum.1. Mynſinger. centuria 2. obſeruat. 15. Theſaurus deciſ. 166. Bertachinus verbo, diſcuſſionis.

Quod cum ita ſit, hancque differentiam ipſemet Iaco- 3
bus Cuiacius veram, & ex iuris principijs fateatur, dicto libro 23. obſeruat. cap. 25. miror quomodo lib. 4. quæſt. Pauli, in explicatione huius noſtræ legis, fideiuſſorem, & mandatorem confundat, & tam vnum, quam alterum, non electione, ſed ſolutione liberari ſcribat, contra verba Pauli in hac lege, & dict.lib.2.ſentent.tit. 17. & contra manifeſtam aliorum Iuriſconſultorum ſententiam.

Hanc differentiam confirmant, & ex ea explicationem 4
accipiunt, difficilia Pauli reſponſa, in l. ſi mandauero 22.§. interdum, & in leg.ſi mandatu 45. §. vltimo, D.mandati.

Nam cum mandati actio, non competat; cum negotium proprium, alterius mandatu geritur, l. 1. §. idem Pomponius quærit, D. depoſiti, l. 2. §. vltimo, l. ſi remunerandi 6. §. planè, D. mandati: docet tamen Paulus, aliquando euenire, vt negotium meum principaliter gerens: quia tuum etiam, quod meo admixtum eſt, gerere videar, mandati actionem habeam. Quod duobus caſibus accidere ſcribit; primus eſt: Si mandaueris mihi, vt quod debebas, à debitore tuo, quem delegaſti, tuo periculo ſtipuler; ſtipulatus ſum: quamuis mihi cauerim, & meum negotium geſſerim, l. ſi donaturus 9. §. 1. D. de condictione cauſ. dat. l. ſiquis 11. §. 1. D. de nouationibus: quia delegatio pro ſolutione cedit, l. qui debitorem 18. D. de fideiuſſ. l. ſi rem 31. §. 1. D. de nouationibus: tamen mandati actione à te cōſequi poſſum, quanto minus à debitore tuo, quem delegaſti, conſequutus fuerim: quia tuo periculo ſtipulatus ſum, & tuum negotium geſſi. Ideòque quamuis per delegationem ſublata fuerit antiqua tua obligatio, tamen cum iuſſeris tuo periculo ſtipulari, ex noua mandati cauſa obligatus es: cum ſi id non fuiſſet actum, & ego debitoris nomen ſecutus fuiſſem, per nouationem liberatus maneres, d. l. qui debitorem, l. 1. d. l. ſiquis, §. 1. D. de nouationibus.

5 Secundum caſum proponit Conſultus, idemque iuris eſſe docet, ſi cum poſſem vel fideiuſſorem, vel principalem reum conuenire, fideiuſſoris mandatū, cum reo principali egerim. Competit enim mihi, in fideiuſſorem, mandati actio, qua conſequi poſſim, quanto minus à reo principali exigere potuerim: *quoniam ſequenti mandatu liberaretur*, fideiuſſor *ex priori cauſa*. Principali enim reo conuento, fideiuſſor obligatione fideiuſſoria eximitur, ideòque neceſſaria eſt actio mandati, quæ ex nouo contractu ortum accipit, idque ſignificat Conſultus in d. l. ſi mandauero 22. §. interdum in fine, & docuiſſe videtur in d. l. ſi mandatu 45. §. vltimo, in illis verbis: *quoniam ſequenti mandatu liberaretur ex priori cauſa*, vt doctè explicat Cuiac. lib. 32. Paul. ad edictum in d. l. ſi mandauero 22. §. interdum.

6 Pendet etiam ex ſupra traditis, difficilis Pomponij reſ-

ponſi

ponſi in l.ſi ei cui 11.D.mandati,interpretatio.Nam quamuis fideiuſſor, quoties reo ſtipulandi, id eſt creditori, heres exiſtit, mandati actionem non habeat: quia reus principalis adhuc manet obligatus, nec ipſe à ſe videtur exegiſſe;l.heres 21.§.fin. ſup.hoc tit. At in dict. l. ſi is cui 11. fideiuſſor mandati actionem habet; non quia creditori heres extiterit;ſed quia iudicio à creditore fuerat conuentus, & condemnatus, vnde principali reo liberatio fuerat ſequuta. Non igitur quia à ſe exigere videatur; nec confuſſionis iure, ſed iudicij ante confuſſionem accepti, & litis conteſtationis poteſtate, vt docet Cuiacius tract.7.ad Africanum in dict. l.heres 21. §. fin.

Huius autem diuerſitatis rationem illam eſſe Cuiac.exiſtimat lib.23. obſeruat.cap.25. quod fideiuſſor alieno nomine obligatur, l.1. §. aut proprio,D.de oblig. & action. & rei principalis locum tenet, l.4.D. de fideiuſ. vnde electo reo, deſinit eius locum habere: mandator autem non loco rei eſt, ſed alius quidam reus, & ſuo nomine obligatur, l. Papinianus,D.mandati: ideòque non liberatur:quia electo vno ex duobus reis, alter obligationis vinculo ligatus remanet,l.ſi ex toto 8.§.2.D.deleg.1.l.ſi vt certo 5. §.vltimo, D. commodati. 7

Sed idem Cuiacius lib. 32. Pauli ad edictum in dict. l. ſi mandauero 22. §. interdum, D. mandati, nulla prioris huius mentione facta, diuerſam aliam rationem aſſignat,exiſtimatque diuerſitatem hanc prouenire, ex diuerſitate iudiciorum. Mandator enim iudicio, quod bonæ fidei eſt, §. actionum Inſt. de action. fideiuſſor autem ex ſtipulatu ſtricto iudicio obligatur: Ideòque mandator non liberatur, niſi plenè ſatisfactum ſit, creditori: quia mandati iudicio, quod æquum, & bonum eſt continetur: non eſt autem æquum, & bonum, vt electione ſola, ante debiti ſolutionẽ mandator liberetur. Fideiuſſor vero lite cum reo conteſtata, liberatur: quia ſtricti iudicij natura, interpretationem illam æquitatis non admittat. 8

Differentiam tamen hanc, inter fideiuſſorem, & mandatorem dubiam faciunt Conſulti in l. egiſti 84. leg. cum 9

quis 38. §. de peculio, D. de ſolutionibus, quibus locis probare videntur, non electione rei principalis, ſed ſolutione, fideiuſſores liberari. Nam in d. l. egeſti 84. docet Proculus, ſi cum domino de peculio auctum ſit, fideiuſſores ſerui adhuc teneri, & tunc demum liberatos eſſe, cum pecunia ſoluta ſit. Quod ſenſit etiam Africanus in d. l. cum quis 38. §. de peculio; liberari enim ſerui fideiuſſores ſcribit; non ſi lis conteſtata ſit; non ſi condemnatus dominus, ſed ſi & actum fuerit & non ſolum condemnatus, ſed etiam ex condemnatione dominus ſoluerit. Non ergo ſufficit electio, aut condemnatio, ſed ſolutio neceſſario requiritur.

10 Cuiacius tract. 7. ad Africanum in d. l. cum quis, §. de peculio; Iulianum, cuius ſententiam indicat Africanus, verbo *reſpondit* (vt aliàs ſolet) à Proculo diſſenſiſſe exiſtimat. Sed tamen hac ſententia omiſſa reſponderi poterit, lite cum domino conteſtata, naturalem ſerui obligationem non tolli: adeò vt ſi ſeruus poſt iudicium cum domino acceptum, ſoluerit, repetere non poſſit; & ſimiliter ſi fideiuſſorem dederit, fideiuſſor obligetur: *quia naturalis obligatio, quam etiam ſeruus ſuſcipere videtur, in litem translata non eſt*, vt eleganter dicebat Papinian. in l. eo tempore 50. §. etiam, D. de peculio, cum itaque ſeruus, naturali obligatione ligatus maneat, etiam poſtquam dominus conuentus eſt, fideiuſſores ab eo datos non liberari, rectè Proculus docet in d. l. egiſti 84. vbi actum cum domino ſcribit. Quod ſi non conuentus ſolum dominus fuerit, ſed ex condemnatione pecuniam ſoluerit: quia poteſt eadem pecunia in plures cauſas numerari, naturalis ſerui obligatio, propterquam ſoluta etiam pecunia intelligitur, ſublata eſt, & conſequenter fideiuſſores illius liberantur, vt ex Iuliano Africanus ſcribit, in d. § de peculio, qui ideò non electionem aut condemnationem tantum, ſed ſolutionem interueniſſe proponit.

CAP.

C A P. VI.

Vtrum conuentione, vel electione vnius rei, mandatoris vel fideiuſſoris cæteri liberentur, & de poteſtate neceſſariæ nouationis.

QVod ſuperiori capite dicebamus, ideò ſerui fideiuſ- 1
ſores, conuento domino, non liberari: quia ſeruus
adhuc manet obligatus, difficultatem illam habet:
videtur enim vnius rei electione alterum liberari debere,
& conſequenter etiam fideiuſſores eius; quod ſi ita eſt, fal-
ſa erit Conſultorum deciſio in d. l. egiſti, & in d. l. cum
quis, §. de peculio, D. de ſolutionibus; & ſimiliter falſa ra-
tio Iacobi Cuiacij dicentis, ideò mandatorem electo reo,
obligationis vinculo non eximi: quia principalis, & ipſe
reus eſt; vno autem reo electo alter non liberetur, vt præ-
cedenti capite retulimus ex lib. 25. obſeruat. cap. 25. To-
tam igitur hanc quæſtionem difficillimis, & pugnantibus
Iuriſconſultorum reſponſis implicatam excutiamus.

Et quidem quod Cuiacius docuit, & Proculi, & Afri- 2
cani in d. l. egiſti & in dict. §. de peculio reſponſa indicaſ-
ſe videntur; electione ſcilicet vnius rei, vel vnius fideiuſſo-
ris, vel mandatoris alterum non liberari; plurimis alijs iu-
ris noſtri locis comprobatur, l. nec vllam 13. §. penultimo,
verſ. Certe, D. de petition. hered. l. item illa 18. §. vltimo,
D. de conſt. pecun. l. 3. in fine iuncta l. ſequenti, D. de his
qui deiecer. vel effuder. d. l. ſi vt certo 5. §. vltimo in fine,
D. commodati, l. 1. §. ſi apud duos, D. depoſiti, l. nouiſſimè
7. in fine cum l. ſequenti, D. quod falſo tutor. auctor, l. ſi ex
toto 8. §. 1. D. de leg. 1. l. ſemper 15. §. ſi in ſepulchro, D.
quod vi, aut clam, l. amiſſi 52. §. vltimo hoc titulo, quibus
extat expreſſum, non litis conteſtationem aut electionem,
ſed nec condemnationem quidem, alterum reum libera-
re; ſed ſolutionem, & perceptionem vel tantum ſolutio-
nem.

Verum

3 Verum ex aduerſo lite cum reo conteſtata, vel alterius rei conuentione, aut electione alterum etiam reum liberari, ſenſit Iabolenus in l. 2. D. de duobus reis; cum ſcribat, eos qui eandem pecuniam, vel promiſerint, vel ſtipulati fuerint ipſo iure ſolidum debere, & illis deberi ſolidum: ideoque acceptilatione, & petitione vnius totam extingui obligationem: conſtat enim vnum ex reis ſtipulandi adeò totam rem in litem deducere, l. ſi rem 31. §.1.D.de nouationibus,& agendo occupare,& totum conſequi,l.fidecommiſſa 11. § plerumque, D.de leg.3.vt alter iam creditor non maneat, ideòque debitor pecuniam illi offerendo nihil agat, l. ex duobus 16. D. de duobus reis. Vnde cum Conſultus, petitionis, verbum,& ad reos ſtipulandi, & ad promittendi reos retulerit, ſicut petitione vnius alter creditor eſſe deſinit, ita & petitione ab vno, alter debitor amplius non erit.

4 Eandem ſententiam ſequutus videtur Papinianus in l. ſi pupillus 45.D.de adminiſtrat.tutor. docet namque,quod ſi pupillus iam pubes factus, alterum ex tutoribus liberauerit, improbe eum facturum, ſi poſtea alterum, illius nomine, interpellauerit. Idemque eſſe Conſultus ſcribit in duobus magiſtratibus, quorum vnum, pro debito Republica conuenit; nam alter conuentione illius liberabitur; nec poterit alterius nomine à Republica conueniri, quod cum propoſuiſſet, adijcit *hac in magiſtratibus tractari, quaſi duo rei eiuſdem debiti eſſent omnimodo, quod non ita eſt: nam ſi vterque idoneus ſit, electio locum non habet*, igitur in illis qui omnimodo ſunt duo rei, electionem ſemper locum habere cenſet Papinianus, & vno conuento, alterum etiam obligatione liberatum eſſe.

5 Idem etiam docuit Conſultus in l. decem 116. D. de verborum obligationib. vbi ſi decem ſtipulatus à Titio poſtea à Mœuio ſtipuleris, quanto minus à Titio ſis conſequutus,ſcribit Papinianus lite conteſtata cum Titio, Mœuium non liberari, niſi ſatisfactum ſit: adijcit autem Paulus id ea ratione procedere,*non enim ſunt*,vel quia nō ſunt, *duo rei eiuſdem obligationis Mœuius, & Titius*, ſi igitur eſſent,

ſent, electio tantum Titij Mœuium liberaret, etiam ſi ille iudicatum non fecerit.

Hanc etiam partem ſequitur Vlpianus in l. ſi per imprudentiam 51. §. vltimo, D. de euictionibus, ex pluribus enim, qui pro euictione inſolidum mihi tenebantur: ſi cum vno fuero expertus, cæteros ex Labeonis ſententia non teneri affirmāt; ſicut etiam ex duobus, qui noxali actione inſolidum obſtricti erant, electione vnius alterum liberum ab obligatione manere, extat expreſſum in l. electio 26. D. de noxalibus, & in l. ſiquis 8. l. ſi ſeruum 20. D. de interrog. in iur. faciend. 6

Accurſius in l. 2. D. de duobus reis variè reſpondet, ſed vltimam eius ſententiam, vt ſcilicet liberetur petitione alter reus, ſi exactio etiam vel ſolutio ſequuta ſit; non autem ſola petitione, veram exiſtimant, & ſequuntur Bartol. in l. ex duobus 16. num. 11. D. de duobus reis, & in authent. hoc itaque, C. eodem 3. quæſt. principali num. 4. verſ. Sed in alijs, Paulus de Caſtro in l. 2. D. de duobus reis, num. 4. vbi iura, quæ petitione vnius, alterum reum liberari docent, de petitione effectuali, ex qua ſequuta ſit ſolutio, accipienda affirmat; hanc opinionem comprobat Cuiac. ad titulum de verborum obligationib. in d. l. qui decem 116. idemque ſenſiſſe Anton. Fab. videtur lib. 11. coniect. cap. 20. & Donel. lib. 16. comment. cap. 25. quo loci ſcribit, vel dictam legem ſecundam, D. de duobus reis, de ſtipulandi reis tantum accipiendam, vel dicendum correctam fuiſſe per d. l. vlt. C. de fideiuſſor. 7

Verum hæc ſententia quamuis antiquorum auctoritatē comprobata, recentiorum etiam ſuffragijs confirmetur; recipi tamen ſalua conſcientia non poteſt. Nam & diuinationis vitium præfert, & veritate caret, cum enim aliud ſit petere, aliud conſequi, aliud petitio, vel electio; aliud ſolutio, vel perceptio, ſi petitione effectuali tantum, ex qua pecunia eſſet ſoluta, reus liberaretur, non dixiſſent Conſulti petitione, ſed ſolutione alterum liberari, nec petitionis mētio haberi deberet, vbi ſolutio, princeps omnis tollendæ obligationis modus, interueniſſet, l. ſolutionis 8

nis 54. l. penult. D. de ſolution.princ.inſt.quibus mod. tollitur oblig.

9 Denique non poſſunt Interpretes effugere Papiniani reſponſum in d. l. decem 116. D. de verborum obligationib. nam cum ſcribat Conſultus, ſi Titius decem, promiſiſſet mihi; & à Mœuio quanto minus conſequi poſſem, fuerim ſtipulatus, etiam ſi à Titio decem petierim, Mœuium non liberari niſi iudicatum Titius fecerit: quia non ſunt duo rei debendi Mœuius,& Titius; ſequitur quoties duo rei debendi ſunt, ſola petitione, etiam ſi iudicatum alter reus non fecerit, nec pecuniam ſoluerit, alterum liberari: alioqui enim idem eſſet in his duobus, de quibus Papinianus tractat, quod in duobus reis,quod tamen Paulus expreſsè negat.

10 His difficultatibus forſam inductus Donel. ad titulum de verborum obligationib.in d.l decem 116.& ad titulum C.de duobus reis cap.8. exiſtimauit olim inter Conſultos controuerſum ius hac parte fuiſſe, ſed plurium obtinuiſſe ſententiam, vt non petitio, ſed ſolutio alterum liberaret, quod dubitationis tollendæ cauſa, à Iuſtiniano etiam conſtitutum fuiſſe in d. l. final. C. de fideiuſſor. eandemque ſententiam, à priori diſcedens amplectitur Cuiac. lib. 4. quæſt. Papiniani in d. l. decem: illius enim textus verbis, quæ euitari non poſſunt, compulſus, fatetur ante Iuſtiniani conſtitutionem in d. l. final. ſola vnius rei electione alterum liberari; cuius etiam partis fautorem ſe præbet Anton. Fab. in l. 3. D.de his qui deiecer. vel effud. & in l. electio 26. D.de noxalibus, & in d.l.ſi quis 8.d. l.qui ſeruum 20. D. de interrogat.iniur. faciend. in 3.tomo ration. docetque in duobus reis conteſtationem litis, ad liberationem prodeſſe,& ſententiæ dubius in d.l.4.de his qui deiecer. ſcribit pro caſuum diuerſitate, nunc ſolutione, nunc petitione ſola, alterum reum liberari, nec certam de his regulam tradi poſſe.

11 Sed, vt dubiam hanc quæſtionem explicare poſſimus, ex iuris ipſius aditis ratio petenda eſt. Et quidem nouationis eam vim eſſe, vt antiquam obligationem extinguat, & nouam

nouam aliam producat, vel in eadem perſona conſiſtentē vel in aliam translatam, certi iuris eſt, l.1. l.2.l. cum ſtor,l. nouatione,l. delegare, D. de nouationibus,l.1.l.nec creditoris,C.eodem, l.poſt mortem 5. D.quando ex facto tutoris, Petr. Gregor. lib.21.ſyntag.cap.20. Parlador.lib.2.rerum quotid. cap. final. parte 1. § 2.limitatione 6. Duaren. ad titulum de nouationibus in principio, Donel. lib. 16. comment.cap.20.Briſon.de ſolutione,lib.2 titulo de nouatione, & ſequenti: ſimiliterque, & illud cautum extat, per litis conteſtationem nouationem celebrari,ita vt obligatio, etiam in aliam perſonam aliquando transferatur,l. delegare 11. l. aliam 29. D. de nouat. l. ſi inſulam 84.de verborum obligationib. l ſolutione 23. D.de ſolution.l.3. C.de nouationibus. In iudicio enim quaſi contrahitur,l.3. §. idem ſcribit, D.de peculio, ideòque actiones, etiam ex delicto deſcendentes, perpetuantur per litis conteſtationem,& in heredes tranſeunt, quaſi iam ex contractu deſcendant,l.omnes 26.l. conſtitutionibus 33. leg. ſciendum 58.D.de obligat. & act.l.omnes 139. D. de regulis iuris.l. 25.titul.1.part.7.Bartol.in l.1.D.de priuat.delictis,Bald.in l.vnic.C.ex delictis defunct vbi Donel. Hotman.lib.4. obſeruat. cap. 5. vbi plurimos effectus conteſtationis refert, Fachin.lib.9.controu.cap.5.

Quam nouationem licet non admittant Accurſ. in leg. vlt. verſ. ſi enim nouatur, C. de vſur.rei iudicatæ, Briſon. d.lib.2.de ſolutionibus, titulo de nouatione: illam tamen verbis,d.l.aliam 29. D. de nouationibus, & d.l.vltim.verſ. *ſi enim nouatur*, firmatam, comprobant Donel.lib. 14. com. cap. 14. & lib. 16. cap. 20. Duaren. ad titulum de nouat. cap. 1. Petr. Gregor. lib.21. ſyntag.cap.20.Pet. Fab.in leg. non ſolet 86. & ſequenti, D. de regulis iuris, Anton. Fab. lib.16.coniecturar. cap. 14. Et ratio ipſa euincit, ſi aduertamus; tunc demum per litis conteſtationem nouationem factam cenſeri cum ſententia ſequuta ſit. Quamuis enim iudicio contrahatur d. l.3. §. idem ſcribit, & actio in iudicium deducatur,d.l.ſi rem 31.§.1.D. de nouationibus pendet tamen ex ſententiæ euentu, vtrum nouetur obligatio, 12

vel

vel non nouetur: nam ſi reus fuerit abſolutus, per rei iudicatæ exceptionem, eliditur antiqua actio. l. 1. & toto titulo de exceptione rei iud. Si autem condemnatus ſit, ex tempore conteſtationis, & iudicij accepti nouationem factam dicendum erit; ſicut in conditionalibus ſtipulationibus euenire apparet ex l. in perſonam 30. §. vltimo, D. de pactis, l. quoties 14. l. nouatio 24. D. de nouationibus: condemnatione enim ſequuta contractus ſequentis, qui iudicio celebratur, conditio extitiſſe videtur; cum antiqua actio, tunc demum in nouam iudicati actionem ex ſententia natam, transferatur l. 4. in principio, & § ſiquis condemnatus, l. miles 6. §. vltimo, D. de re iudicata. l. tutor 15. D. ſiquis caution. l. ſi procurator 18. D. de procurator. l. & eleganter 7. §. ſi dolo, l. ſeruus 20. §. 1. D. de dolo, l. minor 40. in principio, D. de minoribus, l. ſi fundus, § ſi pluris, D. de pignoribus, l. hoc iure 86. de ſolutionibus, l. actori 8. C. de rebus cred. d. l. vltim. §. 1. verſic. *ſi enim nouatur* C. de vſur. rei iudicatæ, docent Donel. d. lib. 12. cap. 14. & dict. lib. 16. cap. 20. Hotman. d. lib. 8. obſeruat. cap. 5. Cuiac. in dict. l. vltim. C. de vſur. rei iudicatæ, & lib. 24. quæſt. Pauli in d. l. aliam 29. D. de nouationibus.

13 Sed cum hæc nouatio, ex neceſſitate oriatur, nec debeat quis ius ſuum amittere, dum litem non conteſtatur, vel per illius conteſtationem conditionem ſuam deteriorem efficere, l. non ſolet 86. cum lege ſequenti, D. de regulis iuris, effectum eſt, vt æquitate ſuadente, nouatio hæc neceſſaria naturalem non extinguat obligationem: ideoque verus debitor, etiam abſolutus, ſi ſoluat repetere non poſſit, l. Iudex 28. l. Iulianus 60. D. de condictione indeb. & creditori aduerſus verum debitorem agentem, exceptio doli detur, vt Conſultus ſcribit in l. procurator 8. § 1. D. rem ratam hab. Hincque ſimiliter fit, vt illud de quo lis mota eſt, veniat in compenſationem, l. in compenſationem 8. D. de compenſ. & vt pignus maneat obligatum, l. grege 13. §. etiam, D. de pignor. fideiuſſoriaque obligatio, & incipere poſſit, & permaneat, l. græce 8. §. & poſt litem, D. hoc titulo, l. eo tempore, §. etiam, D. de peculio, & vſuræ

curtant,

currant, l. lite 35. D. de vſuris, l. 1. C. de iudicijs, quæ omnia in voluntaria nouatione, quæ obligationem naturalem extinguit, l. 1. § 1. D. de nouationibus, aliter obſeruari conſtat ex l. nouatione 18. l. emptor 27. D. de nouation. l. 4. C. de fideiuſſor.

14 Rectè itaque dum non merum ius, ſed æquitatem reſpiciunt Conſulti, docuerunt, lite cum domino conteſtata, naturalem ſerui obligationem manere, d. l. eo tempore 50. §. etiam, & conſequenter fideiuſſores eius, non aliter liberari, quam ſi ſoluta ſit pecunia, d. l. egiſti, d. l. cum quis 38. §. de peculio, D. de ſolution. cum hæc nouatio; ad naturalem obligationem extinguendam non ſufficiat: ſimiliterq; illud rectè reſponſum eſt, quoties duo inſolidum debent, etiam ſi duo rei debendi ſint, non electione vnius, nec litis conteſtatione, ſed nec ſententia quidem alterum liberari, l. nec vllam 13. §. penult. D. de petit. hæredit. d. l. amiſſi 52. §. vltimo hoc titulo, cum ſupra citatis: quia neceſſaria nouatio, in actoris præiudicium, antiquæ obligationis interitum non inducit.

15 Verum in d. l. decem 116 D. de verborũ obligationibus, & in d. l. ſi per imprudentiam 51. §. vltimo, D. de euictionibus, & in d. l. 2. D. de duobus reis, iuris rigorem prudentes attendunt, & nouationem hanc neceſſariam, voluntariæ nouationis regulis æſtimant: ideòque electione tantum alterum reum liberari ſcribunt. Nec cerebrina hæc, aut commentitia iuris, & æquitatis in hac quæſtione, diſtinctio: nam ſi aliquis debitor, qui hypothecam obligauerat, condemnatus ſit in maiorem quantitatem, quam debebat, dubitat Conſultus: vtrum ſi id, quod ex prima obligatione debuerat, ſoluerit, hypothecam liberet, & reſpondet quantum ad ſubtilitatem legis, & auctoritatem ſententiæ, non liberari: quia prior obligatio in nouam iudicati tranſlata eſt, ſed tamen humanius eſſe, vt ſolutione eius quod prius debebat hypotheca liberetur, l. ſi fundus 16. §. ſi pluris, D. de pignor. Atque ita nouationem obligationis, quam ex ſubtilitate iuris Marcianus admittit, ex æquitate non concedit.

De

16 Denique difficilis huius quæſtionis, non leguleium aliquem, ſed ipſum Vlpianum interpretem adducamus, is enim vno eodemque reſponſo de duobus debitoribus loquutus, vnius electione alterum liberari ſcripſit; & ſimul non electione, ſed perceptione liberatum eſſe affirmauit, & quomodo vtrumque eſſet intelligendum explicuit, nam in l.ſi ex duobus 32. D. de peculio, docet ſi vnus ex pluribus heredibus, qui intra annum de peculio conueniri poterant, aut ex fructuarijs aut ſerui bonæ fidei poſſeſſoribus fuerit conuentus, cæteros liberari, adicitque vt rem totam explicet: *Sed licet hoc iure contingat: tamen æquitas dictat iudicium in eos dari, qui occaſione iuris liberantur, vt magis eos perceptio quam intentio liberet.* Veram hanc diuerſitatem, vt electione ſcilicet vnius rei, alter ipſo iure liberetur: æquitate autem non aliter quam per ſolutionem, vel perceptionem nemo negauit, vt pote in hac ipſa quæſtione ab Vlpiano traditam; ſed dubitauit aliquis quare in dict.l.decem 116. cum ſimilibus, magis ius quam æquitas ſpectetur; & à Cuiac. ſententiam mutuati, quam ſuperiori capite adduximus, ex lib. 32. Pauli ad edictum in l. mandauero 22. § interdum, D. mandati, reſpondemus: id ideò euenire, quia in d. l. decem, & in d. l. 2. & in d.l.ſi per imprudentiam 51. D. de euiction. de duobus reis in contractu ſtricti iuris, ſtipulatione ſcilicet, obligatis agitur: in contractibus autem ſtricti iuris ſummum ius & illius ſtricta ratio, non æquitas ſolet inſpici. l. vt fundus, D. communi diuidund. l. in actionibus, D. de in litem iurando.

17 Sed in l. ſi quis 7. & in l. ſeruum 20. D. de interrogat. iniur. faciend. de electione, ex qua ſequuta fuit ſolutio, tractat Conſultus, vt indicat exemplum illius, qui reſpondit ſe occidiſſe hominem, cuius præſtatio occiſorem non liberat, & ſimul verba illa, *recepturus eſt quod præſtitit*, manifeſte declarant ſolutionem, vel preſtationem interueniſſe, ſi enim electus tantum, vel conuentus fuiſſet, præſtitiſſet nihil: qua etiam ſignificatione, *electionis*, verbo vſus eſt Conſultus in d.l.electio 26. D.de noxalibus. Scribit enim ideo introductum, vt alter etiam dominus conueniatur, *illu-*

illuderetur actor : non vt etiam lucrum faceret, ex electione autem ſola lucrum non facit actor, ſed ex ſolutione. Igitur electionem ex qua ſolutio ſecuta eſt intellexit Paulus. Denique non obſtat d. l. ſi pupillus 45. D. de adminiſtrat. tut. tantum enim docet Conſultus ſicut illius tutoris nomine, quem liberauit, alterum pupillus interpellare non poteſt; ita nec Reſpublica ſi vnum ex duumuiris conueniat, partem alterius ab eo poterit exigere: quia liberatus pro eo habetur, qui ſoluit, l. ſatisfactio, D. de ſolut. adijcitque Conſultus hanc electionem, de qua in duobus magiſtratibus, quaſi in duobus reis tractauit, non omnimodo, vt in duobus reis procedere: nam in magiſtratibus, ſi idonei ſunt, actio diuiditur, nec electio locum habet, l. Imperator 11. D. ad municipal. in duobus autem reis ſemper locum habet electio, l. reos 11. D. de duobus reis. Ita enim textum in d. l. ſi pupillus 45. explicat Cuiac. lib. 14. quæſt. Pauli in eadem lege.

CAP. VII.

De confuſionis natura, origine, & cauſa.

COmprobauimus Pauli duas propoſitiones. Primam 1
ſic duos reos accipi debere, vt hoc inter contrahentes agatur. Secundam, electo reo principali, fideiuſſorem liberari, mandatorem non vtique: reſtat itaque vt cæteras, quæ ad confuſionis materiam pertinent, explicemus. Prima illa eſt, ſi vnus tantum debitor ſit, & creditor ei ſuccedat, vel ſolutionis iure, vel confuſione perſonarum ſublata obligatione, mandatorem liberari. Secunda vero ſi duo rei eiuſdem debiti ſint, & vni eorum creditor ſuccedat, extingui obligationem, non ſolutionis poteſtate, ſed confuſionis iure. Ideóque perſonam eximi, manente obligatione. Tertia & vltima propoſitio ea eſt, ſi creditor fideiuſſori, vel fideiuſſor creditori ſuccedat, reum obligatum manere: quia acceſſoria fideiuſſoris, non principalis obligatio debitoris extinguitur. Quibus pro-

poſitionibus, cum omnis confuſionum materia comprehendatur, niſi eam pro viribus explicare nitamur, muneri quod ſuſcepimus minime ſatisfaciemus.

2 *Eſt autem confuſio*, vt Donellus lib. 16. commentariorum cap. 4. ſcribit: *Cum diſtincta prius nomine creditoris, & debitoris in vnum corpus permiſcentur, & confunduntur*, vel vt Cuiac. tract. 7. ad African. in l. heres 21. D. de fideiuſſor. & lib. 28. quæſt. Papinian. in l. Stichum 95. § aditio, D. de ſolutionibus, & lib. 37. quæſt. eiuſdem Papinian. in l. debitori 50. ſupra hoc titulo docet, *crediti, & debiti in eandem perſonam concurſus, ex quo ſequitur interitus vtriuſque*: quia idem homo non poteſt eſſe debitor, & creditor, actor, & reus. Quam confuſionis cauſam Conſulti indicaſſe videntur, Paulus in noſtra l. in illis verbis: *quia non poteſt pro eodem apud eundem mandator eſſe*, African. in d. l. heres 21. §. quod ſi ſtipulator, ibi: *quoniam nemo poteſt apud eundem pro ipſo obligatum eſſe*, D. de fideiuſſor. Iulian. in l. qui hominem 34. §. qui filium, Papinianus in d. l. Stichum, §. aditio, Pomponius in l. penult D. de ſolution. comprobant, communi fere calculo, interpretes Corraſ. ad legem Papinianus, D. de ſeruitutibus num. 2. Briſon. de ſolut lib. 2. titulo de confuſione, Anton. Fab. lib. 18. coniect. cap. 19. Barboſ. in l. quæ dotis 34. in principio, D. ſoluto matrim. Caſtillo de vſufruct. cap. 71. num. 1. & 2. Morla in emporio iuris tit. 8. quæſt. 3. num. 6.

3 Concurſus autem hic, ex quo confuſio obligationis naſcitur, plerumque aditione hereditatis fit, vt Paulus in noſtra lege docet, ibi, *tamen vbi ſuccesſit creditor debitori*, omniſque Conſultorum ſchola teſtatur: quoties enim cõfundi obligationem docent, aditionem, vel ſucceſſionem interueniſſe ſcribunt in l. 2. §. cum quis, l. ſi hereditatem 20. D. de hered. vel actione vendit. l. ſi id quod 21. §. 1. D. de liberatione legata, l. 1. §. ſi debitor, D. ad leg. Falcid. l. deducta 58. l. debitor ſub pignore 59. l. penult. D. ad Trebel. l. heres 21. §. quod ſi, l. debitori 50. ſupra hoc titulo, l. qui hominem 34. § quidam filium, l. ſicut 75. l. Stichum 95. §. aditio, l. penul. D. de ſolutionibus, l. indigno 8. l. heredem

dem 17. l. eum qui 18. §. bonis, D. de his qui vt indig. leg. eius qui 29. §. vltimo, D. de iure fiſci.

Nam cum heres perſonam defuncti repræſentet, & in omne illius ius ſuccedat, l. cum heredes 23. in princip. D. de adquirenda poſſeſſione, l. heres, & hereditas 21. D. de vſucapionibus, l. cum heres 11. D. de diuerſ. & temporalibus præſ. l. ſi ex re 28. §. vltimo, D. de ſtipulat. ſeru. l. omnia 193 l. omnes 138. D. de regulis iuris, l. Seia 73. D. de euictionibus, l. 1. §. 1. D. de exceptione rei venditæ, l. venditrici 3. C. de rebus alienis non alienand. Bartol. & Doctores in l. heres 54. D. de adquirenda hereditate, Duaren. ad titulum de adquirenda hereditate cap. 6. Donel. lib. 7. comment. cap. 10. Anton. Fab. lib. 8. coniectur. cap. 19. & de error. pragm. decad. 27. error. 1. Ex diuerſis creditoris, & debitoris perſonis, vnica effecta, crediti, & debiti ius in vnum corpus permiſcetur: vnde confuſio, & per confuſionem obligationis extinctio reſultat; cum ſibi debere, aut ſui ipſius creditor eſſe nemo poſſit, l. ſi ei cui 41. in principio, & §. 1. D. de euictionibus, l. ſi vendideris 9. eodem tit. l. cum filio 11. verſ. ipſi vero, D. de leg. 1. Duar. ad tit. D. de condictione indeb. cap. 6. Donel. lib. 16. commentar. cap. 4. Anton. Gomez 2. tomo variar. cap. 13. n. 20. 4

Vnde apparet rectè Conſultos in hac lege noſtra, & in d. l. 2 §. cum quis, cum ſupra citatis, hunc tollendæ obligationis modum confuſionem appellaſſe. Nam cõfundi illud dicitur; quod alteri ita permiſcetur, vt deduci, aut ſeparari non poſſit, & toties confuſio nuncupatur quoties per duarum materiarum commixtionem, vnum corpus efficitur, l. 3. §. Pomponius, l. in rem 23. §. item quæcumque, D. rei vind. l adeò 7. §. voluntas, l. quidquid 27. D. de adquirendo rerum dominio, §. ſi duorum Inſtit. de rerum diuiſione, Albericus Gentil lib. 4. l[e]ctionum cap. 15. Donel. lib. 4. comment. cap. 31. Anton. Fab. in rationali ad Pandectas tom 2. in d. l. 3. §. Pomponius. Quod vtrumque in aditione hereditatis accidit: nam & duarum perſonarum ius, in vnum corpus confunditur, d. l. penul. D. de ſolution. & teſtatoris perſona, quæ cum heredis ſemel confuſa eſt, 5

diſiungi aut ſeparari, nec quidem poteſtate legis poteſt, l. ait prætor 7. §. ſed quod Papinianus. D. de minoribus, l. ei qui ſoluendo 88. D. de hered. inſt. l. cum quaſi 30. §. ſed & ſi ſuum, D. de fideicommiſ. libert. Anton Fab. de error. decade 27. error 1. Schifordiger. forenſ. diſp. lib. 3. tract 19.

6 Ex hac autem confuſione perſonarum, naſcitur etiam permixtio, ſeu confuſio bonorum; cum non poſſit heres eandem perſonam cum defuncto conſtituere, niſi omnia iura, quæ illius fuerunt, heredis efficiantur, l. ſi ego 9. §. 1. D. de iure dotium, d. l. cum heredes, D. de adquirenda poſſeſſione, cum ſupra citatis. Vnde patrimonium defuncti cum heredis bonis, ita permiſcetur, vt creditoris heredes, etiam in bona defuncti, ſicut defuncti creditores, in bona heredis ius habeant; neceſſariumque fuerit beneficium Prætoris, quo bona ſeparatur, vt ex illis cuiuſque creditoribus ſatisfiat, l. 1. & toto titulo, D. de ſeparationibus, ſimiliterque filio ſubſtitutus, ſi filius patri exiſtat heres, patris hereditatem, à filij bonis ſeparare non poteſt: quia iuncta & commixta cœpit eſſe hereditas, l. ſed ſi plures 10. §. filio impuberi, D de vulgari, l. Iulianus 42. l. qui patri 59. D. de adquirenda hereditate, de quorum iurium interpretatione agit Donel. in l. quidam elogio, C. de iure deliber. Duaren. ad titulum de adquirenda hereditate cap. de effectu repudiationis, Anton. Fab. de error. decad. 31. error. 6. diximus epiſtolic. exercitat. lib. epiſt. 1. exercitatione 1. & epiſt. 2. reſponſ. 1. & epiſt. 3. exercitatione 3. epiſtol. 4. reſponſ. 3. & epiſt. 5 exercitatione 6. Benedictus Pinel. lib. 1. reſol. cap. 13. Verum hæ duæ confuſiones, vel permixtiones perſonarum, & bonorum maxima illa diuerſitate diſtinguuntur; quod bona aliquando ſeparantur, & hereditas defuncti, ab heredis patrimonio deducitur, & in aliam perſonam transfertur. Perſonarum autem confuſio ſemel exiſtens nunquam poteſt tolli aut ſeparari, d. l. ei qui 88. D. de hered. inſt. quod operæpretium fuerit meminiſſe, nam huius materiæ quæſtionibus magnam lucem præfert.

(?)

CAP.

CAP. VIII.

De confuſione naturalis obligationis per aditionem hereditatis contingenti.

RAtio illa, ex qua obligationis confuſionem deſcendere diximus, non ſolum ciuilis eſt, ſed etiam naturalis: quia natura repugnat, vt eadem perſona, in duas diuidatur, & debitorem creditoremque idem homo conſtituat; non propter repræſentationem defuncti, & perſonarum confuſionem, quæ ex iure ciuili eſt, d. l. penultima, D. de ſolution. ſed quia cum ipſe heres debitori ſucceſſerit, vel è contra debitor creditori, nemo eſt alius, qui ex æquitate ad ſolutionem debiti teneatur: quam ipſe, ad quem bona defuncti, ex quibus ſolutio facienda erat, peruenerunt. 1

Hincque euenit vt non ſolum ciuilis, ſed etiam naturalis obligatio per confuſionem tollatur, vt conſtat ex difficili Africani reſponſo in l. frater à fratre 38. de condictione indeb. Naturalis enim obligatio, quæ inter duos fratres in eiuſdem patris poteſtate conſtitutos, tantum conſiſtere potuit, patri adquiſita, ex regula, l. placet 79. de adquirenda hereditate, pro qua parte frater debitor heres patri extitit, confuſione extincta eſt: ideòque ſi errore ductus, poſt mortem patris pecuniam ſoluerit, pro ea parte repetitionem habere Africanus indiſtinctè docet: ſed pro altera quidem parte, ex qua frater creditor, patris heres fuit, cum pro ea parte patri creditori ſucceſſerit, creditor ipſe effectus eſt: ideòque non aliter obligatio naturalis, pro reliqua debiti dimidia tollitur, quam ſi ex peculio fratris debitoris, ea quantitas ad eum peruenerit, quæ debiti exſolutioni ſufficiat: peculium enim cui obligatio inhæret, l. & ancillarum 28. §. final. l. ſiquis ſeruum 29. l. ſi ex duobus 32. §. final. cum l. ſequenti, D. de peculio patris hereditati immixtum eſt, & hereditas effectum, l. certum 13. iuncta l. ſi filiusfamilias 4. C. famil. erciſcund. Vnde fratris patrimo- 2

nio confuſum, atque coniunctum propriam obligationem ſoluiſſe videtur. Pone enim Lucium ducenta in peculio habuiſſe, Seium autem centum, & à Lucio fratre centum mutua accepiſſe, quæ poſt mortem patris ei ſoluit; cum iam heres extitiſſe pro dimidia, & pro ea parte confuſione obligatio naturalis fuiſſet extincta; & quia peculium eius quod centum erat, hereditati immixtum pro dimidia ad fratrem creditorem peruenerat, & reliqua quinquaginta ſoluerat, omne debitum repetere frater poteſt: quia in ſolidum obligatio naturalis extincta fuerat. Verum autem eſſe peculium fratri ſoluiſſe,& per retentionem pecuniam debitam, apud eum remanere, duabus rationibus Africanus confirmat. Prima, quia ſi debitori filio prælegatũ fuiſſet peculium, poſſet frater creditor in eius præſtatione quinquaginta deducere. Secunda, quod ſi ex peculio debitum integrum frater ſoluiſſet, iure creditor frater,pro parte peculij, quæ ad eum peruenerat, conueniri potuiſſet. Remanet igitur naturalem obligationem extinctam fuiſſe, partim confuſionis iure, partim ſolutionis poteſtate, in hac difficili ſpecie; de qua præter Bartolum, Fulgoſ. & cæteros in eadem lege tractant Donel. lib. 14. commentar. cap.19.Anton.Fab.lib.20.coniecturarum cap.20 Oſuald.in Donello dicto cap.19.qui plures refert littera A. Franciſc. Dauid-Argent.in notis iuris ad titulum de condictione indeb. in dict. l.frater à fratre, Schifordiger. for. diſp. lib.3. tract.5. quæſt. 4.

3 Secundo hæc etiam ſententia probatur ex l. heres 21. §. quod ſi ſtipulator, D. de fideiuſſ. ſcribit enim Conſultus reo creditori ſuccedente, fideiuſſorem liberari, *ſiue ciuilis obligatio, ſiue naturalis tantum in reum fuiſſet*, extincta ergo per aditionem naturalis obligatio fuit; alioqui enim illa permanente, fideiuſſor non liberaretur, qui naturali obligationi poteſt accedere, l.6. §.vltimo, l. quod enim 7. l. fideiuſſor 16. §.fideiuſſor, ſupra hoc titulo, idemque eodem argumento ex noſtro textu colligitur, vbi confuſa obligatione fideiuſſor, & mandator liberantur, ſimiliterque ex l.cum quis 38 §.vltimo, de ſolution. Quo loci, ſi fideiuſſor qui

qui alium fideiuſſorem dederat, reum principalem heredem inſtituat, ſublata primi fideiuſſoris obligatione, altera etiam fideiuſſoria obligatio, primæ illius acceſſoria extinguitur. Confirmant hanc ſententiam Gilchenius in l. frater à fratre num. 23. & ſequentibus, Hotman. in diſput. ad eandem legem, Donel. lib. 14. comment. cap. 19. Cuiac. tract. 9. ad African. in dict. l. frater à fratre, & lib. 4. quæſt. Pauli in l. debitor 59. D. ad Trebel. Anton. Fab. lib. 7. coniectur. cap. 16. & lib. 20. cap. 20. Vincentius Cabotius variarum lib. 1. cap. 23. Nicolaus à Salis in lib. quem ſicilimenta iuris appellauit in d. l. debitor.

Sed primo in hac quæſtione difficultatem facit Pauli 4 reſponſum in d. l. debitor ſub pignore 59. D. ad Trebel. Vbi ſi debitor qui ſub pignore debebat, creditorem heredem inſtituerit, iſque coactus hereditatem adierit, & reſtituerit, dubitat Conſultus, an pignus liberatum ſit, ſublata naturali obligatione; & reſpondet pignus remanere, & propter pignus naturalem obligationem. Nec poteſt in hoc caſu propter coactam aditionem confuſio denegari, vt Bart. & antiqui exiſtimabant, cum Paulus ſcribat, & verum fateatur, aditione hereditatis confuſam fuiſſe obligationem.

Cuiac. tract. 9. ad African. in d. l. frater à fratre, ſcribit 5 ipſam legem ſe aperire ſatis: quia dum propter pignus, naturalem obligationem remanere docet, propter alia non remanere, & confuſam fuiſſe ſignificat, Cuiacium ſequitur Fachin. lib. 6. controuerſiarum cap. 33. ſed Anton. Fab. lib. 7. coniect. cap. 16. & 17. ab hac opinione recedit, & Cuiacij ſententiam reprobat: tum quia ad pignoris obligationem retinendam, non eſt neceſſe principalem obligationem durare, cum etiam illa extincta, pignus permaneat, cuius illa lex eſt, vt non aliter diſſoluatur, quam pecunia ſoluta, l. grege 13. l. ſi fundus 15. §. in vindicatione, D. de pignoribus, l. penult. §. vltimo in fine, D. de exceptione rei iudicat. l. Titius 21. D. de iure fiſci. Tum quia abſurdum videatur obligationem naturalem, quoad pignus remanere, quoad cæteras vero res non vtique, cum indi-

uidua ſit creditoris perſona, & conſequenter obligatio; nec poſſit idem homo pro parte creditor eſſe, pro parte non eſſe; eximat itaque totum illum verſiculum, *remanet ergo propter pignus naturalis obligatio*, irrepſiſſe in contextum legis ex Gloſſa alicuius mali, & inepti interpretis, ideòque delendum.

6 Verum exiſtimauerim dici poſſe, quoties pro obligatione aliqua pignus conſtituitur, duas eſſe obligationes diſtinctas; principalis debiti alteram; pignoris alteram; quæ ex contractu pignoris naſcitur, l. 1. § final. l. 3. D. de pactis, l. 1. D. de pign. actione. Et ea lege, conſenſu, & conuentione contrahitur, vt non aliter diſſoluatur, nec pignus liberetur, quam ſi pecunia ſoluta, aut alio modo ſatisfactum fuerit, d. l. penult. §. vltimo, D. de exceptione rei iudicatæ, d. leg. grege 13. § etiam, D. de pign. vbi Conſultus ſcribit eas conditiones pignus habere, vt non aliter liberetur, quam per ſolutionem, vel ſatisfactionem; *conditio* autem eo loci pactum, ſiue conuentionem ſignificat, vel legem contractus, vt aliàs ſolet, l. ſed Celſus 6. §. vltimo; D. de contrah. empt. l. ſi merces 25. in principio, D. locati, l. & Ariſtoni 39. D. mandati, l. vltima, §. 1. D. ad l. Rhodiam de iactu, l. qui quatuor 30. §. vltimo, D. leg. 3. ex pacto autem naturalem obligationem produci conſtat ex l. 1. D. de pactis, l. in his 5. § Imperator, D. de ſolution. l. inter 26. §. filia, D. de pactis dotal. Habet igitur, & ſuam naturalem obligationem pignoris contractus, ex partium conſenſu, & voluntate ortam, argumento, l. Stichum 95. §. naturalis, D. de ſolutionib. vt non aliter diſſoluatur, quam ſi ſatisfactum fuerit. Itaque quamuis principalis debiti obligatio, etiam naturalis, aditione confuſa ſit, vt Paulus docet in illis verbis, *aditione quidem hereditatis confuſa obligatio eſt*, & inferius, *ne & pignus liberatum ſit, ſublata naturali obligatione*: tamen; quia, vt idem ſcribit, *verum eſt non eſſe ſolutam pecuniam, remanet propter pignus naturalis obligatio*, id eſt obligatio naturalis propter pignus ex conuentione contracta, nec antea diſſoluenda, quam pecunia ſoluta ſit, remanet: ſicut etiam quoties propter exceptionem actio amiſſa eſt,

quamuis naturalis obligatio tollatur, l. qui exceptionem 40. D. de condict. indeb. remanet tamen pignoris nexus, quia ſatisfactum non ſit. Ideòque ſi creditor, qui hereditatem reſtituit, pignus poſſideat, actione pignoratitia (quam defunctus exercere non potuit, niſi ſatisfactū fuiſſet, ideòque nec heres, qui eam ex defuncti perſona habet: *quia hereditaria actio eſt*) fideicommiſſarius pignus conſequi non poterit. At ſi ipſe fideicommiſſarius rem teneat actione Seruiana eam creditor poteſt petere; atque ita non ſolum retentionem ex contractu pignoris, ſed etiam petitionem habet; & conſequenter, ſi ſolutum ſit repeti non poterit: quia propter contractus pignoris, & illius conditiones ſeu conuentiones, voluntatemque in illis expreſſam remanet naturalis obligatio. Verum obſtare huic noſtræ ſententiæ dicat aliquis verba illa Pauli: *Neque fideicōmiſſum, quaſi minus reſtituerit, rectè petetur, quod eueniret ſi nullum pignus interceſsiſſet*, quibus ſignificare Conſultus videtur, ius retinendi debitum, quod proprium eſt indicium naturalis obligationis, non alias heredi competere, quam ſi interuenerit pignus; ergo remanet propter pignus naturalis, ex principali contractu, obligatio. Cui obiectioni facile ſatisfacere poſſumus, ſi aduertamus Conſultum non de retentione principalis debiti, ſed pignoris ipſius, tractare, cum de pignoratitia actione, quæ ad principalem obligationem nequaquam pertinet, mentionem faciat, & eam rem quaſi creditorem poſſidere ſcribat. Vnde rectè docet, ſi nullum pignus interceſſiſſet, & heres retentione vti vellet, fideicommiſſum peti poſſe, quaſi minus debito dederit cum obligatio naturalis ex principali obligatione, quæ aditione confuſa, & extincta eſt, debiti retentionem concedere heredi non poſſit. Nec in hac ſpecie ſolutionis vim aditio hereditatis obtinet, vt quaſi ſoluta eſſet pecunia, retentione heres idemque creditor vtatur, vt accidit in l. Stichum 95. §. aditio, D. de ſolut. Nam cum heres, qui ſuſpectam hereditatem dixit, & coactus adijt, nullum ex aditione commodum habeat, l. ita tamen 27. §. qui ſuſpectam, D. ad S. C. Trebel. meritò, & ea vtili-

tate

tate priuatur, quæ per debiti retentionem habere poſſet. Ideòque eleganter Conſultus affirmat, non aliter retinendi ius illi competere, quam ſi pignus interueniſſet, quod cum poſſideat quaſi creditor, quouſque pecunia ſoluta ſit iure poteſt retinere. Nec poteſt obijci pignoris ius extinctum fuiſſe, acquiſito per creditorem dominio; verum eſt enim,& pignori rem datam,& ſatisfactum non eſſe, indeque & pignus remanere, vt Conſultus docet in l.penult. §. vlt. D. de except. rei iud. de cuius explicatione, & l. 2. C. de luitione pig. tractant Donel. in d. l. 2. vbi & Giſan. Neguſantius de pignoribus parte 6. memb.2. quæſtione 3. Cuiac. lib.15. obſeruat. cap.23. Anton. Fab. lib. 7. coniectur. cap. 18.

7 Sed nec illud ſecundo loco obſtat; quod retentio, computatio, & deductio effectus ſunt naturalis obligationis: atqui poſt aditionem hereditatis, in imponenda ratione legis Falcidiæ, ſi creditor heres ſit deducit,& retinet quod illi defunctus debuit, ſi autẽ debitor fuerit bonis computatur, quod defuncto debuit, l.1. §. ſi debitor, l. ſiquis fundum 87. §. ſiquis heredem, D.ad leg. Falcid. l.in imponenda 6. l.irritum 8.C. eodem, ergo remanet naturalis obligatio. Nam reſpondetur, hoc ideò fieri: quia quantitas bonorum inſpicitur, quæ mortis tempore fuerunt, l. cum quo 56.l.in quantitate 73.D.ad leg. Falcid.cum nulla euenerat confuſio: ideòque & debiti hereditarij,& crediti ratio habetur, quaſi eadem nunc bona eſſent, nulla confuſione exiſtente. Præſertim cum quoties debitor creditori ſuccedit, maior intelligitur hereditas ad debitorem peruenire, quaſi ſoluta pecunia quæ debebatur hereditati, l.ſi ei cui 41.§. vltimo, D.de euictionibus.

8 Denique & illud aduerſatur, quod dicitur in l. Stichum 95. §. aditio, D. de ſolutionibus, creditorem pupilli ab eo heredem inſtitutum, & grauatum de hereditate reſtituenda, poſſe omnem quantitatem, etiam eam ex qua locupletior factus non erat, & quæ ſolum naturaliter debita fuerat; retinere; non itaque per aditionem confuſa fuit naturalis obligatio, ſiquidem retentio, quæ illius effe-

ctus eſt remanet. Verum cum eius effectus illam cauſam Iuriſconſultus propoſuerit, quod in hoc caſu aditio hereditatis pro ſolutione cedit, huius difficultatis interpretatio ſequentis capitis quæſtionem efflagitat.

CAP. IX.

Vtrum aditio hereditatis vim ſolutionis obtineat, & quibus caſibus confuſionis iure, quibus ſolutionis poteſtate obligationem extinguat.

EX duplici illa confuſione, vel commixtione perſonarum, & bonorum, quæ per aditionem contingit, l. non minus 31. D. de hered. inſt. l. nouatio 24. D. de nouationibus, l. penult. D. de ſolutionibus, l. Seia 73. D. de euictionibus, l. ſed ſi plures 10. §. ſed ſi filio impuberi, D. de vulgar. l. Iulianus 42. l. qui patri 59. D. de adquirenda hereditate. Et quam in fine ſeptimi capitis indicabamus, prouenit duplex aditionis effectus; vt vel obligationem confuſione extinguat, vel pro ſolutione cedat. De confuſione plurimis in locis Conſulti meminere, l. 2. §. cum quis, D. de heredit. vel act. vend. l. ſi id quod 21. D. de liber. legat. l. 1. §. ſi debitor, D. ad leg. Falcid. cum alijs: pro ſolutione autem aditionem cedere, & perinde haberi, ac ſi pecunia ſolueretur, ſcripſerunt Conſulti in leg. Sticum 95. §. aditio, D. de ſolutionibus, l. quæ dotis 33. D. ſolut. matrim. l. ſi ei cui 41. §. vltimo, D. de euictionibus, l. debitori 50. hoc titulo. Nam ex perſonarum debitoris, & creditoris commixtione, per confuſionem obligatio extinguitur: ex bonorum autem commixtione, pro ſolutione cedit. Vel quia cum bona debitoris ad creditorem veniant ſoluiſſe illi videantur, vel quia creditoris ſucceſſio ad debitorem deuoluta, per debitoris bona, ſolutionem factam credamus, d. l. ſi ei cui 41. §. vltimo, D. de euictionibus. 1

2 Sed cum ex propoſitæ quæſtionis explicatione, tota huius materiæ pendeat interpretatio; acriori rem totam

ſtilo

ſtilo examinemus; & quidem cum multum interſit, vtrum *res ipſa ſoluatur, an perſona liberetur*, & conſequenter an obligatio tota extinguatur, an perſona tantum exempta ſit obligatione, l. vltima, D. de duobus reis, aliud apud noſtros prudentes eſſe crediderim, obligationem extingui per aditionem ſolutionis poteſtate, vt in noſtra lege Paulus ſcribit, ibi, *veluti ſolutionis iure ſublata obligatione*, & inferius, *ac ſi ſoluta eſſet pecunia*; & Papinianus in l. debitori 50. D. hoc titulo in illis verbis, *vel quod eſt verius ſolutionis poteſtate*, aliud pro ſolutione cedere, vt idem Papin. loquitur in l. Stichum 95. §. aditio, D. de ſolutionibus, aliud vero *iure confundi obligationem*, d. l. Stichum, §. aditio, vel *confuſionis iure intercidere*, l. debitori, D. de fideiuſſoribus, vel *confuſione liberare*, l. 1. §. ſi debitor, D. ad legem Falcidiam.

3 Aditionem enim ſolutionis iure, vel poteſtate obligationem extinguere, quoties Conſulti reſpondent, illud ſignificant; perinde aditionem totalem obligationis interitum inducere, ac ſi ſoluta eſſet pecunia; non confuſionis iure perſonam tantum debitoris eximere, manente obligatione. Ita Paulus hæc verba interpretatur, dum in duobus reis dubitat: *Vtrum alter quoque liberatus eſt, ac ſi ſoluta fuiſſet pecunia: an perſona tantum exempta, confuſa obligatione.* Quod enim ſupra ſcripſerat, *veluti ſolutionis iure ſublata obligatione*, explicuit ipſe, & manifeſtius expreſſit, cum ait, *Vtrum alter quoque liberatus eſt, ac ſi ſoluta fuiſſet pecunia.* Eodem etiam loquendi genere, vſus eſt Terentius Clemens, in l. ſi id quod 21. §. 1. D. de liberatione legata: nam cum liberationis legatum extingui docuiſſet, ſi ipſa fuerit extincta obligatio, vel ſolutione, vel alio modo; adijcit hinc Iuliano placuiſſe, liberationis legatum extingui, ſi creditor qui liberationem legauerat, debitori heres extiterit: *quia confuſione perinde extinguitur obligatio, ac ſolutione*; id eſt æquè interitum obligationis inducit confuſio, ac induxiſſet ipſa debiti ſolutio, eademque vi & poteſtate interimit obligationem.

4 Hanc ſententiam confirmat, & ex traditis explicatur

Papi-

Papiniani reſponſum in l. debitori 50. ſupra hoc titulo. Debitor duos heredes ſcripſerat, creditorem, & fideiuſſorem; dubitabatur an omnis principalis obligatio, inſolidum fuiſſet extincta, reſpondet Conſultus pro portione hereditatis, ex qua creditor heres fuit, extingui obligationem principalem; pro ea vero parte qua fideiuſſor ſucceſſit, fideiuſſoria obligatione ſublata, principalem remanere. Et ne quis exiſtimaret pro ea parte qua principalis obligatio fuerat extincta fideiuſſoriam obligationem remanere: quia confuſionis ratione, intercidere obligationem ſcripſerat, ſubijcit, *vel quod eſt verius ſolutionis poteſtate*, vt ſignificet pro ea parte, qua creditor debitori heres extitit, non ſolum obligationem ipſius: ſed etiam fideiuſſoriam extingui, aditione hereditatis, ſolutionis vim, & poteſtatem obtinente, vel exercente. Verum pro altera parte, ex qua fideiuſſor debitori ſucceſſit, nulla ſolutionis habetur ratio, neque enim debitori fideiuſſor, vel debitor fideiuſſori obſtrictus eſt, ſed vterque creditori; itaque confuſio tantum perſonarum locum habet: *quia non poteſt quis pro ſe fideiuſſor exiſtere*, & manente principali obligatione, fideiuſſoria intercidit, vt Papinianus ſcribit: *quoniam maior tollit minorem.* Sed hanc de acceſſoria obligatione quæſtionem in ſequentem locum remittimus, nunc ad alteram poſitæ diuiſionis partem reuertamur. Cuius interpretem habemus Paulum in noſtra lege in illis verbis: *An perſona tantum exempta, confuſa obligatione*, & inferius, *& puto aditione hereditatis confuſione obligationis eximi perſonam.* Eximi enim in iure noſtro illud dicitur, quod aufertur, vel ſubducitur, manente illa re, à qua exemptum eſt, l. qui ſaxum 6. D. de donationibus, l. pro regione 8. D. de adquir. rer. dom. l. adeo 7. §. cum in ſuo loco, D. eodem, l. 2. D. de public. iud. l. ſed ſi vnius 17. §. ſi iuſſu, D. de iniurijs. l. 6. C. de ſentent. paſſis, l. ſi paternam 8. C. ad Senat. Conſult. Velleian. Plaut. in captiu. ſcen. 5. actu. 3. *Hæc ſunt quæ nos eximant opinionibus vulgi*, & ſcen. 2. act. 2. *pigeat herum ſi vos eximat vinculis.* Vnde confuſione liberari *reum*, vel *iure confundi obligationem*; dict. l. 1. §. ſi debitor, 5

D. ad

D.ad leg.Falcid.d.l.Stichum 95. §. aditio, D. de ſolutionibus, non obligationem omnino extingui ſignificare conſtat; ſed obligatione remanente, eius vinculo debitorem liberari vel obligationis nexu, vel nodo, nec ſoluto, nec ſciſſ, ab eo debitorem eximi vel abſtrahi, l.vlt.D.de duobus reis. Inter quæ magna eſt differentia: quoties enim res ipſa, vel obligatio ſoluitur, conſequenter, & perſonæ omnes ſoluuntur, ſublato vel ſciſſo vinculo quo tenebantur, ſiue principaliter ſiuè acceſſoriè tenerentur, l. in omnibus 43. l.Stichum 95 §.naturalis, D. de ſolutionibus. Quoties verò perſona tantum eximitur, liberatio tantum perſonæ prodeſt, non cæteris perſonis, quæ illius obligationi acceſſerunt: quia cum vinculum non fuerit diſſolutum, ſed ab eo perſona exempta, cæteri adhuc obſtricti permanent, vt tradunt Connan.lib.6.cap.7.num.12. Donel.lib.16.cap. vlt. Cuiac.lib.9.quæſt.Papinian.in l.ſi debitori 47.hoc titulo. Duobus non minus vtilibus quam difficilibus exemplis, rem comprobemus.

6 Si debitor deportatus ſit, cum mediam capitis diminutionem patiatur, l.amiſſione 5.D.de capit.minut. l. 2. de public. iud. l.inter pœnas 6. l. deportatus 15. D. de interdict.& relegat. & bona per ſententiam amittat, l. relegatus 14. §. magna eſt differentia, D. de interd. l. fin. C.de ſent.paſ.obligationibus, quibus antea tenebatur eximitur, l.2.& 3. D. de ſent. paſ. l. ſeruus 30. D. de obligat.& actio. ciuilibus quidem, & directis, ratione capitis diminutionis, l.2.§.hi qui, l. tutelas 7. § vltimo, l.eas obligationes 8. D. de capit.minut. Naturalibus autem, quia iniquum ſit actionem dari in illum, cui bona ablata ſunt, l. vltima, §. vlt. D. quæ in fraud. creditorum, l.relegatus 14. in fine, D. de interd. & releg. cum nulla æquitas ſit obligationibus obſtrictum manere eum, *qui amiſſis bonis, & ciuitate relicta nudus exulat*, d.l.tutelas 7.§.vltimo, D.de capit. minut. Transfertur itaque obligatio in fiſcum; ad quem bona deportati peruenerunt, l.2.in princip.D.de cap. minut. qui licet vere heres non ſit, l.1.§.idem Pomponius 14. in fine, D. depoſiti, tamen ſucceſſoris loco habetur, ideòque creditoribus

bus pro modo ſucceſſionis tenetur, l. habere 57. D. de euictionibus, l. tutelas 7. §. ſi libertate, D. de capit. minut. l. 2. C. ad leg. Iuliam de vi public. l. ſi vt proponis 5. C. de bon. proſcriptorum, l. ſi ademptis 5. C. de ſenten. paſſis, l. ſi marito 31. l. ſi maritus 36. D. ſolut. matrim. l. 2. C. eodem, l. ſi tutor 9. §. penult. D. tutel. & ration. diſtrah. l. 2. §. 1. D. de alim. & cibar. leg. l. in facto, §. final. D. de condit. & demonſt. And. Gail. obſeru. lib. 2. cap. 36. num. 6. M. Anton. Pereg. de iure fiſci lib. 5. titulo 1. num. 66. Fachin. lib. 8. controuer. cap. 55. Menoch. de arbitr. caſ. 173. num. 3. & ſequentibus, Anton. Fab. in Iuriſprudent. titulo 11. princ. 3. illatione 4. Cuiac. lib. 16. reſp. Papin. in d. l. 3. D. de ſent. paſ. & lib. 15. obſeru. cap. 35. Connanus lib. 6. comment. cap. 7. Donel. dict. lib. 16. cap. vltim. Bronchorſt Enantiophanon cent. 4. aſſertione 56.

Vnde fit vt debitore, vel pro parte, quia pars tantum 7
bonorum, vel inſolidum quia omnia illi bona adempta fuerint, obligationis nexu exempto, fideiuſſores ſemper; & integre obligati maneant, l. 1. l. ſententia 20. C. de fideiuſ. conſequenterque, ſi vnus ex duobus reis deportatus ſit, alter obligationis vinculo tenebitur, vt Conſultus ſcribit in l. vlt. D. de duobus reis. Vnde infert Pomponius, quod ſi aqua, & igni interdictum ſit alicuius, fideiuſſor poſtea ab altero reo datus tenetur, ita enim verba illa, *fideiuſſor poſtea ab eo datus*, interpretamur, vt non ad proximè præcedentia, quæ veluti parentheſis interiecta ſunt, & explicationis cauſa adiecta, ſed ad principalem orationem referantur, vt fieri videmus in l. nouatio 24. §. vltimo, D. de nouationibus, & contextus legis flagitat. Non enim tractat Conſultus an deportatus reus obligatus ſit; ſed vtrum illo deportato, alter adhuc obligatione ſit obſtrictus. Vnde illatio illa, *& ideo ſi aqua & igne interdictum eſt alicui, fideiuſſor poſtea ab eo datus tenetur*; minimè deciſioni conueniret, ſi verba *fideiuſſor poſtea ab eo datus tenetur*, ad illum ipſum qui deportatus eſt, referamus, quem obligatione exemptum eſſe Conſultus non dubitabat, & de quo quæſtio non erat. *Alicui* autem non *alicuius* legendum eſſe conſtat ex

Pande-

Pandectis Florentinis, & ex recta latini ſermonis norma; nec enim interdictum imperſonaliter ſcribi potuit, nec *alicuius interdictum* dicitur, ſed *alicui*, l. is cui 18. D. de teſtamentis, l. vltim. D. de pœnis, l. 3. §. 1. D. de Decurionibus. Nec his contrarium eſt, quod Papinianus docuit in l. ſi debitori 47. ſupra hoc titulo, ille enim ipſe qui deportatus eſt, ſi fideiuſſorem pro ſua obligatione dederit, fideiuſſor nõ tenebitur: quia licet obligatio in alijs remaneat, contra eum tamen tota, id eſt ciuilis, & naturalis, l. ſi vnus 27. §. pactus ne peteret, verſ. idem dicemus, D. de pactis, l. ſi mulier 16 §. 1. D. ad Velleian. extincta eſt.

8 Adeo autem verum eſt ſi debitor, hoc modo exemptus ſit obligatione, fideiuſſorem obſtrictum adhuc manere, vt nec per exceptionem liberetur. Ideòque in l. defenſiones 11. C. de exceptionibus ſcriptum extat: *Defenſiones ſiue exceptiones ad intercessores extendi, quibus reus principalis integro manente ſtatu munitus eſt:* nam quibus capite minutus gaudet, ad fideiuſſores non extenduntur, vt ſcribunt Cuiac. Giſan. & Donel. ad titulum, C. de exceptionibus in d. l. defenſiones. Quamuis enim aliàs exceptiones reo competentes, quæ obligationi, & rei cohærent, ad fideiuſſores extendantur, l. exceptiones 7. l. omnes 19. D. de exceptionibus, l. ſi ſtipulatus 15. l. ex perſona 32. D. hoc titulo, Valentin. Francus de fideiuſſoribus cap. 3. num. 20. cum alijs relatis à Heringio de fideiuſſoribus cap. 27. parte 4. num. 1. Donel. lib. 16. cap. vltim. & lib. 22. cap. 4. Hæc tamen exceptio ideo non competit; quia fideiuſſor ſi ſoluat, nihil à reo capite minuto, & conſequenter à ſua obligatione liberato, conſequi poteſt. Et ideo ceſſat ratio præcipua, qua exceptiones fideiuſſoribus conceſſæ ſunt; ne videlicet ſi denegarentur, nec reo principali prodeſſent, à quo cum iudicio mandati fideiuſſor exigeret, quod ſoluerat, perinde, eſſet ac ſi exceptionem non haberet. Quid enim intererat debitoris, creditori ſoluere, an fideiuſſori? Vnde in illis caſibus in quibus fideiuſſor agere contra reum non poteſt, exceptiones etiam non habet, vt in leg. ſi quis reum, D. de liberat. legat. l. quod dictum, D. de pactis, l. ſi pro

te, D.

te, D. mandati, l.tribus, D. de vſufruct. earum rerum,l. 1. C. de fideiuſ. minorum, explicat Cuiac. lib. 19. obſeruat. cap.29. Poteſt etiam dici ideò exceptionem,de qua tractamus, fideiuſſori non competere: quia non rei, ſed perſonæ cohereat,d.l.exceptiones 7.D.de exceptionibus,docuit Giſan.in d.l.1.C.de fideiuſſoribus.

Nec obſtat l. 4. & 5. D. qui ſatiſd. cogantur. l. ſed & ſi 9 quis 4. in principio, D. ſi quis cautionibus, in quibus ſpeciale eſt,vt reo antequam ſiſtatur, vel ante ſententiam capite minuto, ipſi quoque fideiuſſores liberentur, quaſi fideiuſſionis conditione nunquam extitura: quia deſijt ſiſti debitor aut condemnari poſſe; cum nec iudicio ſiſti qui exultat, nec ſententia contra eum ferri valeat. Ideòque ſi poſt diem exhibitionis, & ſtipulationem commiſſam moriatur,vel ciuitatem amittat debitor,fideiuſſores tenebuntur d.l.ſi deceſſerit 4.in fine, D.qui ſatiſd. cogantur, l.ſancimus 26. C.hoc titulo,explicant Cuiac. lib.19. obſeruat. cap.29. Anton.Fab.lib.11.coniect. cap.2. Donel. in d. l.1. C.hoc tit. Euerard. Bronchorſt. Enantiophan. centur. 4. aſſertione 56. Giſanius in d.l. defenſionis 11.in fine.

Ex quibus apparet, cum bona ad fiſcum perueniunt, 10 ſucceſſoris eum loco haberi, & ideò fideiuſſores non liberari. Vnde in noſtro textu, non quia debitoris bona ad fiſcum peruenerant; ſed quia eo tempore peruenerant quo creditoris ſucceſſor, & conſequenter creditor fuerat effectus, fideiuſſores liberari conſtat.Non enim alicuius extranei, ſed proprij ipſius fiſci debitoris bona, ad ipſum deuoluta ſunt, de qua ſpecie intelligendum eſſe Pauli reſponſum in l. in fraudem 45.§.ſi principalis, D. de iure fiſci, & diſtinctione hac inter extranei debitoris, & proprij ſucceſſionem, conciliandum cum d. l.1. d. l.ſententia 20. C. hoc titulo; cum primo caſu nulla ſit obligationis confuſio, vel extinctio ſed tantum translatio, ſecundo, & confuſio & extinctio ſit, ſcribit Giſan.in d.l.1. C.hoc titulo, vbi & Donel.Cuiac.d.lib.15.obſeru.cap.35.

Cum itaque plurimum quoad effectus iuris interſit, 11 confuſionis iure debitor liberetur,an ſolutionis poteſtate

debitum extinguatur,& ſtudioſè Iuriſconſulti, hæc vt diuerſa diſtinguant; videamus an certa aliqua, ex principijs iuris deducta regula afferri poſſit, qua, quibus caſibus, & quibus cauſis vtrumque contingat, demonſtrare valeamus: difficile enim id eſſe fatetur, Bartol. in l. ſi debitor, num.4. Accurſ. in l.ſi ſocer 44. verbo, acturam, exiſtimat, pro ſolutione cedere reſpectu tantummodo ſuccedentis,& quoad fideiuſſorias, & acceſſorias obligationes, nõ quoad alias ex d. l. debitori 50. & ex noſtra lege.

12 Bartolus in l. ſi is qui pro emptore 15. D. de vſucapionibus, docet, iure fuiſſe ex æquitate introductam, vt quoties vnus ſuccedit alteri, ne ex tali vnione perſonarum ſuccedens damnum pateretur, ſucceſſio per fictionem loco ſolutionis habeatur, d. l.ſi ei cui 21. §. 1. D. de euictionibus. Vnde diſtinguendum cenſet, vt ſi ex eo quod loco ſolutionis aditio habeatur, damnum ſentiat heres, ceſſet fictio, vt in noſtra lege; ſi lucrum conſequatur, ſimiliter locum non habeat, vt in d. l. ſi ſocer 44. D. ſolut. matrim. l.heres à debitore 21. §.vltimo, hoc titulo. At vero ſi ex eo quod pro ſolutione ſit, damnum effugiat heres, aditio ſolutionis exerceat poteſtatem, dict. l.ſi ei cui 21. §. 1.D.de euictionibus, d. l.Stichum 95.§.aditio, D.de ſolutionibus. Si nec lucrum acquirat, nec damnum ſentiat, diuerſis reſpectibus,obligationem vtroque modo tollat, ſed verius ſolutionis poteſtate, d. l.debitori 50.D.hoc titulo, ſentit itaque Bartolus fictionem hanc ex æquitate introductam locum habere,ſi æquitas ſuaſerit; æquitatem autem ſuadere vt illo tantum caſu locum habeat, quo aliter ſi conſtitueretur, damnum ſucceſſori aditio irrogaret, vel quo nihil intereſt, hoc an illo modo debitor, idemque heres liberetur: repetit eandem ſententiam in noſtra lege num.4. & in l. heres à debitore 21. §. vltimo, & in l. ſi debitori 50. hoc titulo,quam ſequitur Alexand. in l.quæ dotis 53.num. 15. qui tamen in l.ſi ſocer ex Baldi ſententia notat; quod hæc ficta ſolutio non patit effectum ſuum, niſi quantum ad illum qui ſuccedit, non quantum ad alium: Iaſon in d. l.ſi is qui pro emptore num. 386. cum à Bartoli ſententia,

tan-

tantum interpretatione textus in d.l.heres 21.§.vltimo recedat, de cætero eam probaſſe videtur.

Sed Petrus Auguſtinus Moila in empor. iur. parte 1. titulo 8. quæſtione 3. num. 8. in fine, refert regulariter ſucceſſionem ſolutionis vim obtinere, exceptis illis caſibus, quibus vel ex tali fictione damnum ſuccedenti irrogaretur, vel circa debitum nihil operaretur ſucceſſio. 13

Donellus lib. 16. comment. cap. 14. ſcribit, pro ſolutione aditionem hereditatis cedere, cum tantum efficit ad diſſolutionem obligationis, quantum ad eam rem efficeret vera ſolutio, idque accidere in creditoris, & debitoris perſona: nam & ille liberatur, & eius acceſſiones, & hic iure ſuo debitum percipit. At in alijs perſonis ſecus eſſe, veluti in correo, & ſimiliter in fideiuſſore, qui debitori vel creditori ſucceſſit, vel in debitore vel creditore, qui fideiuſſoris heres fuit exiſtimat, & aditionē cōfuſionis tantum iure perſonam eximi ſentit, quod nihil aliud eſt quam ſententiam, Accurſ. in d.l.ſi ſocer & Baldi breuiter ab alijs propoſitam, auctoribus non relatis latius explicare. 14

Cuiac. tract. 7. ad Africanum ſcribit confuſionem, licet pro ſolutione cedere dicatur, l. ſi ei cui 21. §. 1. D. de euictionibus, l.ſi id quod 21. §. 1. D. de liberat.leg.cum ſimilibus, non tamen per omnia vim, & effectum ſolutionis habere: nam ſolutio liberat etiam pignora; confuſione pignus non liberatur, l.debitor ſub pignore, D.ad S.C. Trebel. l.cum quis 14. §. vltim. D.de ſolutionibus, ſi ſoluat alter ex duobus reis liberatur alter, l. 2. D. de duobus reis; confuſione eueniente obſtrictus manet, vt conſtat ex lege noſtra. Denique ſi fideiuſſor creditori ſoluat, debitor liberatur, at ſi vel creditor fideiuſſori, vel fideiuſſor creditori heres exiſtat, minori obligatione, ratione confuſionis ſublata, principalis reus obligatus manet, hac noſtra l.in fin. l.heres à debitore 21. §. vlt. Ex quibus inducit plurimum à ſolutione diſtare confuſionem & id quod ad alterius ſimilitudinem redigitur, non per omnia ei eſſe ſimile. Idemque ſenſit in comment. ad titulum de pactis in l. debitori, exiſtimatque licet actio, vel obligatio, ſolutionis vice ſu- 15

blata ſit: alia tamen quæ iure ſuo creditor habet, remanere veluti deductionem, contributionem, compẽſationem, l.11. § ſi debitor, D. ad legem Falcidiam. l. quæ dotis 53. D. ſolut. matrim. quia non per omnia ſolutionis vim obtineat confuſio.

16 Antonius Faber lib. 7. coniectur. cap. 17. cenſet aditionem confuſionis vim ſemper habere, ſed non ſemper ſolutionis, verum eo dumtaxat caſu, quo effectus heres maneat, creditor qui debitoris hereditatem agnouerit, quamuis ea non ſit ſoluendo: quia ſibi ſoluiſſe intelligendus eſt quiſquis heres ſit, nullo alio exiſtente, quem pro debito conuenire poſſit.

17 Verum enim vero noſtram in hac difficili materia ſententiam promere liceat, ex cuius comprobatione apparebit, quid in his quas retulimus reprehendamus. Et quidem exiſtimauerim dici poſſe. Cum ratio naturalis, qua effectum diximus, vt obligatio hæc extinguatur, quoties bona illa quæ ſolutioni erant obnoxia, illis coniuncta ſunt, quibus pecunia debebatur, conſtituat, vt pro ſolutione ſit bonorum hæc commixto, ſiue confuſio, & æquitate rei conſtitutio hæc nitatur, quia nullus eſt alius quem obſtrictum eſſe ratio ſuaſerit, quam ad quem bona peruenerint debitoris; eueniet vt quoties æquitas dictat, pro ſolutione ſit aditio hereditatis (in quo libenter Bartoli doctrinam amplectimur, à qua nouitatis tantum, non veritatis ſtudio diſcedere nefas eſto.) Dictat autem æquitas (in quo non Bartolum ſequimur, ſed Anton. Fabrum) vt quoties alius non eſt, quem conuenire creditor poſſit, ſolutionis poteſtate obligationem extinguat aditio, hac l. noſtra d. l. debitori: quoties autem alius eſt, aduerſus quem alij ſolutionis effectus exerceri poſſint, illud commixtio illa bonorum ad commodum creditoris operetur, quod vera operaretur ſolutio, hoc eſt pro ſolutione cedat, l. Stichum 95. § aditio D. de ſolution. Regula propoſita, reſtat, vt videamus an rectè ſingulis caſibus conueniat, ſimulque Iuriſconſultorum ſingula de hac quæſtione reſponſa explicare nitamur.

18 Primo itaque in noſtro textu docet Paulus ſi vnus debitor

bitor ſit, cui creditor ſucceſſit, veluti ſolutionis iure ſubla-ta obligatione, etiam mandatorem liberari; at verò ſi duo rei debendi ſint, confuſionis iure perſonam eximi obligatione: ideòque mandatorem obligatum remanere, & rectè. Priori enim ſpecie cum nullus ſit, quem conuenire creditor poſſit, poteſtate ſolutionis aditio obligationem extinguit, poſteriori vero cum alter reus ſit, qui inſolidum obligationem ſuſtineat, & aduerſus quem petitio debiti locum habere poſſit, confuſionis tantum iure perſona eximitur manente obligatione, tam aduerſus alterum reum, quã aduerſus illius mandatorem vel fideiuſſorem.

Secundo in d. l. debitori 50. debitori creditor pro parte heres extiterat, pro parte fideiuſſor ſucceſſerat. Vnde pro parte quia creditor heres fuit, ſolutionis poteſtate extingui obligationem, eleganter Conſultus ſcripſit; quia pro ea parte nullus alius eſt, qui debiti nomine conueniatur; ideòque & fideiuſſoria obligatio pro ea etiam parte euaneſcit. Illud nãque animaduertere oportet, in his caſibus, vbi vnus debitor eſt, quoad fideiuſſorum liberationem, nihil intereſſe ſolutionis poteſtate obligatio extinguatur; an confuſionis iure debitor liberetur: quamuis enim alijs modis exempto debitore, fideiuſſor teneatur, d. l. 1. l. ſententia 20. C. de fideiuſſor, l. 1. §. idem Pomponius, D. depoſiti, l. Stichum 95. §. 1. in fine, D. de ſolutionibus. In præſenti tamen confuſio perſonarum, quæ debitorem eximit, etiam fideiuſſorem liberat: non quia reus exemptus ſit, ſed quia ex duabus perſonis, vnam efficit: non poteſt autem quis pro eodem apud eundem mandator eſſe, aut fideiuſſor, *vt quemadmodũ incipere alias non potuiſſet ita nec remaneat*, vt Conſultus in noſtra l. ſcribit. Quæ ratio efficit, vt etiã ſi duo rei proponantur, fideiuſſores tamen ex perſona illius, quæ confuſa eſt liberentur; idque eſt quod Paulus ſcripſit, *veluti ſolutionis iure ſublata obligatione, etiam mandator liberatur, vel quia nõ poteſt pro eodem apud eundem quis mãdator eſſe*. Diuerſa autem pignoris cauſa eſt, quod cũ eã cõditionẽ habeat, vt nõ aliter, quã ſi ſoluta ſit pecunia, liberetur, d. l. grege, §. etiam, D. de pignoribus, debitore per confuſionem 19

exempto, pignus manet dict. l. debitor ſub pignore, D. ad Trebellian. quod non maneret ſi ſolutionis poteſtatem aditio exercuiſſet. Ideo autem non exercuit, nec obligationem iure ſolutionis extinxit, quia nihil ex bonis debitoris creditor retinuit, cum ſuſpectam dixerit hereditatem, argumento l. 4. l. nam quod 14 §. ſi compulſus, leg. ita tamen 27. § qui ſuſpectam, & §. ſi præceptis, l. ſi patroni 55. §. quid ergo, D. ad Trebellia. Vnde æquitas ſuggerit, vt cum alius ſit, qui commodo bonorum fruatur, creditor debitum ſuum non amittat, vt rectè ſenſit Anton. Fab. dicto lib. 7. coniectur. cap. 17.

20 Ex qua inter fideiuſſorem, & pignus diuerſitate, & quo ad hanc iuris cauſam dffferentia, explicatur textus in l. cùm quis, 8. §. vltim. D. de ſolutionibus, vbi ſi fideiuſſor qui in ſuam obligationem pignus dederat, reum heredem inſtituat: quamuis fideiuſſoria obligatio, ratione confuſionis extinguatur: quia idem & debitor, & fideiuſſor eſſe non poteſt: pignus tamen remanere Africanus ſcribit, cui extinguendo confuſionis ratio non ſufficit. Quod ſi fideiuſſor, de quo tractatur, non pignus in ſuam obligationem, ſed alium fideiuſſorem dederit, & reum heredem reliquerit, ſublata primi fideiuſſoris, iure confuſionis obligatione, etiam ſecundi obligatio euaneſcit, cui tollendæ confuſio illa perſonarum ſufficiens eſt.

21 Ex his etiam apparet, qua ratione aditio hereditatis compenſationem inducat, in ſpecie ab Africano propoſita in leg. quæ dotis 33. D. ſolut. matrim. cum tamen in leg. quod bonis 15. § quod auus, D. ad legem Falcidiam hereditatem debito compenſatam Papinianus negett nam in dict. leg. quæ dotis 33. mulieri, eidemque debitrici, quæ certam dotis quantitatem promiſerat, maritus ſucceſſit, nullo alio exiſtente, ad quem bona peruenerint, nec quem ipſe poſſit conuenire. Ideòque aditio hereditatis obligationem extinguit, ſolutionis poteſtate, & hereditatem debitricis cum debito compenſaſſe videtur; & conſequenter ac ſi vere ſoluta dos eſſet, tenetur maritus illis, qui ſtipulati fuerant, ſoluto matrimonio partem dotis

dotis ſibi reddi, quibus non teneretur ſi nihil accepiſſet, l. Mœuia 49. l. maritus 52. D. ſolut. matrim. Donel. lib. 14. commentar. cap. 4. Anton. Fab. lib. 12. coniect. cap. 15. nec ad rem facit, quod hereditas damnoſa fuerit: nam cum videatur eſſe ſoluendo quælibet hereditas, quæ inuenit heredem, l. 3. D. ad l. Falcid. l. libertus 36. D. de bon. libert. Sibi ipſi ſoluiſſe intelligendus quiſquis heres ſit, cum nullus alius reperiatur, quem pro debito conuenire poſſit, & debeat.

Sed in d. l. quod bonis, §. cum auus, D. ad leg. Falcid. 22 bona non pænes heredem remanſerunt, ſed ad alium peruenerunt. Ideòque debito hereditas non compenſatur, ſed deductio conceditur, obligatione ſolutionis poteſtate nó extincta. Nec obſtat quod ſaltem quarta, quam deducit, cum debito compenſanda videbatur: hoc enim niſi ex manifeſta voluntate teſtatoris non conceditur, dict. l. quod bonis, §. cum fideicommiſſum, l. ſi mulier 22. §. ſi heres, l. in fideicommiſſaria 18. l. deducta, §. ante, D. ad Senatuſconſultum Trebellian.

Hinc etiam fit, vt ſi debitor creditori heres exiſtat, 23 computet in hereditatem ſuum debitum, tanquam ſi hereditati ſoluiſſet, l. 1. §. ſi debitor, l. vltim. in princ. D. ad leg. Falcid. locupletior enim ad eum venit hereditas, cum capere id videatur, in quo liberatus eſt, l. Nenſenius 22. §. ſi debitori, D. ad legem Falcidiam. Et è contrario, ſi debitori heres exiſtat creditor, quaſi ſolutum ex cauſa obligationis debitum deducat, l. qui fundum 87. l. ſi quis heredem, D. ad leg. Falcid. l. in imponenda 6. l. irritum 8. C. eodem. Nec huic imputationi, vel deductioni obſtat, quod extincta iam videatur obligatio per aditionem: nam in ineunda hac legis Falcidiæ ratione, tempus mortis ſpectatur, l. in ratione 30. l. in quantitate 73. l. cùm quo 56. in principio, D. ad leg. Falcid. l. eo tempore 50. §. creditor, D. de peculio, de cuius textus conciliatione cum lege ſi creditor 83. D. ad legem Falcidiam, vide Accurſium in d. l. ſi creditor, Bartol. ibidem, & in d. l. cum quo, Donel. lib. 8. comment. cap. 26. Cuiac. lib. 2. obſeru. cap. 30.

24 Inde etiam conſtat non rectè in ſpecie textus in l. ſi ſocer 44. exiſtimaſſe Bartolum, & Paulum Caſtrenſ. ibidem, aditionem non cedere pro ſolutione: quia filiæ remanet contra patrem, vel eius heredem actio: nam potius ex eo pro ſolutione cedit, cum id operetur, quod vera ſolutio in hoc caſu efficeret. Si enim gener ſocero verè ſoluiſſet, diſſoluto patriæ poteſtatis vinculo, vel morte, vel emancipatione, mulier ad reperiendam dotem, actionem haberet. Vnde æquitas ſuadet, vt cum ſit quem mulier conuenire poſſit, non poteſtate ſolutionis obligatio extinguatur, ſed cedat pro ſolutione aditio, vt ita mulier à patre, vel eius herede conſequatur, quod conſequeretur, ſi ſoluta eſſet pecunia.

25 Denique ex his apparet, in ſpecie à Papiniano propoſita in l. Stichum 95. § aditio, D. de ſolutionibus, aditionem, licet pro ſolutione cedat, non tamen ſolutionis poteſtate obligationem extinguere: nam ſi extinxiſſet, retentio illius obligationis nomine, quæ nulla erat concedi non poſſet. Ideò autem non extinguit: quia cum ad fideicommiſſarium bona veniant, dictat æquitas aduerſus eum, alios produci ſolutionis effectus, & conſequenter deductionem ſiue retentionem concedi, quæ concederetur ſi ſoluta pecunia proponeretur, l. frater à fratre 38. §. quæſitum, D. de condict. indeb. l. ſed ſi damnum 9. §. peculium, D. de pecul. l. ſi noxali 11. §. eſt autem, D. de peculio. Nec mirum ſi heres retentione contra fideicommiſſarium vtatur, cum in eum translatam obligationem naturalem conſtet, l. quamuis 40. leg ſi eius pupilli 64. D. ad Senatuſconſultum Trebellian.

26 Remanet ad huius capitis implementum, vt videamus an obligationem hanc (ſiue confuſionis iure, ſiue ſolutionis poteſtate ſublata fuerit) verè extinctam eſſe dicendum ſit; an potius interim tantum ceſſaſſe. Dubitationem faciunt Iuriſconſultorum reſponſa, in quibus poſt confuſionem, actionem creditorem habere, & contra debitorem exerceri videmus, l. 2. §. cum quis, l. ſi hereditatem 20. D. de hered. vel act. vend. l. ita tamen 27. §. ſi ex Trebelliano,

D. ad

D. ad Trebel. quibus motus Balduinus in principio Inſtit. quibus mod. tol. oblig. exiſtimauit, obligationem non extingui. Sed contraria ſententia potior eſt, nec obſtant prædicta iura: nam reiectis interpretationibus Alexan. in hac leg. Caſtrenſ. in l. ſi cui, D. commun præ diorum, Iaſon in l. inter ſtipulantem, §. ſacram num. 8. D. de verborum obligationib. Corraſ. ad legem frater à fratre, ſecunda lectura num. 22. Cuiac. in d. l. debitori, Goueani in d. l. 1. §. ſi creditor. Dicendum eſt per ſtipulationes emptæ, & venditæ hereditatis, quarum mentio fit in l. in illa ſtipulatione 50. D. de verborum obligationib. l. heredem 14. §. final. D. mādati, l. ſi creditor 37. D. de peculio, l. quiſquis 95. D. de leg. 3. l. liber homo 20. §. 1. D. de ſtipul. ſeruorum, l. cum ſtipulamur 59. D. de verborum ſignificatione, illud agi, vt emptor id omne conſequatur, quod ex hereditate venditor fuiſſet habiturus. Rurſus autem venditor, perinde ius ſuum retineat, ac ſi emptor heres fuiſſet; quæ omnia ſibi inuicem præſtare tenentur, vel actione ex ſtipulatu, ſi interpoſita ſtipulatio fuerit, l. heredem, §. final. D. mandati, vel empti, & venditi. quæ datur in id quod ſolet ſtipulatione illa caueri. Docet Cuiac. tract. 7. ad Africanum in d. l. ſi hereditatem, & lib. 2. obſeruat. cap. 30. Morl. in empor. part. 1. quæſt. 3. num. 12. Hinc igitur debitor nomen ſuum, id eſt debitum emptori præſtare tenetur: quia auctior ex eo, ad ſe hereditas videtur perueniſſe, l. ſi ei cui, §. 1. D. de euictionibus. Similiterque ſi debitori teſtatoris heres exiſtat; quia id ad hereditatem pertinere dicendum eſt, l. ſi hereditatem 20. D. de hered. vel act. vend. Hinc ſimiliter, emptor venditori, actione ex vendito præſtat legatum, ſi legatarius heredem venditorem inſtituat, l. penult. D. de hered. vel actione vend. & ſimiliter ad debiti, quo teſtator venditori erat obſtrictus, præſtationem tenetur, d. l. 2. §. cum quis, Connan. lib. 7. comment. cap. 8. Cuiac. tract. 7. ad African. in d. l. ſi hereditatem, Anton. Fab. lib. 20. coniectur. cap. 12.

Nec ſuperiori doctrinæ aduerſatur, d. l. maritus 22. C. de inofficioſo teſtamento, quamuis enim obligatio ſemel 27

extin-

extincta, non poſſit proprijs viribus ſuſcitari, d. l. qui res, §. aream, D. de ſolutionibus; aliquando vero à lege, vel à prætore, propter iuſtam cauſam reſtituitur, vt in l. propter veneni 21. §. nepris in fin. D. ad Sylan. l. eum qui 87. §. fin. D. de adquirenda hereditate, vt Cuiac. dicto tract. 7. ſcribit, pro quo facit textus in l. indigno 8. l. heredem 17. l. eum qui 18. §. bonis, D. de his quæ, vt indig. l. eius qui 29. & ſequenti, D. de iur. fiſci. In quibus iuribus, ijs quibus vt indignis hereditas aufertur confuſas actiones non reſtitui videmus; ideò quia indigni etiam ſunt auxilio reſtitutionis. Quæ omnia licet vera ſint, non tamen ad interpretationem textus in d. l. maritus, ſunt neceſſaria; teſtamento enim per quærelam rupto perinde habetur ac ſi nec teſtamentum factum, l. qui repudiantis 17. §. vlt. D. de inofficioſo teſtamento, nec adita fuiſſet hereditas, vnde nulla perſonarum confuſio, aut obligationis extinctio poteſt conſiderari, & conſequenter heredi integra, & illæſa manet debiti petitio, l. eum qui 21. §. final. D. de inofficioſo teſtamento, Cuiac. lib. 3. reſp. Pauli in d. l. eum qui, Anton. Fab. 2. tom. ration. Schiford. lib. 3. tract. 19. q. 2. & 3.

CAP. X.

De confuſione quæ per concurſum principalis obligationis, & acceſſoriæ contingit, ad verſiculum, quod ſi creditor.

1 QVod ſi fideiuſſor creditori, vel debitori heres exiſtat, vel creditor, debitorue fideiuſſori ſuccedat, aditio nunquam ſolutionis vim obtinet, ſed confuſionis tantum. Ideòque ſemper prior principaliſque obligatio manet, hac lege noſtra, verſic. quod ſi creditor, l. cum reus 14. ſupra: quia confuſione obligationis non liberatur reus, l. heres 21. §. vlt. ſupra hoc titulo, l. in omnibus 43. D. de ſolutionibus. Cum enim confuſione perſonarum, vna obligatio euaneſcere debeat, vel principalis, vel acceſſoria; principalis ſi præſtantior alteram peri-

perimit, *quoniam*, vt Papinianus ſcribit, *maior tollit minorem*, l.debitori 50. ſupra hoc titulo, maior autem, & plenior eſt principalis, l. debitor 3. in princip. D. de ſeparationibus. Vnde Scæuola in l.ſi duo 93. §.ſed & ſi reus, D. de ſolutionibus ſcribit: *Quaſi generale quid retinendum, vt quoties ei obligationi, quæ ſequelæ locum obtinet, principalis accedit: confuſa ſit obligatio, quoties duæ ſunt principalis altera alteri potius adijcitur ad actionem quam confuſionem parit.* Docent Cuiac. tract. 7. ad Africanum in d. l. heres 21. §. quod ſi ſtipulator & lib. 37. quæſt. Papinian.in d.l.debitori, Briſon.de ſolutionibus lib. 1. tract. de confuſ. Schifordig.lib 3.tract.9.quæſt.3. quia vt Conſultus ſcribit in leg. generaliter 5. ſupra hoc titulo, non poteſt reperiri quæ obligatio, quam perimat; at in fideiuſſore, & reo reperitur: quia rei obligatio plenior eſt. Nam vbi aliqua differentia eſt obligationum, poteſt conſtitui alteram per alteram perimi; cum vero duæ eiuſdem ſunt poteſtatis, non poteſt reperiri cur altera potius quam altera conſumatur; quæ ſententia etiam à Venuleio proponitur in l.ſi reus 13. de duobus reis.

Nec obſtat d.l.ſi duo verſ.idem & ſequenti, vbi contrarium expreſſe ſcriptum extat; ſcilicet æquales obligationes confundi, principalem,& acceſſoriam non confundi ita enim verba ſe habent: *Item ſi duo rei ſint promittendi, & alter alterum heredem ſcripſit, confunditur obligatio, ſed & ſi reus heredem fideiuſſorem ſcripſerit non confunditur obligatio.* Nam conſtat inter omnes, legiſque contextus, & Scæuolæ ratiocinatio euincit, in primo verſiculo, negationem deeſſe, quæ in ſecundo abundat: ideòque illa ſuo loco reſtituta, legendum in duobus reis obligationem non confundi; in reo,& fideiuſſore confundi: ita enim in vulgatis Codicibus habetur, docent Donel. lib.16. cap.14. Cuiac. lib.11.obſeruat.cap.14.Harman.Paſtor lib.3.quæſt.11.Anton.Fab.lib 8.coniectur.cap.4. 2

Ex his deſcendit quod Conſultus docet in l. heres 21. §.quod ſi ſtipulator, verſ.quod ſi idem,ſup.hoc tit. Quod ſi creditor, vel ſtipulator fideiuſſorem heredem ſcribat, ſola fide- 3

fideiuſſoria perimatur obligatio, idque hac collectione Africanus probat: *Quod ſi poſſeſſio rerum debitoris data ſit creditori, aquè dicendum eſt fideiuſſorem manere obligatum.* Quod quidem argumentum omnia ſupra tradita deſtruere videtur: nam ſi æquè fideiuſſor manet obligatus hoc caſu, ergo & præcedenti remanebat, nec fideiuſſoria obligatio perempta fuerat; & præterea cum electo tantummodo reo, liteque cum eo conteſtata, fideiuſſor liberetur hac lege noſtra, Paul. lib. 2. ſententiarum tit. 17. Cuiac. lib. 23. obſeru. cap. 25. Heringius de fideiuſſor. cap. 20. §. 13. num. 13. Harmanus Piſtor lib. 3. q. 11. n. 18. & ſequenti. Quomodo dici admittiue poteſt, poſſeſſione rerum debitoris creditori tradita, fideiuſſorem manere obligatum? Quibus rationibus adductus Ant. Fab. lib. 1. coniect. cap. 17. legendum exiſtimauit, *fideiuſſorem non manere obligatum*, à qua emendatione receſſit lib. 11. coniect. cap. 20. differentiam conſtituens inter electionem perſonæ, & bonorum; vt illa liberetur fideiuſſor; hac non liberetur ex l. 3. D. de ſeparationibus: quia ſine litis conteſtatione fit. Vnde poſt miſſionem in bona debitoris poſſe creditorem ad fideiuſſores redire, docet Hering. de fideiuſ. cap. 20. §. 35.

4 Sed quia licet hoc rectè dicatur, tamen argumentum Africani, difficile adhuc remanet; cum in hoc caſu debitor non liberetur, niſi debito plenè ſit ſatisfactum, quo caſu, & fideiuſſorem liberari certum eſt. Dicendum exiſtimo, cũ plures ſint cauſæ, ex quibus creditor in poſſeſſionem mittatur, quas refert Cuiac. lib. 10. obſeru. cap. 31. intelligendum eſſe Africanum, de ea quæ per non exiſtentiam heredis fit, l. pro debito 6. C. de bon. auctorit. iudic. poſſid. Donel. lib. 23. comment. cap. 13. ad fin. In qua ſpecie certum eſt debitore liberato fideiuſſorem manere obligatum, l. Stichum 95. §. in fin. principij, D. de ſolutionibus. Vnde ita argumentum Conſulti procedit, non mirum eſſe (manente principali, fideiuſſoriam obligationem corruere, ſine qua illa conſiſtere potuit; cum ſublata principali, fideiuſſoria maneat, quæ non potuiſſet ſine illa conſiſtere.

5 Pendet etiam ex ſupra traditis iuris principijs, quod

Afri-

Africanus in d. l. heres 21. §. ſeruo tuo, ſupra hoc titulo, ſcribit, ſeruum naturaliter obligatum, in ſuam naturalem obligationem, fideiuſſorem eſſe non poſſe, ſed ſi alium fideiuſſorem dederit, & ei, iam manumiſſus, heres fiat; & naturalem obligationem, & fideiuſſoriam manere: nam eo demum caſu acceſſoria euaneſcit, quo vtraque ciuilis eſt, vt Conſultus inſinuat in illis verbis, *quia tunc duplex obligatio ciuilis cum eodem eſſe non poteſt.* Requiritur enim vt principalis maior ſit: quoties autem ſunt æquales, maior eſt, quia principalis. Sed ſi inæquales ſint, fideiuſſoria maior videtur: quia fortior; illa, quia principalis. Non enim poſſis principalem minorem dicere acceſſoria; non acceſſoriam, quæ ciuilis eſt, minorem naturali; ideòque ambæ remanent, ex regula à Conſultis tradita in d. l. ſi reus 13. de duobus reis, d. l. generaliter 5. ſupra hoc titulo, *cum non poſſit reperiri cur altera potius quam altera perimatur.* Vnde apparet cur à principio, in eadem perſona, non poſſit fideiuſſoria conſiſtere; conſtituta enim obligatio impedit, vt præſtantior, ortum conſtituendæ, quæ cum nondum ſit, imbecillior eſt, nec hæſitare efficit, quæ potius perimatur; cum facilius ſit, vt quod nondum eſt, impediatur ne fiat, quam vt iam in eſſe productum extinguatur.

Denique hanc rationem habet Papiniani reſponſum in l. Stichum 95. §. quod vulgo, D. de ſolution. in quo docet Conſultorum ſubtiliſſimus, toties fideiuſſoriam obligationem perimi, *quoties rei promittendi plenior obligatio inuenitur.* Indeque euenire, vt *ſi reus dumtaxat fuit obligatus,* id eſt, ſine vllo aliquo auxilio, vel defenſione, fideiuſſor ſine dubio liberetur. Protinuſque in verſ. *ex contrario,* eum caſum proponit Conſultus, non quo fideiuſſoria obligatio maneat, ſed quo, cum potuiſſet dubitari, an remaneret, non ſolum non retineatur, ſed & principalis quoque, in quam fideiuſſor ſucceſſit, euaneſcat: nam è contrario, etiamſi reus cui fideiuſſor ſucceſſit, aliquam reſtitutionis, vel auxilij habuerit defenſionem, *non poterit dici non tolli fideiuſſoriam obligationem*; cum adhuc verum ſit debitoris obligationem præſtantiorem eſſe; vtpote principa-

cipalis, & naturali ſimul, & ciuili vinculo adſtricta, & tamen fideiuſſoris obligatio, *quæ principalis eſt*, id eſt, ea ipſa obligatio in quam ſucceſſit fideiuſſor debitori, *& cui fideiuſſoris obligatio acceſſit*, per beneficium reſtitutionis, quod vt minoris heres habet, reſcindetur, niſi contemplatione iuris Prætorij, quo reſtitutio conceditur fideiuſſor interuenerit: *Difficile enim ſit dicere*, vt Papinianus ratiocinatur *cauſam iuris honorarij, quæ potuit auxilio eſſe minori, fideiuſſoris obligationem retinere, quæ principalis fuit, & cui fideiuſſoris acceſſit.* Vnde remanet; fideiuſſorem ex propria obligatione communi iure liberatum, auxilio reſtitutionis, tanquam minoris heredem, intra legitimum tempus vti poſſe, l. non ſolum 6. D. de in integrum reſtitutione, l. minor 18. §. final. D. de minoribus. Nam ſicut exceptio quam vt fideiuſſor habebat, ei non profuiſſet, l. cum reus 14. D. hoc titulo, ita auxilium, quod vt reus habet, non eſt illi denegandum, quo non tanquam minoris fideiuſſor, ſed tanquã heres vtitur. Atque ita difficile Papiniani reſponſum explicari commodè poteſt, vt ſenſit Gaſpar Schifordiger. lib. 3. tract. 10. quæſt. 2. omiſſis emendationibus, & interpretationibus Cuiacij lib. 11. obſeruat. cap. 34. Anton. Fab. lib. 8. coniect. cap. 4.

Doli actio ſubſidiaria eſt, & præſuponit actionem aliā non potuiſſe exerceri, tract. 2.cap.4.n.23.p.102.

Doli exceptio datur creditori, aduerſus debitorem verum agentem, tract.4. c.6. n.13.pag.270.

Donatio inter virum, & vxorem prohibetur, tract. 2. cap.2.n.33.pag.80.

Donationes inter virum & vxorem Iure ciuili nō valent, ſi alter coniugum pauperior fiat, & ratione, tract. 2.ca.7.nu.1.& 2. p.127. quāuis ſolam poſſeſſionem contineat, ibidem n.4.pag.128.

Donatio bonorum patris viui facta à proximo herede nulla eſt, quantumuis ſucceſſio certa ſit, tract. 3. c.2. n.9. pag.180.

Donelli opinio an electione alterius ex rèis alter liberaretur, refertur, tract.4.c.6. n.10.p.269.

Donelli, & aliorum explicationem ciuilis poſſeſſionis veriorē exiſtimamus, tract 2. c.3.n.6.p.88.& n.11.p.89.

Donelli, & aliorum ſententia circa dominij tranſlationem per ſententiam impugnatur, tract. 2. cap. 4. nu. 12.pag.98.

Donelli ſententia aſſerens aditionem hereditatis pro ſolutione eſſe tantū in creditoris, & debitoris perſona refertur, tract.4. cap.9. n.14. pag 291.

Donelli, & aliorum opinio refertur, & refellitur, ex

eo quod aſſerant portionem oneratam integræ accedentem, legata non augere etiã ſi ſubſtitutus vulgariter interueniat, tract. 1. cap. 7. num. 5. pag. 47.

Donelli definitio poſſeſſionis impugnatur, tract. 2. cap. 2. n. 9. & ſequentibus, pag. 72. & 73.

In dotem datus fundus dicitur etiamſi non ſit traditus, tract. 2. c. 4. n. 20. p. 101.

Duareni impugnatur ſententia aſſerẽs voluntatem teſtatoris eſſe cauſam efficientem iuris accreſcendi, tract. 1. c. 1. n. 3. p. 5.

Duces quando poſſint fœdus cũ hoſtibus, inire, tract. 3. c. 6. n. 14 pag. 206.

Duces inducias facere poſſunt abſque iuſſu Principis, ibidem.

E.

Edictum perpetuũ Adrianus Iuliani miniſterio cõdidit, tract. 4. cap. 3. num. 3. pag. 254.

Effectus poſſeſſionis per legem, aut ſtatutũ poſſunt trãſferri, tract. 2. cap. 4. num. 11. pag. 98.

Electione vnius ex duobus reis alter nõ liberatur, tract. 4. c. 5. n. 7. pag. 263. & idem in mandatoribus, & fideiuſſoribus, & quibus iuribus probetur, tract. 4. cap. 6. nu. 2. pag. 265. contrarium, infra nu. 3. pag. 266.

Electione, nec litis conteſtatione, nec ſententia alter ex debitoribus inſolidum liberatur, tract. 4. cap. 6. n. 14. pag. 271.

Electione vnius, qui noxali actione obſtrictus erat, cæteri liberantur, tract. 4. cap. 6. n 6. p. 267. ſimiliter & qui de euictione tenebantur, ibid.

Electio in magiſtratibus locum non habet, ſed actio diuiditur, tract. 4. cap. 6. n. 17. pag 273.

Emanuelis Açoſtæ diſtinctio in lege Cornelia non eſt neceſſaria, tract. 2. c. 5. n. 31. pag. 119.

Emendatio ad l. ſi duo 93. verſ. idem in ſequenti, ff. de ſolutionibus, tract 4. cap. 10. n. 2 p. 299.

Emendatio ad l. fin. ff. de duobus reis, tract. 4 c. 9. nu. 7. pag. 287.

Emptori hereditatis ius accreſcendi non datur, tract. 1. cap. 2. n. fin. pag. 17.

Error in iure ad vſucapionem non prodeſt, facti prodeſt, tract. 2. cap. 7. num. 8. p. 130.

Etymologia quoties vim defi-

diffinitionis habet vltro citroque, argumentum ſumitur, tract.2. c.1.n.15.p.67.

Exceptio naturalem obligationem ſubmouet, tract.4. cap.8.num.6.pag.281.

Exceptionibus, quibus capite minutus poſſet vti, fideiuſſores non vtuntur, tract.4. cap.9.num.8.pag.288.

Excuſionis beneficium à Iuſtiniano introductum. Vide beneficium.

Eximi quomodo in iure accipiatur, tract.4. cap.9.num. 5.pag.285.

Expulſus à ciuitate priuilegio ſpeciali indiget, ad hoc vt reſtituatur, tract.3. cap.6. num.5.pag.202.

Expromiſſores plures non inſolidum, ſed pro parte tenentur, tract.4.cap.5.num.7. pag.255.

Expromiſſores principaliter alienã obligationẽ ſuſcipiunt, ibid.n.8. non acceſſorij, ſed rei principales ſunt.

Per expromiſſionem obligatio debitoris nouatur, ibi.

Exteragens quæ dicatur, tract.2.c.5.n.19.p.114.

Extranei heredes niſi ex aſſe inſtituti ſint ante apertas tabulas hereditatem adire non poterant, tract.1. cap.3. num.8.pag.20.

F.

Falcidia locum habet in debito, quod heres defuncto debebat, tract.4.cap.8.num. 8. pag.282.

Falcidiæ legis ratio deſumitur ex quantitate bonorum, quæ mortis tẽpore patris fuerunt, tract.4.cap.8.num.7 p. 282.& tract.1. cap.6.num.6. pag.38. & dict.tract.4.cap.9. num.23.pag.295.

Falcidia non minuit debitum, quod defunctus heredi creditori debebat, tract.4.c. 8.num.7. pag.228.

Falcidiæ beneficium ex æquitate indulgetur, tract. 3. cap.3.pag.186.

Falcidiam non deducit pater omittendo hereditatem filij, quaſi ab inteſtato ſucceſſurus, non ob hanc rationem, ſed quia indignus eſt hoc legis beneficio, tract. 3. cap.3.num.12.pag.186.

Falcidia locum habet, quãdo pater rogatus eſt à filio veterano ab inteſtato decedente, reſtituere caſtrẽſe peculium, tract.3. cap.3. num. 11.pag.186.

Falcidia, & in captiui teſtamento locum habet, tract. 3.cap.3.num.11.p.185.

Falcidia duobus ſubſtitutis portiones agnoſcẽtibus ſin-

guſis datur, tract. 1. cap.7. num.1.p.45.

Falcidia vna in tabulis patris, & filij ſeruatur, tract.1. cap.6. n.1. pag. 36. & infra, c.7.n.24.pag.55.

Falcidia lex cur introducta, tract.1.c.5.n.2.p.31.

Falcidia lex quomodo legati permittat, vt non minus quarta parte apud heredem remaneat ex legatis, tract.1. c.5.n.2.p.32.

Falcidiæ detractio tantum ad heredes pertinet, num.3. ibidem.

Falcidiæ detractio non ad fidei commiſſarios, etiam vniuerſales pertinet, ibid.

Falcidiam deducit cohæres a portione onerata accreſcente: licet ſuam non oneratam capiat, tract.1. c.7. num.26.pag.56.

Falcidia lex in vniuerſali fideicommiſſario, quo caſu locum habeat, tract.1.cap.5. num.4.pag.32.

Falcidia (ſi ſeruus ſeruo legatus ſit, & domino decē) non ſolum in decem domini habet, ſed etiam in ſeruo, tract.1.cap.8. num.9. pagina 62.

Falcidiam non detrahit pater à fili o milite, aut intra annum miſſionis inſtitutus in caſtrenſi peculio, tract. 3. cap.3.num.9.pag.185.

Falcidia detrahit pater ex caſtrēſi peculio, ſi poſt annū miſſionis filius miles decedat iure cōmuni teſtatus, ibi.

Falcidia in hereditate locum tantum habet, tract. 3. cap.3.num.11.p.185.

Falcidia etiam abinteſtato locum habet, ibid.

Falcidia lex ceſſat in militis teſtamento, tract.1. c.5. num.5.p.33.

Falcidiā detrahit fideicōmiſſarius vniuerſalis, quando tanquā heres conuenitur: ſecus ſi tanquā fideicommiſſarius, tract.1.c.5.n.4.p.33.

Falcidiam non detrahit fideicommiſſarius, quoties heres mera liberalitate ſine falcidiæ detractione totam hereditatem reſtituit, tract. 1.cap.5.num.6.p.33.

Falcidiam ex ſua perſona deducit, qui ex pupilli perſona non deduceret, tract.1. cap.6.n.11.p.40.

Falcidia ſingulis heredibus ſeparatim datur, tract.1. cap.6.n.12.p.42.

Falcidia ex ære alieno non deducitur, tract.1.cap.6.n.7. pag.38.

Fictio quid ſit, tract.3. c.1. num.1.p.174.

Fi-

Fictiones ius naturale non agnoſcit, ius vero gentium, aut ciuile agnoſcit, tract.3. cap.1.n.1.p.174.

Fictiones nō introducūtur à iure ſine neceſſitate vrgente, tract.3.c.1 n.5.p.176.

Fictum quid dicatur, tract. 3.cap.1.n.2.p.175.

Fictionis, & pręſumptionis differentia, tract.3.cap.1. num.3.p.175.

Fictio breuis manus in mutuo duos reos conſtituit, tract.4.c.1.n.3.p.248.

Fictio ad ea quæ facti ſunt non pertinet, tract.3. cap.4. num.3.p.193.

Fictio non aliter interponitur, quam ſi naturaliter euenire poſſit, tract.3. c.14. n.1.p.66. Licet falſo proponatur, dict.tract.3. cap.1.n.2. p.175. & de re poſſibili naturam imitatur, ibidem.

Fictio breuis manus non niſi inter præſentes celebratur, ibid. & num.4.

Fictio in re certa veritatem, vel fidem facti ſupplet, tract 3.cap.1.n.4.p.175.

Fictiones nihil aliud ſunt quam commenta, & mendacia, tract.3. cap.1.n 5.p.176.

Fictio legis Corneliæ, & poſtliminij, famæ, & bonis militum prouidet, tract. 3. cap. 6.numero 1.pag.200.

Fictio perſonæ cohæret, tract.3.c.7.num.11.p.221.

Fideicommiſſum integrum præſtari intelligitur quando libertas, vel alimenta legantur, tract.1.c.8.n 8.p.34.

Fideicommiſſario ius accreſcendi non pertinet, trac. 1.cap.2.n.fin.p.17.

Fideicōmiſſarius ex militis teſtamento quartam non detinet, tract.1.c.5.n.5.p.33.

Fideicommiſſarius falcidiam detrahit quoties heredis liberalitas illū tantū reſpicit, tract 1.c.5.n.6.p.33.

Fidei vbere qui non poteſt quoties in fraudem legis tanquam coreus obligatur, perinde habetur ac ſi fideiuſiſſet; tract 4.c.3.n.12.p.257.

Fideiuſſor ex propria obligatione cōmuni iure liberatus auxilio reſtitutionis vtitur, tract.4.c.10.n.6.p.302.

Fideiuſſor quo caſu obligatus remaneat licet reus principalis liberetur, tract.4. cap.10 n 4.p.30.

Fideiuſſores iure regio nō aliter inſolidum obligantur quam ſi actum fuerit, tract. 4.cap.3.n.8.p.355.

Inter fideiuſſores, & promiſſores ſublata eſt differentia iure regio. ibid.

Fideiuſſor, qui ſimul cum pupillo, vel muliere fidem ſuam adſtringit, inſolidum manet obligatus, nec beneficio diuiſionis adiuuatur, tr. 4. cap. 3. num. 9. pag. 256.

Fideiuſſor liberatur ſi perſona principalis exempta ſit obligatione, tract. 4. in paraphraſi legis, n. 9. p. 244.

Fideiuſſor extincta principali obligatione per aditionem liberatur, tract. 4. in paraphraſi legis, n. 6. p. 244.

Fideiuſſor ſi creditori ſoluat debitor liberatur: at vero ſi creditor fideiuſſori, aut fideiuſſor creditori ſuccedat, principalis reus obligatus manet, tract 4. cap. 9. num. 15. pag. 291.

Fideiuſſor naturali obligationi accedere poteſt, tract. 4. cap. 8. n. 3. pag. 278.

Fideiuſſor confuſa obligatione liberatur, ibid.

Fideiuſſor ſi creditori ſuccedat, vel è contra non liberatur reus principalis, tract. 4. in paraphraſi legis, num. 14. pag. 246.

Fideiuſſorem, vel principalem reum cõuenire olim liberum erat creditori, tract. 4. cap. 5. num. 1. pag. 261.

Fideiuſſoria obligatio toties perimitur, quoties rei promittendi plenior obligatio inuenitur, tract. 4. c. 10. n. 6. pag. 301.

Fideiuſſoria obligatio quo caſu extincta principali remaneat, tract. 4. cap. 10. num. 5. pag. 301.

Fideiuſſor conuento principali reo liberatur, mandator non item, tract. 4. cap. 5. num. 10. pag. 262. Hæc diuerſitas ſublata eſt à Iuſtin. ibidem.

Fideiuſſores non vtuntur exceptionibus, quibus capite minutus vteretur, tract. 4. c. 9. num. 8. pag. 288.

Fideiuſſores exceptionibus rei, & obligationi cohærentibus poſſunt vti, ibid.

Fideiuſſores exceptionibus non vtuntur quando contrarium regreſſum non habent, ibidem.

Fideiuſſores tenentur quãdo principalis moritur poſt ſtipulationẽ cõmiſſam, tract. 4. c. 9. n. 9. p. 289.

Fideiuſſores plurium tutorum pro parte tantum conueniuntur, tract. 4. cap. 2. n. 5. pag. 255.

Fideiuſſor quilibet obligationi principali accedit inſolidum, tract. 4. cap. 3. num. 4. pag. 254.

Fideiuſſorum, & principalium

lium

lium eorum differentia, tractat.4.cap.3.num.4. p.254.

Fideiuſſorũ plurium vnuſquiſque in ſolidum tenetur, tract.2.cap 2. numero 5. pagina 255.

Fideiuſſor fideiuſſoris liberatur quando à primo fideiuſſore reus principalis heres inſtitutus eſt, tract 4.c.8. num.3.pag.278.

Fideiuſſores plures obligati etiamſi actum non ſit in ſolidum tenentur, tract. 4. cap.2. num.3.pag.254.

Fideiuſſor ſerui non liberatur niſi cum domino de peculio actum ſit, tract. 4. cap. 5.n.9.p.264. ſi vero dominis ſoluat liberantur, hac ibid.

Fideiuſſor extricto iudicio obligatur, tract 4 c.5.n.8.pagina 263.

Fideiuſſorum liberatio nihil attẽdit, vbi vnus debitor eſt an ſolutionis poteſtate obligatio extinguatur, an cõfuſionis iure debitor liberetur, tract 4. cap. 9. num. 19. pag.293.

Fideiuſſor conuento principali reo, tract.4.cap.5.n.5. pag.262.

Fideiuſſor quoties creditori ſuccedit principalis reus manet obligatus, tract.4.c.5. num.6.pag. 263. ideo mãdati actionem non habet, ibid.

Fideiuſſor qui crediteri ſuccedit non videtur à ſe exegiſſe, tract. 4. c.5.n.6.p.263.

Fideiuſſore conuẽto principalis reus liberatur, tract. 4 cap.5. n.6. p. 263.

Fideiuſſor alieno nomine liberatur, tract. 4. c.5.n.7.p. 263.

Fideiuſſor fideiuſſorem dãdo vterque liberatur quando reum heredem inſtituit, ſecus pignus dando, tract.4. c. 9. n. 20. p. 294.

Filiusfamilias, qui dũ pater in hoſtium poteſtate eſt, adquirit, vel patri ſi reuertatur, vel ſibi, ſi illic decedat, tract. 3. cap. 7. num. 12. pagina 211.

Filiusfam. transfuga dicitur, vide transfuga.

Filiusfam. moritur qui viuo patre captus eſt, & mortuo patre moritur, tract 3. c. 9. num.21.pag.224.

Filiusfam. veteranus ab inteſtato decedens, à patre fidei cõmittit, tract. 3. cap.3. num.1.pag.186.

Filiusfam. per captiuitatem patris ſui iuris efficitur, tract.3.c.9.n.3. p.218.

Filius inſtitutus lege Cornelia heres patris efficitur non ſuus, tract.3.c.9.n.4.p.218.

Filius cui portio heredis accreſcit nó præſtat legatum nominatim à coherede relictum, tract.1.cap.3.num.12. pag. 22.

Filiusfam.vel ſeruus etiam ignoranti patri, vel domino poſſeſſionem adquirunt, tractat. 2.cap.8.num.6.pag.132. & ratio quare iure ſingulari hoc effectum eſt, num. 7.

Filiusfam.vel ſeruus quidquid apprehẽdunt eorũ corpore, & noſtro animo poſſidemus, tract.2.c.8.n.7.p.132 & 133.

Filiusfam. vel ſeruus extra cauſam peculiaré, poſſeſſionem ignoranti domino, vel patri non adquirunt, tract. 2. cap.8. n.9.p.33.

Filiusfam. vel ſeruus ex quacumque cauſa ignorantibus quærunt, ibidem, num. 10.

Filiusfam. Iure ciuili perſonã habet, nec in dominio ſed in poteſtate patris eſt, tract. 2. cap. 8. num. 4. pag. 131.

Filiusfamilias ad honores, & dignitates admittitur, ibidem.

Filiusfam.ex omnibus cauſis obligatur, ibidem, pagina 132.

Filiusfamil. ratione patris poteſtatis quidquid adquirit patri adquirit, etiam poſſeſſionem, ibidem.

Filius poſt captiuitatem patris natus tãquam poſthumus teſtamentum rumpit, tract.3.cap.8. numero 2.pag. 214.

Filiusfamil. & procurator licet non poſſideantur poſſeſſionem adquirunt, tract.2. cap.15. n. 3. pag.170.

Filius inſtitutus, & fratri exheredato ſubſtitutus legata ex ſecundis Tabulis tantũ præſtat, cuius patrimonium in Falcidiano patris inſpicitur, tract.1. cap.8. nu.2.pag. 58.

Fiſcus bona deportati occupat, & obligatio in illum transfertur, tract.4.c.9. n. 6. pag.286.

Fiſcus deportati heres licet non ſit, ſucceſſoris loco habetur, & creditoribus tenetur, ibidem, & num. 10. pag.289.

Fæciales de cauſa belli cognoſcebant, & qui dicantur Fæciales, tract.2.cap.5.num. 17.pag.112. & 113.

Fructuarios, colonus, & ſeruus, & reliqui qui alterius nomine poſſident interdicto vnde vi experiri nó poſſunt, quia non poſſident neq; natura,

tura,

turaliter, tr. 2. c.3.n.8.p.88.

Fructuarius, ſeruus, Colonus & ſimiles non vere poſſident, ſed tantum rē tenent, poſſidet autē vere cuius nomine poſſident, tract. 2. c. 2. num.43.pag.84.

Fructuarij, & aliorum inſiſtētia ſpeciem poſſeſſionis minimè conſtituit, tract.2.c. 3. num.7. pag.88.

Fugitiui poſſeſſio, quæ in domino cōſideratur, ad vſucapionem prodeſt, tract.2.c. 10. n.16.p.149.

Fugitiui ſerui alij furtum faciē. is dominus noxali actione nō tenetur. Vide noxalis.

Fugitiui ſerui poſſeſſio ad vſucapionem tantum prodeſt, tract 2.cap.10. n. 10.& 11.pag. 146.

Fugitiuus ſeruus, quis dicatur, tract.2.cap.10. num.3. pag. 142.

Fugitiuus à domino poſſidetur circa ea, quæ tendunt ad domini fauorem: at vero circa ea, quæ ad illius damnum tendunt non videtur poſſideri, tract. 2. c. 10. n.7. pag. 145.

Fugitiuus ſeruus peculium non amittit, ſed liberam peculij adminiſtrationē, tract 2. cap.10.n.9.p.146.

Fugitiuus ſeruus propriè furtum ſui non facit, tract. 2. cap. 10. n. 5.p. 144.

Fugitiuum ſeruum licet dominus poſſideat, attamē exhibēdi eius nō habet poteſtatem, nec præſentis corporis copiā, tr.2.c.10.n.16.p.149.

Fugitiuus ab alio poſſeſſus nec ad vſucapionem poſſidetur à domino, tract.2.c.10.n. 12.pag.147.

Fugitiuus ſeruus furtum faciendo alteri dominum non obligat, tract.2.cap.10.n.12. pag.147.

Fugitiuus à domino poſſidetur non tamen in eius eſt poteſtate, ibidem.

Fugitiuus ſeruus non poteſt cōditionem domini deteriorem efficere, tract. 2. c. 10. n. 9. pag 146.

Fugitiuus poſſeſſionem domino adquirit, ſi non ſe pro libero gerat aut ab alio poſſideatur, ibid.& n.19.p.151.

Furioſi ſeruus curatoris authoritate poteſt adire hereditatem, tract. 2. cap. 6.n. 13. pag.124.

Furioſus, nec voluntatem, nec cōſenſum, nec iudicium habet, tract.2.cap.6. num.3. pag.120.

Furioſus, abſentis, ignorantis, & dormientis loco habetur, ibid.

Furioſus à pupillo in adquiſitione poſſeſſionis diſtinguitur, tract. 2. cap. 6. n. 10. pag. 123.

Furioſus nec hereditatem adire, neque bonorũ poſſeſſionem ædictalem, petere poteſt, tract. 2 c. 6. n. 11. p. 123.

Furioſus non poteſt poſſeſſionem adquirere, nec amittere; quia affectum poſſidendi non habet, tract. 2. c. 6. n. 3. & 4. pag. 121. & num. 7. pag. 122.

Furioſus non latitat, nec ex hac cauſa bona eius veneunt, ibidem.

Furioſus nullum actum, in quo conſenſus deſideratur gerere valet, ibidem.

Furioſus, quæ non poſſit facere, quæve poſſit? ibidem, & num. 6.

Furioſus perpetuus natura impeditur Iudex eſſe, ibid.

Furioſi factum facto animalium brutorũ, vel in animatarum rerum cõparatur, ibidem.

Furioſus retinere poteſt, & vſucapionem continuare, tract. 2. cap 6. num. 7. pagina 122.

Furioſus, nec ſentit, nec conſentit, nec diſſentit, ibidem.

Furtum non fit niſi poſſideatur res, tract. 2. cap. 1. n. 10. pag. 66.

Furtum niſi rei mobilis nõ datur, tract. 2. c. 1. n. 10. p. 66.

Furtiua res vſucapi nõ poteſt, tract. 2. c. 10. n. 5. p. 144.

Furtum cõmittit, debitor rem pignoratam ſubripiens, tract. 2. cap. 11. num. 8. pagina 154.

Furtum ſine contrectatione & interuerſione poſſeſſionis non fit, tract. 2. cap. 10. n. 4 pag. 143.

Furtum poſſeſſionis, non antea inficiatione committitur, quam cõtrectatio ſequatur, tract. 2. c. 2. n. 29. p. 75.

Furtum, & rapina iure naturali prohibentur, tract. 2. cap. 4. pag. 95.

Fuſia lex, & Voconia proponitur, tract. 1. cap. 5. n. 1. pag. 31.

G.

Græciæ florentis temporibus in Græcos, & Barbaros orbis diuidebatur, tract. 3. c. 7. num. 5. pag. 208.

Gifanij interpretatio, ad l. ſerui, & filij, §. vltimo, ff. de furtis, tract. 2. cap. 10. n. 13. pag. 148.

Generis obligatio omnes ſpecies continet, tract. 4. c. 2. num. 8. pag. 252.

Gedeon Iſraelitarum Rex, tract.

tract.2.cap.5.num.5.p.106.

H.

Hereditas vera ex lege duodecim tabularũ inducta iure ſingulari vſucapionem perficit, tract. 3. cap. 11. n. 12. pag. 235.

Hereditas viuentis nulla eſt, tract.3.cap.8. n.2.p.214. & tract.3. c.2.n.6.p.179.

Hereditas iure ſingulari, ſine poſſeſſione vſucapit, tractat.3. c. 11. n. 16.p.236.

Hereditas vel bonorũ poſſeſſio municipibus præſtari, & reſtitui poteſt, tr. ct.2.cap. 15. num.4.pag.170.

Hereditatis fictio quare introducta, tract.3.cap.2. n. 3. pag.177.

Hereditas perſonam defuncti ſuſtinet, & pro domina habetur, num.4. p. 178.

Hereditas per aditionem extinguitur, tract.2. cap.12. num.4.pag.160. & tract.3.c. 2. n. 5. p. 178.

Heres quandoque adeundo à morte teſtatoris ſucceſſiſſe intelligitur, ibid.

Hereditatis fictio poſtquã heres adijt ſuperflua eſt, tractat.3. cap.2. numero 5. pagina 175.

Hereditas cũ aliquibus vt in dignis aufertur confuſæ actiones non reſtituuntur, tract.4. cap.9. n.27.p.298.

Hereditas quæ per legem Corneliam inducitur vſucapionem continuat, & implet ab inſtãti captiuitatis, tract. 3. c.10. n.7.p.229.

Hereditas vſucapionem iure ſingulari adimplet, ibidem.

Hereditatis aditione, duarum perſonarum ius confunditur, & ideo confuſio perſonarum efficitur, tract. 4. cap. 7. num.5. pag. 275.

Hereditas ſoluendo eſſe videtur quoties herede inuetur, tract. 4. c.9. n.21.p.295.

Hereditas adita hereditas appellatur, & res, eius hereditariæ nuncupantur, tract. 2. c. 12. n.4. p. 161.

Hereditatem viui, qui donat, ab hereditate priuatur, tract.3. c.2.n.9.p.180.

Hereditas vniuerſitas quædam indiuidua eſt, tract.2.c. 12. n. 3. p. 16.

Hereditatis indiuiduitas, iuris accreſcendi verã ratio, tract.1. c.1.n.6.p.3.

Hereditas, & heres defuncti perſonam repreſentant, tract. 1. c.1.n.6. pag. 3. & in eius vniuerſum ius ſuccedũt, tract.4.cap.7. n. 4. p.275. ſecus in poſſeſſione, & tract.2. c.2.n.32. p.79.

Here-

Hereditas pro parte ab herede repræſentari nequit, tract.1.cap.1.num.6.pag.4.

Hereditas confunditur, & ſeparari non poteſt quando filius patri heres extitit, tractat.4.cap.7.num.6.p.276.

Hereditatis aditio requirit certitudinem ſtatus perſonæ, tract. 2. cap 9. num.5. pag.138.

Hereditas ex cauſa peculiari poſſeſsioné, per ſeruos adquirit,& vſucapionem, incipit, tract.3.cap.4. num.2.& 6. pag. 189.

Hereditatis aditio vel repudiatio inualida eſt ante mortem teſtatoris, tract.3. c. 2. n.6.p.179.

Hereditatis & abinteſtato; & ex teſtamento datur, tract.3.c.3.n.11.p.185.

Hereditatis pars deficiens etiam poſt reſcriptum ſine onere accreſcit cohæredi, tract.1. cap.4.n.1.p.26.

Hereditas duplex, poſtquam duplex perſona repræſentatur, cōmiſceri non poteſt, tractat.1. cap.6. num.3. pag.36.

Hereditas pupilli diuerſa eſt ab hereditate patris,& ab illa ſeparari rectè poteſt, tr. 1.c.6.n.3.& 5.p.37.

Hereditas patris, & filij ad adimplendam falcidiam non conmiſcentur, tract.1.cap.6. num.5 pag.37.

Hereditas poſſeſſionem nó habet, tract.2.cap.4.num.11. pag.98. & cap. 11. num. 10. pag. 155. & cótinuat poſſeſſionem ad vſucapionem, ibidem,& tract.3.cap.4.num.2. & 11.pag.189.

Hereditas iuris eſt, tract.2. cap.6.num.18.pag.126.

Hereditas non videtur adita vbi perſonarum confuſio nó interuenit, tract 4.cap.9. num.27.pag.198.

Hereditas perſonam non habet, tract.3.cap.2.num.10. pag.181.

Hereditatis venditio conditionem quam habet, *ſi moriatur*, cótra bonos mores eſt, tract.3.c.2.num.8 pag.179.

Hereditarius ſeruus, nec hereditatem, nec vſumfructum, nec poſſeſſionem hereditati adquirit, tract. 3. c. 2. num.10. pag.181.

Hereditarius ſeruus, futuro heredi, rectè ſtipulatur, tract 3.c.4.n.21.p.196. Nominati n autem non æquè, ibid.

Heres ſi in parte conditionali coheredé habeat hereditatem adiés ſextans ſtatim illi adquiritur, tract.1.cap.2. num.15.pag.13.

He-

Heres pro parte pure, & pro parte ſub conditione ſolus inſtitutus, vnica tantum aditione indiget ſi pars conditionalis ad eum peruentura eſt, tract. 1. cap. 2. num. 14. pag. 13.

Heres ſi in parte conditionali ſubſtitutum habuerit duabus indiget aditionibus, ibidem.

Heres filius à patre inſtitutus, legatis ab illo relictis, & Titius pupillariter ſubſtitutus ſimiliter legatis grauatus legata ab vtroque relicta cõfunduntur, tract. 1. cap. 6. numero 1. pag. 35. & num. 5. pag. 37.

Heres cum defuncto vnica perſona non aliter efficitur quam teſtatoris bona heredis efficiantur, tract. 4. c. 7. n. 6. p. 176.

Heres adit hereditatẽ tacito pacto, vt creditoribus ſatisfaciat, quo non ſatisfaciente, ex ſtipulato, ſi ſtipulatio interueniat, aut præſcriptis verbis actione tenetur, tract. 4. c. 10. n. 8. pag. 503.

Heredibus pluribus exiſtentibus, ſi vnius portio legatis exhauſta ſit, ille in ſua portione falcidia vtetur, tractat. 1. cap. 5. num. 10. pag. 34.

Heres legata nominatim ab illo relicta, ſi coheredis portio aliqua cauſa defecerit, tenetur ſoluere, tract. 1. cap. 3. num. 9. pag. 20.

Heredes portionem deficiẽtem cum onere recipiũt, & non minus, in onere quã in commodo coniuncti ſunt, & non tam in parte, quàm in gradu grauati videntur, & omnes ſimul onerati, pro vno onerato habentur, ibidem.

Heres qui ſuſpectam dixit hereditatem, nullo commodo illius dignus eſt, tract. 1. cap. 2. numero 21. pag. 15. & tract. 4. cap. 8. num. 6. pag. 281.

Heredis mala fides nõ nocet ſi teſtator bonam fidẽ habuerit, tract. 3. c. 4. num. 27. & 20. pag. 194. è contrario autem nocet, ibid.

Heres grauatus reſtituere hereditatẽ etiam poſt reſtitutionem heres manet, tract. 1. c. 2. n. 20. p. 15. Et ante aditionem non reſtituit, ibid.

Heres, ſemel effectus non poteſt deſinere eſſe heres, ibi.

Heres, qui ſentit portionis commodum, & incõmodum portionis, ratione ipſa iuris ſentire debet, tract. 1, cap. 3. num. 22. pag. 24.

He-

Heres ex parte coheredi ſubſtitutus, ſi antequam ex ſubſtitutione deferatur hereditas, pro herede geſſerit, ex cauſa ſubſtitutionis heres eſt, tract. 1. c. 2. n. 5. p. 9.

Heres qui quartam hereditatis non habet Falcidia vtitur, tract. 1. c. 5. n. 9. p. 34.

Heres pro parte inſtitutus pure, & pro parte ſub conditione, ſi ex aliqua earum, legata relinquãtur, portiones commiſcentur, & Falcidia computatur, ibid. & c. 7. n. 6. pag. 47.

Heres pro parte pure, & pro parte ſub conditione inſtitutus vnica aditione heres efficitur, ibid. & cap. 1. n. 4. & 5. pag. 3.

Heres nihilominus eſt ille cui tanquam indigno hereditas aufertur, tract. 1. c. 2. n. 22. pag. 16.

Heres non habet actionẽ, quam defunctus non habuit, tract. 4. c. 8. n. 6. p. 281.

Heredi ſuſpectam dicenti hereditatem deficiens portio accreſcit ſi adeat, tract. 1. c. 2. n. 21. p. 15.

Heres qui coactus adijt hereditatem, nõ poteſt eam retinere, ibidem.

Heres reſtituere grauatus incapaci, portionem poſtea deficientem, non adquirit, tract. 1. c. 2. n. 22. p. 16.

Heres cui tanquam indigno aufertur hereditas licet nihilominus heres maneat, rem tamen non videtur habere, ibidem.

Heredis loco fiſcus habetur, ſi tanquam indigno auferat hereditatem, ibid.

Pro herede gerere, ſicut poſſidere, factum, & animum requirit, tract. 2. c. 6. num. 15. pag. 125.

Heredibus in ſingulis ſeparatim ratio Falcidiæ habetur, tract. 1. c. 7. n. 25. p. 56.

Homo animal ſociabile, tract. 2. cap. 5. num. 2. pagina 105.

Homo liber rectè poſſidetur, ſi ignorantes conditionem eius poſſideamus, ibid. & num. 2.

Homo liber in comercio nõ eſt, tract. 2. c 9. n. 1. p. 137.

Homo liber admittit ius dominio proximum non ſeruus, tract. 2. c. 4 p. 100.

Homo liber ſibi adquirit, quoties nobis adquirere non poteſt, ſed indiget volũtate ſibi adquirẽdi: alias nulli adquirit, tr. 2. c. 9. n. 4. & 6. p. 138.

Homo liber ab alio poſſeſſus; tunc hereditatẽ ſibi adquirit cum ſcit ſe liberũ eſſe,

&

& ſponte adit hereditatem, tract.2.cap.9.n.5 p.138.& in num.12 p.101. excepta poſſionis cauſa.

Hoſtes permittitur occidere,& potiori iure detineri, & ſeruare, tract. 3. cap.7. n. 10.pag.211.

Hoſtium definitio,tract.2. cap.5.n.17.p.107.

Humanum genus multa per ſæcula patria poteſtate gubernatum,tract.2.c.5.n.3. p.105.& n.7.p.107.

I.

Ignorantes,& inuiti, quæ iuris ſunt, per illos, quos in poſtetate habemus adquirimus,tract.2.c.8.n.22.p.136.

Immobilium rerum poſſeſſio non aliter amittitur, quam ſi ſciens occupatam eſſe ad eam accedere noluerit,tract 2. cap.2. n.21. p.76. & num.27.pag.78.

Impuberi ſubſtitutus, aliquando heredis, aliquando inſtituti locum habet, tract. 1.cap.7.n.18.pag.53.

In corporales res quaſi poſſeſſionem admittunt,quæ per vſum, & aduerſarij patientiam,adquiritur, tract.2. cap.2.n.45.pag.85.

Incorporales res neque tãgi, neque apprehendi poſſunt,ideo nec poſſideri. ibid.

Indiuiduo aut integrali apprehenſo pro parte,totum apprehenſum intelligitur, tract.1.c.1.n.6.p.4.

Infames remanebant dimiſſi ab hoſtibus,& in patriã reuerſi,tract.3 cap.5.num.2. pag.197.

Infantes qui dicantur, tract.2.c.6.n.14.p.124.

Infans aut infantiæ proximus, nec vele nec nolle intelligitur, furioſo comparatur,tract.2.c.6.n.15.p.125.

Infans cũ tutoris auctoritate poteſt adquirere poſſeſſionem,quia tutoris auctoritas iudicium ſupplet. ibid.

Infans pro herede gerendo adquirit hereditatem fauorabiliter. ibid.

Infideles reges,reges ſunt, & indiuinis litteris reges aptur,tract. 2.cap.5.num.22. pag.115.

Inſiſtentia naturalis à poſſeſſione ciuili aliquando diſpellant inguitur,tract.2. c.3. num.pag.89.

Intabulis patris & filij vna falcidia ſeruatur,tract.1. c.7. num.24.pag.55.& ſupra,c.6. num.1.pag.36.

Interdictum vnde vi,& vti poſſidetis, nõ niſi veris,poſſeſſoribus cõceduntur,tract. 2.cap.

2. cap. 3. num. 10. pag. 89.

Interdictum vnde vi, & vti poſſidetis, quod vſufructuario competit, non ad poſſeſſionem proprietatis, ſed ad poſſeſſionem vſufructus, cōceditur, ibid.

Interdictum poſſeſſorium competit creditori ad reſtituendum pignus, tract. 2. c. 11. num. 16 pag. 157.

Interdictum vtrubi ad tuendam reorum mobilium poſſeſſionem introductum, tract 2. c. 1. n. 14. p. 67.

Inuētarium factum ab herede, confuſionem impedit, tract. 4. cap. 10. num. 8. pag. 302.

Iuliani, & Caſſij ſententia exiſtimantium per ſeruū fugitiuum dominum poſſe adquirere poſſeſſionem, tract. 2. capit. 10. numero 2. pag. 142.

Ius accreſcendi etiam quādo quis non poteſt decedere pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus locum habet, tract. 1. cap. 1. num. 5. pagina 3.

Ius accreſcendi in legitimis ab inteſtato ſucceſſionibus datur, ibid. ſupra n. 4.

Ius accreſcendi per ſubſtitutionē nō impeditur, tract. 1. c. 2. n. 5. pag. 9.

Ius accreſcēdi poteſtatem iuris tantum continet, tract. 1. cap. 2. num. 3. pag. 9. & n. 24. pag. 17.

Ius accreſcēdi propter neceſſitatem iuris, etiam inuito coheredi datur, tract. 1. c. 1. n. 1. p. 2. Et à neceſſitate iuris introductum fuit, & n. 2. & num. 11. pag. 6.

Ius accreſcendi tanquam in crementum latens, tract. 1. cap. 2. num. 24. pag. 17.

Ius accreſcendi locum nō habet quādo coheres coheredi ſubſtitutus eſt, tract. 1. c. 2. num 11. pag. 12.

Ius accreſcendi in militis teſtamento locum non habet, tract. 1. cap. 1. num. 9. pag. 5.

Ius accreſcendi tātum locum habet in deficientibus portionibus, tract. 1. cap. 2. n. 19. pag. 15.

Ius accreſcendi per ſubſtitutionem non ſublatum, nec impeditum hereditatem in primo gradu à quo poſthumus ex heredatur conſeruat, & retinet, tract 1. cap. 2. n. 10. pag. 11.

Ius accreſcendi cum ſubſtitutione coniūctum conualidatur, & ad heredes tranſmittitur, ibid.

Ius accreſcendi lege Iulia, &

& Papia nō niſi vſque ad tertium gradum porrigebatur, tract. 1. cap. 2. num. 12. pagina 22.

Ius antiquum, quomodo in iure accipiatur, tract. 1. cap. 4. num. 8. pag. 28. & 29.

Iura non poſſunt poſſideri, tract. 2. cap. 1. numero 2. pag. 69.

Ius fidem, & veritatem amplectitur, & à mendacijs abhorret, & non aliter fingit, quam vrgente neceſſitate, & æquitate ſuadente, tract. 3. cap. 1. num. 5. pag. 176.

Ius non faciunt decreta Principum, aut ſententiæ in controuerſijs prolatæ, tract. 1. cap. 7. num. 17. pag. 52.

Ius nullum alteri per alterum ſine eius facto aufertur, tract. 1. cap. 2. num. 36. pagina 81.

Ius proprium, id eſt, ciuile efficitur cum iuri communi aliquid detrahitur, tract. 3. c. 7. num. 1. pag. 200.

Iuriſprudentia de regnorum cauſa cognoſcit, tract. 2. cap. 5. num. 1. pag. 105. Quæ iuris ſunt, vide procurator.

Quæ iuris ſunt ignoranti domino, & inuito per ſeruū etiam inuitum adquiruntur, tract. 2. cap. 2. num. 35. pag. 80.

Iuris iurandi conditio municipibus iniūcta in poſſibilis non eſt, & quomodo impleri debeat, tract. 2. cap. 15. num. 4. & 5. pag. 170.

L.

Legata vel hereditates triplici modo deficiunt, tract. 1. cap. 3. num. 3. pag. 18.

Legata vel hereditates relictæ illis, qui tempore teſtamenti in rerum natura non ſunt pro non ſcriptis habentur, ibid.

Legata illi qui apud hoſtes eſt, relicta, ſi apud hoſtes moriatur inutilia ſunt, tract. 1. c. 3. num. 4. pag. 19. & pro non ſcriptis habentur.

Legata à coherede relicta, repetita cēſētur ab altero coherede, tract. 1. c. 7. n. 12. p. 5.

Legata quæ à coherede repetita cēſentur, ſoluūtur eodem modo ac ſi à quo relicta nominatim ſunt, pręſtarētur, tract. 1. cap. 7. n. 12. p. 50.

Legata præſtat retenta Falcidia, qui quaſi ab inteſtato ſucceſſurus hereditatē omittit, tract. 3. cap. 5. num. 11. & 12. pag. 186.

Legata à coherede eodem ſubſtituto, tam in primis, quā in ſecūdis tabulis relicta cōtribuuntur, tract. 1, cap. 7. n. 21. pag 54.

Le-

Legata ſub proprio nomine ab inſtituto relicta, an à ſubſtituto debeantur, tract. 1. cap 3. n. 12 pag. 21.

Legata vel hereditates ad hoc vt in cauſa caduci ſint morte naturali, vel defectu conditionis debent deficere, ibid. tract. 1. cap 3. n. 5. & 6. pag. 19.

Legata quæ perueniunt ad eum caſum à quo nó poſſunt incipere non valent, tract. 1. cap. 4. num 5. pag. 17.

Legato plurium ſeruorum relicto, legatarius per vnum eorum, cæterorum poteſt adquirere poſſeſſionem, tract. 2. cap. 2. n. 6. p. 161.

Legata ſeu fideicommiſſa per relationem ad certum locum relicta, ea tantum cótinentur, quæ in illo loco ſunt, tract. 2 c. 6. n. 16. p. 68.

Legatarijs proficit portio quando cohæres antea ditã hereditatem cohæredem adrogauerit, tract. 1. c. 8. num. 9. pag. 61.

Legata quæ viuo adhuc teſtatore poſt factum teſtamentũ deficiunt lege Iulia, & Papia in cauſa caduci ſunt; licet iure antiquo pro non ſcriptis eſſent, tract 1. cap. 3. num. 5. & 6. pag. 16.

Legata relicta ab heredibus generaliter; repetita etiam in ſubſtitutione cenſentur, tract. 1. c. 3. n. 10 p. 11.

Legata ab exheredati ſubſtituto relicta non valent, tract. 1. cap. 8. n. 4. p. 59.

Legatorum ratio ſeparanda, tract. 1. c. 7. n. 24. p. 55.

Legata quæ tabulis ſecundis relinquuntur in primis ſub conditione data intelligũtur, tract. 1. c. 7. n. 24. p. 55.

Legatarius non deducit Falcidiam, ſed imputat fideicommiſſario, tract. 1. c. 5. n. 7. pag. 33.

Legatarius neq; falcidiam deducit, neq; imputat, quoties teſtator integrum fideicommiſſum dari voluit, tract. 1. cap. 5. n. 18 p. 34.

Legatũ quod in cauſa caduci eſt aliquando ad fiſcũ non pertinet, tract. 1. c. 4. n. 9. p 29

Legatum ita relictũ quiſquis mihi heres erit centum dato, vel heres meus dato ab omnibus debetur, tract. 1. cap. 4. n. 10. p. 30.

Legatum ab vno ex heredibus nominatim relictum ab illo tantum debetur, ibid.

Legata contribuuntur, quando iure poteſtatis, vel dominij coheredis, portio integra adquiritur, tract. 1. cap. 8. num, 9. pag. 61.

Le-

Legata non præſtantur vltra vires patrimonij, tract.1. cap.6.num.9.p.40.

Legatum relictum deportato, aut in metallū damnato, aut extra vrbem Romanā conſtituto pro non ſcripto habetur, tract.1.c.3.n.4.p.19.

Legata tā in primis, quā in ſecundis tabulis relicta quādo pater filio exheredato, Titium heredem inſtituit, & ciuilē filio pupillariter ſubſtituit, cōmiſcentur, & cōtribuūtur, tract.1.c.8.n.1. p.58.

Legata tam in primis, quā in ſecundis tabulis relicta confunduntur, tract.1.cap.6. num.1.pag.35.& n.4.p.37.

Legata non pro quantitate hereditatis filij, ſed potius paternæ perſoluenda ſunt, tract.1. cap.6.n.9. pag.19.& ſupra num.6.p.38.

Legatū ſibi adſcribere quis non poteſt, neque hereditatem, tract.1.c.4.n.3.p.26.

Legatum, qui ſibi adſcribit pro nō ſcripto habetur, ibid.

Legatum, quod quis ſibi adſcripſit cū onere acreſcit, ibi.

Legatus ſeruus alicui, ſi rogatus legatarius fuerit, vt eū manumittat, ſi legatum euanuerit, debet ab herede manumitti, tract.1.c.4.n.4.p.27.

Legatum alicui relictum, vt proprium ſeruum manumittat rogatus fuerit, ſi defecerit legatum ab heredibus manumitti debet, ibid.

Legatariorum quandoque intereſt è duabus portionibus confuſis vnā Falcidiā detrahi, tract.1.c.7.n.30. p.57.

Legata non augentur quoties portioni integræ onerata accreſcit, tract.1.c.7. n.2. pag.45.

Legata in ſecundis tabulis adſcripta, licet quaſi à filio ſub conditione in primis data intelligantur, non poſſunt ſimul & à filio, & à ſubſtituto data videri, tract.1. c. 7.n.28.pag.57.

Legata à pupillo relicta non tanquam legata, ſed tāquam pupilli debita debentur, tract.1.c.6.n.7.p.38.

Legata in primis tabulis à pupillo relicta non debentur ante contributionem, nec ſolui debent niſi interpoſita cautione, ſi cui plus, quam per legem Falcidiam, tract.1.cap.6.num.8. pag.39.

Legata quæ in cauſa caduci erant ſi pro non ſcriptis poſtea habeantur, ſine onere ad heredes deferuntur, tract. 1.c.4.n.6.p.28.

Legatum relictū ab vno ex coheredibus nominatim vi-

detur conditionem tacitam habere,ſi heres erit, ibid.

Legatum relictum ab vno ex coheredibus nominatim, ſi defecerit portio tanquam pro non ſcripta ab altero nõ debetur,ibidem,& ſupra,numero 2.

Legatum à coherede relictum ſi ſimul cum inſtitutione cõſtitit, licet nominatim relinquatur cum onere accreſcit, ibid.

Legatum vt repetitũ cenſeatur, debuit antea conſiſtere, tract. 1. cap.4. num. 7. pag.28.

Legatum nominatim relictum ab heredibus in rerũ natura non exiſtentibus pro non ſcripto habetur, ibid.

Infraudem legis fieri dicitur, quod ſaluis verbis legis contra eius ſententiam fit, tract.3.cap.9.num.19.p.223.

Lege fieri dicitur,quod ex vi, & mente legis fit licet ex verbis non fiat, tract.3. cap. 9. num.19. pag.224.

Lege Iulia peculatus tenetur tantum ille, qui pecuniam ſacram, religioſam,vel publicam ſubripuit, tract.2. cap.5.num.25. pag.116.

Lege Iulia peculatus tenetur, qui ex præda aliquid ſubripuit, ibid.

Lex duodecim,tabularum, & hereditatẽ,& heredem facit,tract.3.c.10.n.7.p.229.

Libertas grauamine nõ recedẽdi à certo loco nõpoteſt infringi, tr. 2.c.2.n.26.p.77.

Libertas per Falcidiam nõ minuitur, tr.1. c.8.n.9.p.62.

Liberta à matrimonio patroni diſcedere nõ valet niſi patronus vellit, tract.2.cap. 6.num.8. pag. 122. nec nuptias contrahere, ibidem.

Liberta à patrono furioſo diuertere non poteſt, ibid.

Liber homo ab ignorante eius conditionem poſſidetur, tract.2.c 2.n.9 p.72.

Liber homo,aut res ſacra, ſi ſcienter legetur, aut apprehendatur non poſſidetur, ſed detinetur tantum, tract. 2.cap.2.num.9.pag.73.

Lis conteſtata tunc nouationem inducit,cum ſententia ſequuta eſt, tract.4. cap. 6. num.12.pag.269.

Litis conteſtatione quis nõ debet cõditionem ſuam deteriorem efficere, tract. 4. c. 6. n.12.pag.270.

Litis cõteſtatio nouationẽ inducit, tr.4.c.6.n.11.p.269.

Litis conteſtatio actiones ex delicto perpetuat, quaſi deſcendentes ex contracto, tract.4.c.6.n.11.p.269.

Lite cum domino conteſtata naturalis obligatio in ſeruo remanet, tract. 4. c. 6. num.14.pag.271.

Locorum publicorum vſus datur, non vero poſſeſſio, tract.2.c.2.n.4.p.71.

Luxus Rerumpublicarum peſtis, tract.2.c 5.n.10.p.103

M.

Malafides propria in ſucceſſoribus particularibus vſucapionem impedit, tract.3.c. 4.num.11.pag.195.

Malafides ſuperueniēs nō nocet ſecus iure canonico, tract.3.c.4.n.20. p.195.

Mandator liberatur ſi perſona principalis exempta ſit obligatione, tract.4.in paraphraſi legis, num.9.p.244.

Mandator conuento principali reo non liberatur: fideiuſſor autē liberatur, tract. 4.cap.5.num.1.pag.261.Hæc diuerſitas ſublata eſt à Iuſtiniano, ibid.

Mādator liberatur vbi ſucceſſit creditor, tract.4. c.5.n. 1.pag.260.

Mandator pro eodem, & apud eundem nemo poteſt eſſe, tract.4. capit.7. num.2. pag.274.

Mandator nō liberatur cōuento principali reo, tract. 4. cap.5.n.1.p.260.

Mandator habet actionem mādati aduerſus reum principalem, & ſucceſſores eius, tract. 4. in paraphraſi legis, n.15.pag.245.

Mandator pro eodem, & apud eundem nemo poteſt eſſe, tract.4. c.9.n.19.p.293.

Mandator confuſa obligatione liberatur, tract.4. c. 8.num.3.pag.278.

Mādator ſuo nomine obligatur, tract.4.c.5.n.7.p.263.

Mandator lite conteſtata cum principali debitore non liberatur, tr.4. in paraphraſi legis, num.5. pag.244.

Mandator à fideiuſſore differt, ibid.

Mādator extincta per aditionem principali obligatione liberatur, ibid.num.6.

Mandator bonæfidei iudicio obligatur, tract.4. cap.5. num.8.pag.263.

Mandati actio aliquando competit etiamſi negocium meum principaliter geram, & quibus caſibus id eueniat, tract.4.cap.5.n.4.& 5.p.262.

Mandati actio non competit cum negotium propriū alterius mandatu geritur, tract.4.cap.5. numero 4.pag. 262.

Mandatoris,& fideiuſſoris differentia, tract. 4. cap. 5. pag. 261.

Mandatores plures obligati etiamſi actum non ſit, inſolidum tenentur, tract. 4. cap. 3. n. 2. pag. 254.

Manumiſſo olim concedebatur facultas recedendi quocunque voluerit, tract. 2. cap. 2. n. 26. pag. 78.

Marcelli, ſententia poſſeſſionem ex cauſa peculiari ignorantibus per ſeruos adquiri aſſerentis refertur, tract. 3. c. 11. n. 20. & ſequentibus, pag. 238.

Marcellus poſtliminium ad vſucapionẽ reuerſo prodeſſe fatetur, ibid.

Marcellus Iuliani æmulator, præcipuè illius ſententias reprehendit, tract. 3. c. 10. n. 5. pag. 228.

Marcellus in quo notauerit Iulianum in l. ſi is qui pro emptore, §. qui ſeruus, tract. 3. c. 11. n. 4. & 5. p. 232.

Maritus tenetur reſtituere partem dotis, quam promiſit, quamuis mulier tantum dimidiam ſoluiſſet, dummodo mulieri heres exiſtat, ſecus ſi nihil ex dote accepiſſet, tract. 4. c. 9. n. 21. p. 294.

Mobiles res vſucapiuntur, tract. 2. c. 1. n. 13. p. 67.

Mobiles res non minus quam immobiles poſſidentur, tract. 2. c. 1. n. 9. p. 66.

Mobilium rerum poſſeſſio ſcientiam domini nõ exigit, ſed ſtatim, atque ab altero apprehenduntur amittitur, tract. 2. c. 2. n. 21. p. 66.

Mobilium rerum poſſeſſionem dominus amittit, quando à commodatario cuſtodia omiſſa, tract. 2. c. 10. num. 6. pag. 144.

Morlæ ſententia aſſerens ſucceſſionem ſolutionis poteſtatem indiſtinctè exercere refertur, tract 4. c. 9. n. 13. pag. 291.

Mulier quotiens cum alio in rem communem mutuam pecuniam accipit, pro parte Velleiano Senatus Conſulto adiuuatur, tract. 4. cap. 3. num 11. pag. 258.

Municipibus hereditas, & bonorum poſſeſſio præſtari, & reſtitui poteſt, tract. 1. cap. 15. num. 4. p. 170.

Mutuum contrahit qui pecunias à debitore accipit iubente creditore, tract. 3. cap. 11. num. 13. p. 235.

N.

Naturalis obligatio per exceptionem eliditur, tract. 4. cap. 8, n. 6. p. 281.

Na-

Naturalis obligatio per pactum inducitur, tract. 4.c. 8. num.6. pag.280.

Naturalis obligationis effectus ſunt retentio, computatio, & deductio, tract.4. cap. 8. num.6. pag.182.

Naturalis ſerui obligatio tollitur per ſolutionē à domino factam, tract.4. cap.5. num. 10. pag.264.

Naturalis ſerui obligatio non tollitur lite cum domino conteſtata, tract.4.cap.5. num.10. pag.264.

Neruæ filij ſententia exiſtimantis per ſeruum fugitiuum dominum nihil poſſidere poſſe, tract.2. cap.10.n.1. pag.142.

Ninus, vel Belus primus Rex Aſſiriorum, tract.2. c.5. num.8.pag.108.

Notatio vtraque poſſeſſionis, inſiſtentiam corporalem denotat, tract.2.c.1.n.3. pag.64. vide poſſeſsionis, & num.8.pag.66.

Notatio ſupradicta poſſeſſionis non etymologiam, nec poſſeſsionis definitionē continet, tract.2.cap.1. num. 8. pag. 66.

Nouatio induci videtur tēpore litis conteſtatæ quando reus condemnatus eſt, tract. 4. c.6.n.12.p.270.

Nouatio voluntaria obligationem naturalem extinguit, tract.4.c.6.n.13.p.271.

Nouatio neceſſaria naturalem non extinguit obligationem, tract.4. cap.6.num. 13. pag. 270.

Nouatio tunc demum efficitur per litis conteſtationē cū ſententia ſecuta eſt, tract. 4.c.6.n.12.p.269.

Nouatio per ſtipulationē conditionalē efficitur, ſi cōditio adueniat, & retrotrahitur, tract. 4. c.6. num. 12. pag.270.

Nouatio valida morā purgat ſine præſentia rei, tract. 2. c. 14.n.3.p.167.

Nouatio, vt pro oblatione ſit præſentiam rei exigit, tractat. 2. c.14.n.3.p.167.

Nouatio antiquam obligationem extinguit, & nouam aliam producit, tract.4. c.6. n. 11. p. 268.

Nouatio per litis conteſtationem celebratur, & aliquando obligatio in aliam perſonam transfertur, tract. 4. c.6.n.11.p.269.

Nouella 99. c. 1. explicatur, tract. 4. cap.4. n.3. pag. 258.& 259.

Noxalis actio cōtra dominum, vel qui opinione domini rē poſsidet, competit,

tract.2.cap.11.n.12.p.156.

Noxali actione tenetur bonæ fidei poſſeſſor, tract.2. c. 10. n.17. & 18. p.150.

Noxali actione, qui alias teneretur, noxalem actionẽ habere non poteſt, tract. 2. cap.10. num.15.p.148.

Noxali actione tenetur, qui poſſidet, aut dolo fecit quominus poſſideret, tract. 2. c. 10. num.16.p.149.

Noxali actione non tenetur dominus ſerui fugitiui rem alterius ſurripientis, tract.2. c.10.n.15.p.149.

Noxali actione non tenetur, qui ſeruum non habet in poteſtate, ibidem.

Nullius in bonis ſunt quæ cœlo terra marique capiuntur, & ita occupantis fiunt, tract.2.c.4.n.18.p.104.

Nullius bonis ſunt res poſt mortem adquirentis non interueniente iuris fictione, tractat.3. cap.2. num.1.pag. 176.

Nullius in bonis res exiſtentes occupanti adquiruntur, tract. 3. cap. 1. num. 1. pag.177.

O.

Obligatio naturalis inducit retentionem, tract.4.c.9. n.25.pag.296.

Obligatio ciuilis, & naturalis per confuſionem tollitur, tract. 4. cap. 8. num.2.p. 277.

Obligatio non extinguitur quãdo per confuſionem reus liberatur, tract. 4. cap. 9. num.6.pag.286.

Obligatio generis omnes ſpecies continet, tract.4.c.2. num.8 pag.252.

Obligatio extinguitur cum deuenit ad enim casũ à quo non potuit incipere, tract.4. in paraphraſi leg. n. 10.pag. 245.

Obligatio principalis plenior eſt acceſſoria, tract.4. c. 10. n.1.pag.298.

Obligatio ſemel extincta, quæ non poteſt proprijs viribus ſuſcitari, aliquando à lege iuſta cauſa ſuſcitatur, tractat.9. num. 27. pag.298.

Obligatio debitoris per expromiſſionẽ nouatur, tractat. 4. cap. 3. num. 8. pag. 255.

Obligatio extinguitur per aditionem, tract. 4. c.9.n.2. pag. 284.

Obligatio, quæ confuſionis iure aut ſolutionis poteſtate ſublata fuit an vere extincta ſit, tract.4. cap.9. numero 26.pag.296. Pars negatiua proponitur, ſed affirmatiua verior.

Obli-

Obligatione totaliter ſublata, tam principalis debitor quam fideiuſſores liberātur; ab obligatione vero exēpto reo ad fideiuſſores talis liberatio non extenditur, tractat. 4. cap. 3. numero 5. pag. 286.

Obligatione an quis, eximatur per aditionem hereditatis, an vero obligatio tota extinguatur, tract. 4. c. 9. num. 2. pag 284.

Obligatione diſiunctiua vtrūque in obligatione eſt, tract. 4. cap. 2. num. 8. pag. 252.

Obligationes, & nomina debitorum nullibi ſunt, quia iura ſunt nec poſsidentur, tractat. 2. cap. 1. num. 2. pagina 68.

Obligationes æquales per confuſionem nō extinguuntur, tract. 4. cap. 10. num. 5. pag. 301.

Obligari nemo poteſt pro eodem apud eundem, tract. 4. c. 7. n. 2. p. 274.

Onus in partibus, quæ pro non ſcriptis habentur, pro non ſcripto etiam habetur, tract. 1. cap. 4. num. 2. pag. 26.

Onus quomodo in iure accipiatur, tract. 1. cap. 3. n. 1. pag. 18.

Oſualdi opinio affirmans voluntatem teſtatoris inſtrumentalem cauſam iuris accreſcendi eſſe reijcitur, tract. 1. c. 1. n. 8. p. 15.

P.

Pacta, & conuentiones nō mutant, quod iure publico ſtatum eſt, tract. 3. cap. 6. n. 10. & 11. pag. 204.

Pacta, & conuentiones publicæ mutant, quod iure publico ſtabilitum eſt, ibid.

Pacta à Principe facta ſiquidem publica, tāquam lex lata obſeruantur inuiolabiliter, tract. 3. cap. 6. num. 13. pag. 205.

Pacta publica à Principe, vel à populo conſtituuntur, & iurantur, tract. 3. c. 6. n. 13. pag. 206.

Pacta omnia, & contractus de futura ſucceſsione, quia cōtra bonos mores ſunt, legibus prohibentur, tractat. 3. cap. 2. num. 9. pagina 180.

Pacta de futura ſucceſsione iuramēto confirmata valent remiſsiuè, tract. 3. c. 2. n. 9. pag. 180.

Pacta, factum in ſe comprehendunt, tract. 2. c. 6. nu. 18. pag. 126.

Pactum naturalem obligationem inducit, tract.4. c. 8. num.6.pag.280.

